



BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.
BARROIS l'aîné, Libr., rue de Seine, n° 10, F^{rs} St.-Germ.
DE BURE frères, Libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, Libraires, rue de Bourbon, n° 17.
AUG. RENOUARD, Libraire, rue St.-André-des-Arcs, n° 55.
BOSSANGE père, Libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, Libraire, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, Libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.
ALEXIS EYMERY, Libraire, rue Mazarine, n° 30.
ARTHUS-BERTRAND, Libraire, rue Hautefeuille, n° 23.
VERDIÈRE, Libraire, quai des Augustins, n° 25.
N. PICHARD, Libraire, quai Conti, n° 5.
Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

Q. CURTII RUFI

DE REBUS GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

LIBRI SUPERSTITES

EXCUDEBAT RIGNOUX

TYPOGRAPHUS

Q. CURTIUS RUFUS

AD

CODICES PARISINOS RECENSITUS

CUM VARIETATE LECTIONUM

SUPPLEMENTIS JO. FREINSHEMII

ET SELECTIS SCHMIEDERI VARIORUMQUE COMMENTARIIS

QUIBUS NOTAS

EXCURSUS MAPPASQUE ET INDICES ADDIDIT

N. E. LEMAIRE

PROFESSOR LATINÆ POESEOS IN ACADEMIA PARISIENSI

VOLUMEN PRIMUM






PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXII





PRÆFATIO.

J. Freinshemius, cæterique, qui Curtii Rufi libros superstites exposuere, optimum illud arbitrati sunt, si prius de auctore ipso agerent, et quicquid ad ejus nomen, conditionem, ætatem, sentiendi scribendique genus pertineret, proponerent. Et mihi quidem novos in hunc historicum commentarios aggresso *inconveniens* esse videbatur, ut romanarum legum latoris verbis [1] utar, *omissis initiis, origine non repetita,* et quasi *illotis manibus, protinus materiam interpretationis tractare.* Sed multa interim animum subiere, quibus ad id adductus sum, ut aliam agendi viam inirem.

Ad duas enim res, prorsus inter se diversas, hujusmodi proœmia conferre existimavi, nempe ad noscendum quis auctor fuerit, quaque ætate vixerit; tum ad æstimandum ipsius sentiendi scribendique genus. Hoc extremum ad calcem operis rejeci, et, nullo meo judicio interposito, nulla aliena auctoritate adhibita, mentem legen-

[1] Digest. lex I, de Origine juris.

tium liberam et integram relinquere volui. Si enim, quæ de æstimando Curtianarum sententiarum verborumque ordine, proprietate, copia, censeam, libro præmiserim, lector, priusquam ad evolvendum auctorem accedat, meis opinionibus interceptus, fiduciarioque usus judicio, de rebus ignotis, quasi indicta caussa, ferre sententiam cogitur.

Satius ergo reputavi veterum recentiorumque de Curtii dicendi genere testimonia, meamque ipsius opinionem differre, et ea, absoluta demum Alexandri historia, exponere, præmissa nimirum disputatione, in qua de his omnibus agam, qui gesta regis Macedonum amplificanda sibi proposuere; quibus quidem, in temporum ordine, ultimus accedit apud veteres Curtius. In hoc proœmio tantum de Curtii nomine, ætate, vitæque conditione tractabo. Tum quædam de hac nova editione proloquar.

Accidit Curtio, quod aliis quibusdam veterum, ut scripta omnibus nota sint, scriptor ipse nemini. Ætas etiam, qua floruerit, iisdem, quibus ejus vita, tenebris involvitur. De hac statuenda viri docti in maxime diversa discedunt, et alii aliis eum temporibus vixisse, ut poterant, demonstravere. Quorum omnium argumenta, unus e recentissimis editt. Joach. Theod. *Cunze,* ducalis scholæ Schœningensis rector, in suis prolego-

menis exposuit; ego vero, iisdem verbis transcribam: namque eadem dicere satius esse arbitror, dum diversa, non meliora, a me disputari posse sperem.

Ille ergo omnem quæstionem ita disseruit:

Prænomen et nomen Curtii in omnibus exstant codicibus manu scriptis, excepto Bongarsiano secundo, qui omisso prænomine ita præfert: *Curtii Rufi incipit liber tertius;* et Vossiano secundo, qui sine ullo librorum vel auctoris indice est. Sed cognomen Palatinus secundus, Leidensis, Vossianus, Codd. optimi et antiquissimi, atque etiam editio Aldi Manutii omittunt, propterque ea non abest suspicio, cognomen illud a librario esse adsutum, haud dubitante, Curtium, cujus meminit Suetonius, in indice excellentium Rhetorum, vel etiam eum, qui apud Tacit. Annal. XI, 20 et 21, occurrit, auctorem esse historiæ rerum ab Alexandro magno gestarum. Attamen Franciscus Modius in notis, quibus Curtium illustravit, ea de re ita prædicat: «Quod Rufi cognomen Curtio asseruerim, in eo adeo culpam non deprecor, ut etiam laudem mihi deberi contendam, quum ad scriptorem non malum, certe in historia, quam memoriæ mandavit, unicum, mea opera quasi postliminio cognomen suum rediit. Et facerem profecto flagitium, si, quum eidem hoc perpetuus veterum librorum consensus tri-

buat, amplius in re manifestaria disputarem.»

Auctor historiæ rerum ab Alexandro Magno gestarum quis fuerit? aut quo tempore vixerit? qua vitæ conditione usus fuerit? prorsus non constat, quia neque ipse satis plane ac dilucide ea professus est, neque æqualium aut ætate paullo posteriorum quisquam Curtii historici mentionem fecit. Fuerunt quidem, qui dulcedine ac nitore styli Curtiani abrepti, atque aurea, ut aiunt, ætate latini sermonis vixisse, esse aliquid rati, nihil haberent antiquius, quam ut Curtium nostrum Ciceronis assererent temporibus, et, neglecta prorsus ipsius Curtii professione, lib. X, 9, 3, eumdem illum esse autumarent, quem Cicero ad Quintum fratrem lib. III, ep. 2, *laudat bonum et eruditum adolescentem*. Sed ea quæ universe de Curtii ætate confirmari posse videntur, et quæ talibus opinionum commentis prorsus adversantur, hæc fere sunt: primum post Livium vixit, nam Curtium studiosissimum ejus imitatorem fuisse, manifesto apparet. Deinde etiam post Quintilianum scripsit Curtius. Ille enim, in recensione omnium scriptorum lectu dignorum ac juventuti studiosæ commendandorum, Instit. Orat. X, 1, Curtii nomen omittere profecto non potuisset, si modo Curtius ætate antecessisset Quintilianum. Itaque probandi potius sunt alii, qui, ipsius Curtii declarationem minime negli-

gendam esse rati, locis duobus Curtianæ historiæ usi sunt, ad definiendam ætatem auctoris. Verum enim vero et his adeo nihil conceptæ temere spei successit, ut ea de re adhuc sub judice lis sit. Si quidem isti loci ita sunt comparati, ut conjectura quædam assequi inde quidem possis, ad dirimendam autem controversiam omnem parum sufficiant. Primus locus exstat, lib. IV, cap. 4, fin. ubi Curtius, de fatis Tyri urbis disserens, addit: «Multis ergo casibus defuncta est, post excidium renata, nunc tamen, longa pace cuncta refovente, sub tutela romanæ mansuetudinis acquiescit.» Alter locus est, lib. X, cap. 9, 3, seqq. «Proinde jure meritoque populus Romanus salutem se principi suo debere profitetur, qui noctis, quam pæne supremam habuimus, novum sidus illuxit. Hujus, hercule, non solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo, quum sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum exstinxit faces! quot condidit gladios! quantam tempestatem subita serenitate discussit! non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium. Absit modo invidia, excipiet hujus sæculi tempora ejusdem domus, utinam perpetua, certe diuturna posteritas.»

Non dubium est, Curtium his verbis ævum suum significare, sed quis fuerit ille princeps? quandoque exstiterit ista nox? hic aqua hæret,

neque adhuc inter viros doctos satis constat. Nam Petrus Pithœus, Bongarsius [1], aliique Principem illum Augustum esse opinati sunt: Ausonius Popma [2], cum Jacobo Perizonio [3], et aliis, locum Curtii imperium Tiberii spectare contendunt: Justus Lipsius [4], Brissonius [5], nec non Tellierius [6], Claudii imperatoris temporibus illum adaptant: Janus Rutgersius [7], Gerardus Vossius [8], Jo. Clericus [9], Loccenius [10], atque denique Freinshemius [11], ad Vespasianum potius referunt: Is. Pontanus [12], Curtium Trajani sæculo remittit: Casp. Barthius [13], eum vix antiquiorem esse ævo Theodosiano statuit. Recentioribus tandem temporibus, eam rem uberius fusiusque tractavit, atque, ut omnem tandem controversiam dirimeret, enixus est vir, quum illustrissimus, tum doctissimus, Joannes Franciscus Josephus *Bagnolo,* Comes Italus, in libro singulari, quem inscripsit; *Della Gente Curzia, e dell' eta di Q. Curzio, l'istorico ragio-*

[1] Not. in Justin.

[2] Not. in Curt. lib. X, cap. 9, § 3.

[3] In Curtio vindicato, p. 3.

[4] Not. ad Tacit. Ann. lib. XI, cap. 20.

[5] De Regno Persarum, lib. I.

[6] In præfat. ad Curtium.

[7] In Variar. Lection. lib. I, cap. 19.

[8] De Historicis Latinis, lib. I, cap. 18.

[9] Artis critic. part. III, sect. II, c. 3, 15.

[10] In dedicatione notarum ad Curtium.

[11] In not. ad Curtii lib. X, cap. 9, § 3.

[12] In epist. 39, 60, et passim.

[13] In ep. ad Jo. Freinshemium.

namento. Prodiit hic liber Bononiæ, 1741, forma octonaria, auctorque Curtium ad Constantinum Magnum reduxit.

Quisque horum auctorum firmissimis argumentis placita sua munire, atque quemlibet in alia omnia discedentem refellere ac redarguere conatus est. Sed tanta illa tantorum virorum dissensio satis arguit, tam periculosa et lubrica res quam habeat deliberationem; atque, ne et ipsi impetu aut temeritate quadam ducamur ad judicandum, opus est, primum ut rite perpendamus, quid loci isti Curtii sibi velint, deinde ut cum cura ac diligentia historiam imperatorum illorum, e quibus quempiam designare potuit Curtius, inspiciamus. Nam, cognitis demum perspectisque vitis moribusque horum principum, bene recteque conjicere possumus, quinam illorum Curtio, felicitatem publicam contemplanti, civibusque congratulanti, ante oculos sit obversatus.

Ad priorem quod attinet locum, IV, 4, fin. equidem inde, quod ad ætatem Curtii definiendam pertineat, nihil extorquere possum, nisi quia Curtius post Severum vixit, quum ista *mansuetudo romana* vix alia esse possit, quam hujus imperatoris, qui jus italicum Tyriis concessit. Cæterum, me judice, locus, quem vocant, communis, minimeque *longa pax* ad imperium Romanum

universum referenda est, sed potius hæc fere voluisse sibi videtur Curtius : Tyrus post excidium renata, nullisque amplius hostibus infestata, cito reviruit, siquidem longa pax cuncta refovet, quidni urbem talem, ad opes recuperandas atque augendas tam opportune sitam?

Plus auxilii locus alter, X, 9, 3, affert, si non ad extricandam veritatem haud dubitandam, ad conjecturas certe capiendas vero simillimas. Scilicet, si, demta verborum translatione, remotisque ornamentis oratoriis, periodum ad proprium et simplicem reduxeris sensum, quinque has propositiones illi inesse videbis :

1°. Curtius non liberis reipublicæ Romanæ temporibus, sed quum jam jam imperatorum dominationi ea pareret, scripsit.

2°. Jam consueverat populus Romanus huic imperio, atque ita consueverat, ut, pristinæ libertatis oblitus, nomina *caput, princeps, dominus* non amplius odisset, sed publice profiteretur, sese in regno esse. Utrumque satis apparet e verbis : « populus Romanus salutem se principi suo debere profitetur », et « quum sine suo capite discordia membra trepidarent. »

3°. Princeps ille, quum ad imperium accederet, rempublicam bellis civilibus oppressam, atque in factiones, quarum capita omnia simul regnum affectarent, dissolutam sedavit, eamque,

ad concordiam et societatem revocatam, rursus ad pristinam gloriam et potentiam evexit. Hoc manifeste significant non modo ea, quæ Curtius initio capitis præfatur, atque unde ad hoc præconium digreditur : « Nam et insociabile est regnum, et a pluribus expetebatur. Primum ergo collegere vires, deinde disperserunt : et quum pluribus corpus, quam capiebat, onerassent, cætera membra deficere cœperunt : quodque imperium sub uno stare potuisset, dum a pluribus sustinetur, ruit »; sed etiam « discordia membra », et exclamationes istæ : « Quot tum exstinxit faces! quot condidit gladios! »

4°. Princeps ille multam et præclaram habuit prolem, unde lætissima affulgeret spes.

5°. Regnum, vel potius potestas imperatoria ita jam corroborata atque inveterata erat, ut populus facile pateretur, atque gauderet, si, jure quodam hæreditatis, filio illa traderetur a patre. Utrumque probatur conclusione illa votiva : « absit modo invidia, excipiet hujus sæculi tempora ejusdem domus, utinam perpetua, certe diuturna posteritas. »

In his quinque propositionibus regula est, qua sola uti debemus ad ætatem Curtii definiendam. Ubi vero ad eam normam virorum doctorum, de quibus modo dixi, opiniones dirigere, easque diligentius perpendere velis, præter sen-

tentiam *Bagnolo*, viri illustrissimi, vix ulla est, quæ satis se nobis probet. Sed videamus de singulis.

Qui cum Pithœo et Bongarsio Curtium, Augusto imperante, floruisse statuunt, omnia argumenta, ex ipsis Curtii verbis desumpta, negligunt, atque ad unam styli elegantiam concinnitatemque, rationem parum sufficientem, confugiunt. Augustus enim princeps ille esse non potuit, qui, ut erat popularis, teste Suetonio (Octavian. c. 53), Domini seu capitis appellationem, ut maledictum et opprobrium, semper exhorruit, dominumque se appellari ne a liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel joco passus est, atque ejus modi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Deinde etiam, quod jam Justus Lipsius [1] vidit, Augustus, quum ad imperium accederet, non exstinxit bellorum faces, sed accendit, non condidit gladios, sed eduxit. Neque etiam istam tempestatem *subita* serenitate discussisse dici potest Augustus, quum civilia bella per duodecim fere annos, ab occisione Cæsaris a. U. 711, usque ad pugnam Actiacam, 723, continuaret [2]. Et quæ, quæso, erat illa nox, quam pæne supremam habuerit populus Romanus, cujusque novum sidus illuxerit Augustus? ubi erat mundus caligans, cui

[1] Ad Taciti Annal. lib. II, not. 64.
[2] Sueton. Octav. cap. 8 et 9.

lucem reddiderit? ubi res publica, quæ, imperante illo, revirnerit? Certe nihil unquam fuit robustius, nihil immensis viribus adeo superbiens, quam imperium Romanum tum, quum Octavianus gubernacula rei publicæ prehenderet. Nam, devictis omnibus gentibus, universi terrarum orbis domina evaserat ita, ut Florus[1] rectissime statuere videatur, si: « dehinc, inquit, ad Cæsarem Augustum, 250 anni, quibus totum orbem pacavit. Hic jam ipsa juventa imperii, et quasi quædam robusta maturitas. »

Ad quartam propositionem quod attinet, Augustus ex Scribonia Juliam, ex Livia nihil liberorum tulit[2], quum maxime cuperet. Nepotes ex Agrippa tres habuit Caium, Lucium et Agrippam, de quibus Caium et Lucium adoptavit quidem, per assem et libram emptos a patre, sed lætum eum, atque fidentem hac sobole, fortuna destituit ita, ut in duodeviginti mensium spatio amiserit ambos, Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis. Tum tertium nepotem Agrippam, simulque privignum Tiberium adoptavit. Ex quibus Agrippam brevi ob ingenium sordidum ac ferox abdicavit, et quid de Tiberio speraverit, vel inde patet, quod ingemiscens sæpius

[1] Prolog. 7.
[2] Suetonius, Vit. Octav. cap. 63 seqq.; Tacit. Annal. lib. I, cap. 6 seqq.

proclamare soleret illud Homeri[1] in se versum :

Αἴθ' ὄφελές τ' ἄγονός τ' ἔμεναι, ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι.

Fuerunt præter ea, qui traderent, Augustum palam nec dissimulanter morum ejus diritatem adeo improbasse, ut nonnunquam remissiores hilarioresque sermones, superveniente eo, abrumperet[2]. Sævam etiam ac lentam naturam, ne in puero quidem latentem, respiciens Augustus hanc emisit vocem a cubiculariis exceptam : « miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit. » Expugnatus precibus uxoris adoptationem ejus non abnuit quidem, eumque hæredem scripsit, sed ita, ut augeretur inde suspicio opinantium, imperatorem necessitate magis quam judicio ea fecisse. Testamenti autem initium fuit : « Quianam sinistra fortuna Caium et Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Cæsar mihi ex parte dimidia et sextante hæres esto. » Atque de homine, quem Augustus non electum unum, quem plurimum diligeret, sed relictum ex omnibus, atque prælatum nequiori, invitus hæredem instituerat, Curtius scripsisset : *absit modo invidia!* etc.

Ausonius Popma, Jacobus Perizonius, et alii, qui ad Tiberii tempora Curtium referunt, meris nominibus potius nituntur atque confidunt, quam auctoritate Curtii ipsius. Scilicet Curtium

[1] Iliad. III, 40.
[2] Sueton. Tiber. cap. 21.

nostrum invenisse putant in Taciti Annal. XI, 20 et 21, et in titulis codd. Mss. libelli Suetoniani de claris rhetoribus, secundum quos Suetonius egerat de L. Cæsetio Pisone, M. Porcio Latrone, *Q. Curtio Rufo*, etc. Eumdem illum nostrum Curtium fuisse minime dubitant, et quum rhetor ille proxime post illos nominetur, qui sub Augusto floruerunt, Tiberio statim illum assignant, suffragante quidem Tacito, l. l., sed vehementer refragantibus argumentis ex ipso Curtio petitis. Nam Tiberius princeps ille non fuit; qui *domini* seu *capitis* titulum æque abnuens atque Augustus, Dominus [1] appellatus a quodam denunciavit, ne se amplius contumeliæ caussa nominaret; qui, ut speciem quamdam libertatis induceret, conservatis senatui ac magistratibus et majestate pristina et potestate [2], etiam prænomen imperatoris cognomenque patris patriæ recusaret, ac ne Augusti quidem nomen [3], quamquam hæreditarium, ullis, nisi ad reges ac dynastas, epistolis addidit, neque hoc alia de caussa, quam quod vereretur, ne mox majore dedecore impar tantis honoribus [4] inveniretur. Quæ autem nox pæne suprema et tum erat, quum

[1] Sueton. Tiber. cap. 27.
[2] Id. ibid. cap. 30.
[3] Id. ibid. cap. 26.
[4] Id. ibid. cap. 67.

principatum reciperet Tiberius? quas faces ille exstinxit? quos gladios condidit, qui summa pacis atque otii tranquillitate imperium est adeptus? idque non vi quæsitum, non occupatum, sed a senatu precante, ad genua procumbente [1], postquam impudentissimo mimo diu illum ludificasset [2], ultro ipsi quasi invitissimo oblatum. Quæ membrorum discordia, quum consules, patres, equites in servitium ruentes [3], unum Tiberium, maturum annis, spectatum bello, natum aptumque unanimo consensu declararent ad imperii tantam molem sustinendam et cuncta regendi onus tolerandum? Seditiones, quæ statim, quum imperium recepisset, in Illyrico et in Germania exoriebantur, minime huc revocandæ sunt; nam illæ non antecedebant ejus imperium, sed sequebantur, harumque faces non exstinxit, sed exstinguendas aliis commisit; atque isti exercitus non tumultuabantur, quum sine suo capite discordia membra adhuc trepidarent, sed mutatus princeps licentiam turbarum ostendebat, et quidam etiam principem detrectabant non a se datum [4]. Præter ea autem, Tiberius ipse adeo nihil fecit ad supprimendas istas turbas, ut trepida civitas incuriam

[1] Tacit. Annal. lib. I, cap. 7 et 11.
[2] Sueton. Tiber. cap. 24.
[3] Tacit. l. l. Conf. etiam Vell. Paterc. Hist. lib. II, cap. 124.
[4] Tacit. Annal. lib. I, cap. 16, et Sueton. Tiber. cap. 24.

ejus incusans conquereretur, « quod dum[1] patres et plebem, invalida et inermia, cunctatione ficta ludificaretur, dissideret interim miles; neque duorum adolescentium (Drusi filii et Germanici fratris filii) nondum adulta auctoritate comprimi posset; ire ipsum, et opponere majestatem imperatoriam debuisse.... An Augustum fessa ætate toties in Germanias commeare potuisse, Tiberium vigentem annis sedere in senatu, verba patrum cavillantem? »

Cæterum rem publicam non deperditam aut oppressam invenit, sed summa cum cura ab Augusto administratam, maximis viribus auctam, immensis opibus nixam, positisque olim armis civilibus, pace diutina recreatam adeo, ut, Tiberio imperante, neque *revirescere,* neque magis *florere* ullo modo potuerit.

Et qua tandem fronte posteritatis diuturnæ domus Tiberiæ exspectationem movere, aut etiam mentionem ejus facere ausus esset Curtius, Tiberio vivo, qui in omne genus crudelitatis adeo eruperat, atque ad teterrima facinora obduruerat, ut in omnes suos crudelissimus semper fuerit? Primum enim scelus novi principatus fuit Postumi Agrippæ fratris cædes[2] : scilicet verebatur, ne regni æmulus ille exsisteret, quum ru-

[1] Tacit. Annal. lib. I, cap. 46.
[2] Tacit. Annal. lib. I, cap. 6 ; et Sueton. Tiber. cap. 22.

mor incessisset [1] paucos ante menses Augustum, electis consciis, et comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam: multas illic utrimque lacrymas et signa caritatis, spemque ex eo, fore, ut juvenis penatibus redderetur.

Filiorum neque naturalem Drusum neque adoptivum Germanicum patria caritate [2] dilexit. Ne mortuo quidem Druso perinde affectus est. Etiam Germanico caussa mortis fuisse credebatur per Cn. Pisonem, legatum Syriæ, eamque suspicionem confirmavit ipse postea, conjuge etiam ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis. Morte horum liberorum destitutus [3], ex nepotibus, quorum ex Germanico tres, Neronem, Drusum et Caium, ex Druso unum Tiberium habebat, maximos natu, Neronem et Drusum, senatui commendavit quidem [4], sed mox, omni humanitate exutus, quotidie magis magisque obbrutuit, atque eos non solum omnium criminationibus obnoxios reddidit, variaque fraude inductos, ut et concitarentur ad convicia, et concitati proderentur, sed ipse etiam per litteras eos accusavit [5], amarissime congestis etiam probris,

[1] Tacit. Annal. lib. I, cap. 5.
[2] Sueton. Tiber. cap. 52, et Tacit. Annal. lib. II, cap. 69.
[3] Sueton. Tiber. cap. 54.
[4] Tacit. Annal. lib. III, cap. 29, et Sueton. Tiber. cap. 54.
[5] Sueton. l. l. et Tacit. Annal. lib. IV, cap. 59 seqq.

et judicatos hostes fame necavit, Neronem in insula Pontia, Drusum[1] in ima parte Palatii. Plures aliquanto necaturus[2], ac ne reliquis quidem nepotibus parsurus credebatur, quum et Caium suspectum haberet, et Tiberium, ut ex adulterio conceptum; adspernaretur. Neque id abhorret a vero. Identidem enim Tiberius felicem Priamum vocabat, quod superstes omnium suorum exstitisset. Væ adulatori! cui de isto homine augurari libuisset: *Absit modo invidia*, etc.

Qui præconium, quo Curtius principem suum illustravit, Claudio adaptant, tam perperam agunt, ut mirari satis nequeam, nomina Lipsii, Brissonii ac Tellierii in illis esse. Tanta enim sententiæ ejus est insulsitas, ut refellere eam ac redarguere, vix operæ pretium sit, et qui ita statuere potuerunt, aut Curtii verba prorsus neglexerunt, aut non legerunt, quæ Suetonius, Dio Cassius et Josephus de isto imperatore scripserunt. Matre Antonia ipsa teste[3], non homo, sed portentum hominis, nec absolutus a natura, sed tantum inchoatus, animo simul et corpore ita erat hebetato, ut, ne progressa quidem ætate, ulli publico privatove muneri habilis existimaretur, et diu, atque etiam post tutelam receptam, alieni

[1] Tacit. Annal. lib. VI, cap. 23.
[2] Sueton. Tiber. cap. 62 fin.
[3] Sueton. Claud. cap. 2 seqq.

arbitrii et sub pædagogo esse deberet[1]. Abjecta spe dignitatis ad otium concessit modo in hortis et suburbano, modo in Campaniæ secessu delitescens, atque ex contubernio sordidissimorum hominum, super veterem segnitiæ notam, ebrietatis quoque et aleæ infamiam subiit. Contumeliis ubique obnoxius vixit[2]. Si, verbi caussa, paullo serius ad prædictam cœnæ horam occurrisset, non, nisi ægre et circuito demum triclinio, recipiebatur, et quoties post cibum addormisceret, quod ei fere accidebat, olearum et palmularum ossibus incessebatur; interdum ferula flagrove velut per ludum excitabatur a copreis. Solebant et manibus stertentis socci induci, ut repente expergefactus, faciem sibi confricaret. Talis tamque derisus ab omnibus homo, non nisi mirabili quodam casu ad imperium accedere potuit, atque ita etiam factum est[3]. Exclusus inter cæteros ab insidiatoribus Caligulæ in diætam, cui nomen erat Hermæum, recesserat. Neque multo post, rumore cædis exterritus, prorepsit ad solarium proximum interque prætenta foribus vela se abdidit[4]. Latentem ibi discurrens forte

[1] Sueton. Claud. cap. 5.

[2] Id. ibid. cap. 8.

[3] Sueton. Claud. cap. 10; Aurel. Vict. epit. IV; Dio Cassius, LX init. Joseph. Antiqq. Jud. XIX, 3.

[4] Aurel. Vict. l. l. « deformi latebra latens »; Dio Cass. l. l. *ἐν γωνίᾳ που σκοτεινῇ*; Joseph. l. l. *κατά τι προσβατὸν ὀλίγαις βαθμῖσι χωρίον.*

gregarius miles[1], animadversis pedibus, e studio scitandi, quisnam esset, agnovit, extractumque et præ metu ad genua sibi accidentem imperatorem salutavit. Hinc ad alios commilitones perduxit, a quibus lecticæ impositus et in castra delatus est tristis ac trepidus, miserante obvia turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum inter excubias militum pernoctavit aliquanto minore spe, quam fiducia. Nam consules cum senatu et cohortibus urbanis forum capitoliumque occupaverant asserturi communem libertatem. Accitus deinde per tribunos plebis in curiam, vi se et necessitate teneri, respondit. Postero die, senatu sequiore in exsequendis conatibus, et multitudine unum rectorem exposcente, armatos pro concione jurare in nomen suum passus est; promisitque singulis quina dena sestertia; primus Cæsarum fidem militis præmio pigneratus. Hoc autem modo se præbuit non puer, sed quinquaginta annos natus[2]. Imperator deinde spem, quam movisset, non fefellit. In semet augendo parcus atque civilis, prænomine imperatoris abstinuit[3]. Libertis atque uxoribus addictus, non principem, sed ministrum

[1] Aurel. Vict. de Cæsarib. III, 19, « unus ortus Epiri ex cohortibus, quæ palatium per opportunos locos obsidebant. » Joseph. l. l. Γράτος τῶν περὶ τὸ βασίλειον τὶς τῶν στρατιωτῶν.

[2] Sueton. Claud. cap. 10.

[3] Id. ibid. cap. 12.

egit[1], atque etiam ita eviluit, ut passim et propalam contemptui esset. Expeditionem unam omnino suscepit, eamque modicam[2]. Ex Urgulanilla uxore unum filium Drusum tulit, quem impuberem amisit; unum ex Messalina, quem primo Germanicum, mox Britannicum [3] cognominavit. Sed illo jam adulto, Agrippinæ uxoris artibus deceptus, privignum Neronem adoptavit[4], filio posthabito. Per eamdem Agrippinam veneno deinde occisus est.[5]

Talis erat Claudius imperator. Abunde satis apparet, eum quavis laude indignissimum fuisse, nedum præclaro et magnifico illo elogio, quo Curtius principem suum ornavit.

Sententia Rutgersii, Vossii, Clerici et Loccenii, qui cum Freinshemio ad Vespasianum imperatorem Curtium retulerunt, primo adspectu probabilior multo videtur, sed ubi studiosius eam intuemur, haud ita nobis arridet. Optimus quidem omnique laude dignissimus fuit princeps Vespasianus, deque Tito filio et ipse et universi omnes justissimam foverunt spem. Verum enim vero, quum ad imperium accederet, discordia reipublicæ membra minime trepidabant sine suo

[1] Sueton. Claud. cap. 29.
[2] Id. ibid. cap. 17.
[3] Id. ibid. cap. 27.
[4] Id. ibid. cap. 39.
[5] Id. ibid. cap. 44.

capite. Vitellius enim a legionibus, qui in Germania hibernabant, imperator electus[1], gravi exercitu urbem petierat, et quum Otho ipse se interemisset, a senatu territo legatione[2] salutatus atque receptus, et ab ipso Vespasiano agnitus erat; siquidem exercitus ejus duce præeunte sacramentum Vitellio dixerat[3]. Itaque res publica non erat sine suo capite, quum moris tum esset, imperatorem a militibus eligi. Neque etiam meliore jure Vespasianus ad imperium accessit. Scilicet Mœsiaci exercitus[4] bina e tribus legionibus millia auxilio missa Othoni, postquam iter ingressis nunciatum est, victum eum ac vim vitæ suæ intulisse, nihilo secius Aquileiam usque perseveraverunt, quasi rumori minus crederent. Ibi, per occasionem ac licentiam, omni rapinarum genere grassati, quum timerent, ne sibi reversis reddenda ratio ac subeunda pœna esset, consilium inierunt eligendi creandique imperatoris. Neque enim deteriores esse aut Hispaniensi exercitu, qui Galbam, aut prætoriano, qui Othonem, aut Germaniciano, qui Vitellium fecissent. Propositis itaque nominibus legatorum consularium, quot ubique tunc erant, quum cæteros, alium

[1] Tacit. Histor. lib. II, cap. 87.
[2] Id. Hist. lib. II, cap. 90.
[3] Id. Hist. lib. II, cap. 74.
[4] Sueton. Vespas. cap. 6.

alia de caussa, improbarent, et quidam e legione tertia, quæ sub exitu Neronis translata e Syria in Mœsiam fuerat, Vespasianum laudibus ferrent, assensere cuncti, nomenque ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt. Hoc exemplum statim secuti sunt Ægyptiacus ac Judaicus exercitus. Vespasianus ipse a regni cupiditate minime alienus, Muciani admonitionibus incitatus[1], vatumque responsis monitus[2], civile bellum suscepit, atque ad opprimendum Vitellium copias paratas circumquaque dimisit.[3]

Quonam igitur modo Vespasianus gladios civium condidit? quas faces civilium turbarum exstinxit? — Et nihilo tamen minus non nego, multa esse in Curtii loco, quæ huic opinioni admodum faveant. Sic, verbi caussa, nullus imperatorum fuit, cujus filii omnes ac singulos ad tantam tamque justam spem excitarent, quam Titus, *deliciæ atque amor ille humani generis*. Atque eadem illa spes in caussa erat, cur Vespasianus pater ad imperium capessendum vocaretur a Muciano, regni æmulo, lib. II, cap. 77 Historiarum Taciti, ita concionante : « Ne Mucianum socium spreveris, quia æmulum non experiris : me Vitellio antepono, te mihi. Tuæ domui triumphale nomen, duo ju-

[1] Tacit. Histor. lib. II, cap. 76.
[2] Id. ibid. cap. 78.
[3] Id. ibid. 79; Sueton. Vespas. cap. 7.

venes, capax jam imperii alter et primis militiæ annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit non cedere imperio ei, cujus filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. »

Quæ quum ita sint, equidem in verbis non amplius hærerem, libenterque auctoribus hujus sententiæ accederem, nisi obstaret locus Curtii lib. IV, 4, fin. Me judice enim, Curtius, imperante Vespasiano, de Tyro profecto scribere non potuisset, quæ ibi legimus[1], quum Syria, ad quam tum pertinebat Tyrus, a cladibus belli, quo respublica Judæorum penitus dilabebatur, minime esset immunis. Vid. Josephus. Bell. Jud. II. 19. et passim.

Multo minus vero audiendus est Is. Pontanus, qui locum Curtii ad Trajanum refert, atque in primis præcedentem Vossii, Clerici atque Freinshemii sententiam impugnat. Verum enim vero ridicule facit in refellenda illorum, et temere agit in probanda ac munienda sua ipsius opinione. Scilicet id, quod sagacissimum virum in primis offendit, est, quod Vespasianus ejusque filii non satis diu regnaverint. «Hærebis, inquit (in epist. ad Ger. Vossium scripta) nihilominus æque in illis verbis : *absit invidia,* etc. quod Vespasiani posteritas diuturna non fuerit, et filius ejus Ti-

[1] Vid. not. Cunzii, ad eum locum.

tus annos tantum duos, frater vero Titi, Domitianus, quindecim imperio transegerit.» Quasi Curtius, si Vespasiano vivo scripsisset, prævidere potuisset fata illius domus et vota sua irrita. Eodem ingenii acumine addit : « Estque notandum, quum domus ejusdem posteritatem dicat Curtius, minime ad Vespasianum hoc referendum, cui filii successere, sed optime quadrare in Trajanum, qui ex sua domo ac familia Hadrianum successorem sortitus est.» Quid, quæso jejunius est, tali ratiocinatione? Filius non est successor ejusdem domus nominandus, sed potius consobrinæ filius; ita enim Hadrianus junctus erat Trajano.[1]

Cæterum Trajanus, qui cognomen optimi demeruit, dignus quidem fuisset, quem summis laudibus ornaret Curtius. Justitiæ enim ille, ac juris humani divinique tam repertor novi, quam inveterati custos erat.[2] Sed ea merita non erant, quæ auctor noster verbis extollit. A Cocceio Nerva in filii locum atque partem imperii adoptatus[3], militum furorem motumque bellicum represserat quidem, sed bella civilia, quæ sedaret, nulla erant. Plinius in Panegyrico, cap. 5:

[1] Eutrop. lib. VIII, cap. 4.
[2] Aurel. Vict. epit. XIII, 9.
[3] Id. XII, 16; Eutrop. VIII, 1; Jornandes de regnorum et temporum ratione.

« Talem esse, inquit, oportuit, quem non bella civilia, nec armis oppressa respublica, sed pax et adoptatio et tandem exorata terris numina dedissent. » Hunc locum certe non inspexit Pontanus, quum tamen diligenti lectione libelli hujus Pliniani se jactet, neque scribere erubescat : « Nisi attendere etiam obiter libeat, quam apte verbis Curtii superius recitatis Trajani respondeat imperium, imperiique initium. De quo omnia quæ velim, et fuse ad hanc rem, in illustri illo suo ad hunc principem Panegyrico refert Plinius junior. »

Imperium romanum, quod vitio et inertia Cæsarum quasi consenuerat atque decoxerat, Trajano principe rursus movit lacertos, et præter spem omnium senectus imperii, quasi reddita juventute, reviruit quidem[1], sed filium, cui imperii sceptra relicturus esset, neque naturalem, neque adoptatum habuit. Sunt quidem qui putent Hadrianum adoptionis jure illi successisse, sed solo Vopisco auctore ita statuunt, qui in vita Aureliani, cap. 4, scripsit : « quod Cocceius Nerva in Trajano adoptando, quod Ulpius Trajanus in Hadriano, etc. » Attamen testimonia aliorum huic rei contradicunt. Sic Eutrop. VIII, 3: « Defuncto Trajano AElius Hadrianus creatus est

[1] Florus, prolog. 8.

princeps, sine aliqua voluntate Trajani; sed operam dante Plotina, Trajani uxore. Nam eum Trajanus quamquam consobrinæ filium, vivens noluerat adoptare.» Idem testatur Jo. Xiphilinus in ἐκλόγαις ex histor. Dionis, vita Hadriani, c. 4 : «Hadrianus a Trajano adoptatus non est.» Idemque ex eodem Dione addit : «Apronianus enim pater meus, qui Ciliciæ præfuit, quique res ejus (Hadriani) omnes certe cognovit, mihi singula recensuit, atque illud in primis, mortem Trajani per aliquot dies in occulto fuisse, ut adoptatio procederet, idque ex literis ejus ad senatum cognitum fuisse, quibus literis non ipse, sed Plotina, subscripsit, quod in alio factum fuerat nunquam.» Eadem traduntur ab Ælio Spartiano, vita Hadriani : «Nec desunt, qui factione Plotinæ, mortuo jam Trajano, Hadrianum in adoptionem adscitum esse prodiderint, supposito, qui pro Trajano fessa voce loqueretur.» Adoptionem autem istam sub ipsa demum morte imperatoris esse factam, et inde probatur, quod idem Spartianus, l. l. «quinto, inquit, iduum Augusti die, legatus Syriæ literas adoptionis accepit. Tertio iduum earumdem, excessus ei Trajani nunciatus est.» Quæ quum ita sint, omnis Pontani sententia ad irritum cadit atque rescinditur; nam Curtius vivo et regnante Trajano talia augurari nullo modo

potuit, qualia loco sæpius laudato auguratus est.

Sententia Casp. Barthii, qui Theodosium M. Curtii Principem fuisse opinatur, rationibus non magis idoneis confirmatur. Scilicet caussa, cur ad eam ætatem Curtium detrahat, alia nulla est, quam declamatorium ejus acumen ad Panegyristarum affectiones inclinatum. Ergo in auctore, quem alii, ob styli elegantiam, ad auream latinitatis ætatem evexerant, in eodem illo emunctioris naris homo contrarium olfacit, atque ad æneam ætatem eum detrudit. Quasi ante tempora Theodosii id orationis genus non fuisset, cujus jejunitatem jam abominatur Cicero, cujusque ostentationem sæpius incusat Quintilianus. Deinde Barthius etiam putat, verba quædam Curtii Theodosio potius, quam principum ulli convenire. Illum v. c. fuisse re vera novum sidus, illumque in duobus filiis diuturnam posteritatem suæ domus exspectare potuisse. Ad primum quod attinet, non negandum quidem est, Theodosium rei publicæ afflictæ maximo auxilio fuisse. Aurel. Victor, epit. XLIV, merito eum laudat «propagatorem rei publicæ atque defensorem eximium»; at mala ista, quibus opprimebatur imperium romanum non inde erant exorta, quod sine suo capite discordia membra trepidarent, neque etiam quod civilibus bellis disturbaretur, sed a barbaris et hostibus exter-

nis, Gothis, Triballis, Hunnis, Alanisque tum infestabatur, atque ad eos depellendos a Gratiano Theodosius electus erat imperator. Jornandes, in libro de regnorum et temporum successione: «Theodosius hispanus, inquit, Italicæ divi Trajani civitatis, a Gratiano Augusto apud Syrmium post Valentis interitum factus est imperator. Atque deinde una cum Theodosio regnavit Gratianus annos VI.» Idem testatur et Cassiodorus in Chronico: «Gratianus itaque, quum jam XIV regnasset annis, cum Theodosio regnat annis VI.» Fusius autem eam rem narravit Paulus Diaconus in Historia Miscella, vel potius in additamentis ad Eutropii Breviarium Historiæ Romanæ lib. XI, his verbis: «Porro Gratianus, quum animadvertisset Thraciam, Daciamque tamquam genitales terras possidentibus Gothis Triballisque, atque omni pernicie atrocioribus Hunnis et Alanis, extremum Romano nomini periculum instare, eadem provisione, qua quondam legerat Nerva hispanum virum Trajanum, per quem res publica reparata est, accitum et ipse nihilo mi nus æque ab Hispania Theodosium, faventibus cunctis, apud Syrmium purpura induit, ætatis annos tres et triginta agentem, Orientisque et Thraciæ simul imperio præfecit. Itaque Theodosius Alanos, Hunnos et Gothos incunctan-

ter aggressus, magnis multisque præliis [1] vicit.»

Quæ talia imperii auspicia quonam modo verbis Curtii possint adaptari equidem non video. Bella deinde quidem non movit, sed invenit Theodosius. Debellatis enim hostibus externis, non deerant domestici, verbi caussa, Maximus tyrannus, qui Gratianum interfecerat, Eugenius atque Arbogastes, qui, alius post alium surgentes, fecerunt, ut in ipso demum vitæ fine pacem, quam quæsiverat, nancisceretur. Neque subita ergo serenitate discussit noctem, quam pæne supremam habuit imperium romanum.

Illustrissimus tandem *Bagnolo* in libro supra laudato Curtium Constantini M. συγχρόνον fuisse multis demonstrat, ejusque argumentatio his fere nititur rationibus:

Si respicimus verba, quæ præcedunt Curtii locum sæpius laudatum, inde ab initio capitis noni et quæ observationi subsequenti quasi ansam præbuerunt: «Sed jam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia. Nam insociabile est regnum, et a pluribus expetebatur. Primum ergo collegere vires, deinde disperserunt; et quum pluribus corpus, quam capiebat, onerassent, cætera membra deficere cœperunt, quodque imperium sub uno stare potuisset, dum a

[1] Aurel. Vict. XLIV, 6.

pluribus sustinetur, ruit», vix dubium relinquitur, illam auctori temporum confusionem ante oculos versatam esse, qua Romanorum res publica sub ipsis imperii auspiciis Constantini M. concuteretur. A pluribus expetebatur regnum. Nam Constantius, Constantini pater, atque Armentarius Cæsares Augusti appellantur [1], creatis Cæsaribus, Severo per Italiam, Maximino per Orientem, eodemque tempore Constantinus Cæsar efficitur. Maxentius imperator, dehinc Licinius Augustus, parique modo Alexander apud Carthaginem imperator fit. Simili deinde modo Valens imperator creatur, etc. Idem testatur Eutropius lib. X, 1 seqq.

Tum vere *discordia membra trepidabant sine suo capite.* Quum in hac turba, omniumque rerum eversione Constantius vita decessisset, Constantinus in Britannia creatus est imperator, et in locum patris exoptatissimus moderator accessit [2], exortisque deinde ubique civilibus bellis, victor evasit, atque tandem mira bellorum felicitate solus totum romanum imperium obtinuit. In primis vero Italiam Romamque ipsam minimo temporis spatio sedavit. « Accersitus in Italiam, inquit Bapt. Egnatius (in vita Constantini), ab iis qui Maxentii tyrannidem ferre

[1] Aurel. Vict. 34 et 35.
[2] Eutrop. X, 2; Aurel. Vict. epit. 37.

non poterant, biennio totam Italiam, urbemque Romam pristinæ majestati asseruit. » *Quantam tempestatem subita serenitate discussit!....* Rem romanam in plurimas partes dissolutam atque divulsam quasi conglutinavit atque constrinxit; victis pulsisque Gothis securam reddidit; simul vero pacem internam restituit; legum severitate firmavit; artes bonas, præcipue literarum studia, quibus et ipse deditus erat, nutriit; atque ita factum est, ut *imperium non reviresceret solùm, sed etiam floreret.* Imperatoriam potestatem hæreditatis loco filiis traditurus, simul vero ut negotia publica melius procurarentur, atque ut patre magistro gubernandi artem probe ediscerent, cum filio fratris, Delmatio, prosperrimæ indolis juvene, tres filios, Constantinum, Constantium atque Constantem Cæsares creavit, eosque Galliæ, Orienti, Italiæque præfecit. Inde magna illa et prope explorata diuturnæ posteritatis spes enata est, qua nixus Curtius ita palpatur : *Absit modo invidia, excipiet hujus sæculi tempora ejusdem domus, utinam perpetua, certe diuturna posteritas.*

Dominum populi romani ubique se gessit Constantinus, neque principatum dissimulavit, sed palam ostendit habitum regium gem-

[1] Aurel. Vict. ibid.

mis, et caput exornans perpetuo [1] diademate.

His rationibus rite perpensis, vix dubium relinquitur, conjecturam illustrissimi *Bagnolo* vero esse simillimam. Negandum enim non est, Curtii nulla verba non congruere optime cum imperio Constantini M. Et si ita res se habet, neminem amplius movebit, Curtii nusquam apud veteres mentionem fieri. Mirari etiam desinemus, quæ caussa fuerit codicum manu scriptorum penuriæ, quæ tanta est, ut, quum lacunæ atque corruptelæ omnibus communes sint, recte judicare viri docti videantur, qui ex uno exemplari cætera descripta atque ex uno eodemque manco et mendoso expressa esse omnia autumant. Dudum enim amissa rei publicæ libertate, omnis literarum honos imminui cœperat; pauci imperatorum fuerant, qui ipsi amassent aut suscitassent artes liberales. Quid igitur mirum, si Musæ magis magisque obmutescerent? Præter ea, ut fit in ea temporum iniquitate, antiquiorum opera negligebantur, abjectaque in bibliothecis sepeliebantur, recentiorum respuebantur; codices rarius in dies describebantur, indeque fiebat, ut sensim e manibus privatorum hominum dilaberentur; quæque adessent, antiquiorum plura, pauciora recentiorum, haud ita

[1] Aurel. Vict. 37.

multo post ingruentium populorum immanium barbaries non diripuit, non cum cæteris thesauris prædata est, sed incendio vastavit. Atque hoc profecto summum beneficium numini divino debemus, quod monumenta ista cultioris humanitatis, ne dicam lacera, sed quod omnino illa habemus.

His de Curtii ætate virorum doctorum sententiis spectatis, operæ pretium non videtur esse, ulterius inquirere in opinionem istam; historiam Curtii, scriptoris cujusdam neoterici figmentum esse. Nam adeo insulsam eam, atque ex mero pruritu παράδοξα proferendi natam existimo, ut cum tantorum hominum judiciis istam comparare haud sustineam. Cæterum quam vanæ sint istæ ineptiæ, optime docuit Jo. Chr. Wagenseilius in Pera librorum juvenilium, t. IV, p. 178: « Etsi quacumque de caussa, inquit ille, non occurrit apud antiquiores, qui exstant, Curtii mentio, tamen ii, quorum ætas tria sæcula longe excedit, ejus meminere, ut sic saltem longe ante illa tempora vixisse illum necesse sit. Joannes nimirum Sarisberiensis, Carnotensis episcopus, quem anno 1182 vita excessisse constat, Curtium allegat in Policratico, lib. VIII, 18; Vincentius Bellovacensis, l. IV, speculi doctrinalis, c. 125; Jo. de Vitriaco in gestis Dei, per Francos, p. 1132. Philippus vero Gualterus, Episcopus Insulanus,

(quem nonnulli Sarisberiensis æqualem temporum autumant; alii, ut Vossius de poetis latinis, ann. 1250 claruisse ferunt;) in Alexandreide, sive carmine, quo libris X cecinit res gestas Alexandri, Curtium ad verbum, quantum poterat, *sed sæpius infeliciter* imitatus est.[1]

De Alphonso quoque decimo, Hispaniæ rege, qui sapientis cognomen meruit, et anno 1252 imperare cœpit, Antonius Panormitanus in vita ejus prodit, illum, quum gravi morbo laboraret, remedia medicis frustra præscribentibus cœpisse legere Q. Curtii historiam de Alexandro Magno, adeoque illius dulcedine captum fuisse, ut ex sola lectione sanitatem recuperaverit. Hæc sæpe deinde repetiit verba erumpens : « valeant Avicenna, Hippocrates, et medici cæteri; vivat Curtius sospitator meus! » *Vide infra notam.*[2]

His Wagenseilii verbis postscripsit Fabricius Biblioth. t. II, c. 17: « Petrus Blæsensis, Epist. 101, inter libros in scholis celebres prædicat profuisse sibi frequenter inspicere historias Q. Curtii. Scholas frequentavit Petrus circa annum 1150. MS. codicem historiarum Curtii annorum octingen-

[1] Idem observavit Casp. Barthius LII, 6.

[2] Eamdem rem tradidit Æneas Sylvius, 476, Opp. sed e libro Gratiani de casibus virorum illustrium, p. 20, discimus, hunc Alphonsum, quem sanavit Curtii lectio, fuisse non decimum Alphonsum, Hispaniæ regem, sed quintum, Arragoniæ et Neapolis regem, cognomine *magnanimum*, qui obiit anno 1458.

torum, qui exstat Parisiis, in Bibliotheca Colbertina, laudant *Bernard de Montfaucon*, præfatione ad Palæographiam græcam, et Dan. Maichelius de Bibliothecis parisiensibus, p. 56, *Journal littéraire*, tom. XII, p. 95, 96. Alium Schonhovii, exaratum ante aliquot sæcula, Brugis evolvit Hadrianus Junius. Alius codex antiquus Curtii membranaceus fuit in Bibliotheca Menarsiana, p. 64. Alius e sæculo decimo, qui fuit Bongarsii, est in Bibliotheca Bernensi.»

Equidem his testimoniis nihil addo, nisi locum Donati Acciaioli (Jurisconsulti Florentini, qui obiit Mediolani, anno 1473). Hic præter alia scripsit vitam Scipionis, duce inprimis Plutarcho, ibique laudavit sententiam Curtianam his *Darii* verbis: «*Calamitas hæc* nos admonere *debet* fragilitatis humanæ, cujus nimia, ut ille[1] inquit, in prosperis rebus oblivio est.»

Quum hoc modo incertum sit, quando Curtius vixerit, et quis fuerit; quumque jure ac merito dubitetur, scriptorem rerum ab Alexandro M. gestarum esse, quem Cicero ad Quint. fratr. II, ep. 2, laudat bonum et eruditum adolescentem; vel quem Juvenalis, satir. XI, vehementem oratorem vocat; vel de quo Tacitus, Annal. XI, 20 et 21, aut XVI, 28, loquitur; vel etiam quem

[1] Curtius, lib. IV, cap. 14, § 20; infra pag. 318.

Suetonius in libello de claris rhetoribus inter illustres rhetores refert; vel denique ullum alium, cujus veteres scriptores meminerunt, non habeo, quæ de vitæ ejus conditione dicam. Rhetorices studiosissimum fuisse illum, ex orationibus, quas historiæ suæ inserere amat, satis quidem constat. Utrum vero artem illam professus sit, atque publice docuerit, an otium illi studio suppeditaverit modo privatim, non liquet.

Liceat nunc addere quæ recentior Curtii interpres, *Frid. Schmieder*, in suo ad hunc historicum procemio, disputaverit de ea, quæ agitur, quæstione. Perizonii sententia exposita, hunc in modum pergit:

« Perizonii sententiæ ne prorsus accedam, non tam ea, quamquam non negligenda sunt, quæ *Cunze*, Prolegg. p. 11, contra hanc opinionem scripsit, faciunt, nec omnium, qui exstant, veterum de Curtio historico silentium, quam quidam Curtii ipsius loci. Solet enim, ex more scriptorum posterioris ævi, sua verba flosculis poetarum aliorumque scriptorum aureæ ætatis, ut Virgilii, Livii, ornare. Si adeo reperiantur, quæ e scriptoribus sæculi post Chr. n. primi exeuntis deprompserit, sane antiquior esse nequit. Jam vero tota Amyntæ oratio, l. VII, c. 1., ut et caussa, simillima est illi Terentii ap. Tacit. A. VI, 8; et membra sane aliquot sunt, quæ Lipsio hinc

translata videantur. Jano Rutgersio Curtii locus, l. IV, 4, 7, ex Lucano III, vs. 563, certissime expressus videtur, cujus illum studiosum fuisse, multis ait argumentis probari posse. Præterea alii quoque loci non pauci in Freinshemii Commentariis notantur, ubi Curtii Tacitique et sententiæ et verba sunt simillima. Instar omnium sint duo Senecæ loci, apud quem, Epist. 56, 16, legitur: *nihil tam certum est, quam otii vitia negotio discuti.* Apud Curtium VII, 1, 4 : *Alexander satis prudens, otii vitia negotio discuti,* etc. Apud Senec. Ep. 59, 18 : *gentes ne finitimis quidem satis notas;* ap. Curt. VII, 3, 5 : *nationem, ne finitimis quidem satis notam,* etc. Freinshemio uterque a tertio aliquo mutuatus videtur : sed si aliunde quoque probari poterit, Curtium posterioris ævi fuisse, illa ex Seneca deprompta esse facile concedes. Curtius IX, 6, 17, utitur verbo, *piissimus,* quod nullum esse in latina lingua Cicero, Philipp. XIII, 19, auctor est. Jam vero scriptor Tacito et Seneca antiquior non reperitur, qui illo verbo utatur. Frequentius est apud Ausonium. Vox *sagittandi,* VII, 5, 42, in antiquiore, quam Justinus est, non legitur. Quintil. Instit. Orat. X, 1, quamquam ipse fatetur plures legendos esse, quam a se nominentur, Curtium tamen, si antiquior esset, inter eos, quorum lectione juvenes dicendi facultatem confirmare pos-

sent, vix potuisset tacere. Apud Curtium VI, 11, 18, Philotas duces Alexandri, quibus coram torquebatur, finem quæstioni fore, per Alexandri salutem jurare jubet. Ubi Raderus notavit : « per genium, seu τύχην regis, aut Cæsaris, jurabant veteres pagani, per principis salutem christiani, ut docet Tertull. Apologet. c. 32 : juramus, sicut non per genium Cæsarum, ita per salutem eorum quæ est augustior omnibus geniis. Arcad. et Honorius, l. 41. Cod. de Transact : qui nomina nostra placitis inserentes, salutem Principum confirmationem initarum juraverint esse pactionum, etc. » Jam suspicio exoritur, quarti sæculi fuisse Curtium, et fortasse Christianum. Nec sine caussa, si et hæc consideraveris. Nulli imperatori superstitio, qua maxime multitudo regitur, negligenda est; ergo et ab Alexandro in quavis re, vel magna, vel dubia, vates haruspicesque consulebantur; nec quidquam solemnius erat in republica romana et sub primis imperatoribus. Quantum vero Curtius Alexandrum indignatur vates consuluisse, quæ sane res Tiberio æqualem non movisset! Jam eum *non intactum* dicit *ea superstitione mentis*, ut vates consuluerit, l. IV, 6, 12; jam *vates adhibere cœpisse a superstitione animi*, l. V, 4, 1; jam *superstitionis non potentem fuisse*, l. VII, 7, 21, et 7, 8 : *quum post Darium victum hariolos et vates consulere de-*

siisset, rursus ad superstitionem humanarum gentium (sic Codices, *mentium* receperunt editores ex conjectura Palmerii) *ludibria* (quo vocabulo alio loco artis magicæ vanitatem notat) *revolutum esse.* .... Quam aspera quoque voce invehitur Curtius in mythos Græcorum innoxios et immerentes, mythum de Nymphis, Marsyæ amore retentis, inscito vocabulo, *poetarum mendacium appellans*, l. III, 1, 4; et alio loco, lib. VIII, 10, 12: « *inde*, scribens, a monte Mero, Græci *mentiendi traxere licentiam*, Jovis femine Liberum patrem esse celatum. » Quæ formulæ sane Christianum magis decent, quam antiquiorum aliquem, hisce mythis a pueritia imbutum. Hæc vero omnia, quamvis ad ætatem Curtii definiendam non sufficiant, monent tamen, ne simpliciter Perizonio credamus. Possunt adeo ad J. F. J. *Bagnolo*, Comitis, sententiam, in libro, *della gente Curzia e dell' età di Q. Curzio l'historico ragionamento*: *Bononiæ*, 1741, 8°, publici juris factam, propensiores reddere lectores.

Exposita Itali Comitis sententia, quam e Cunzio nos explicavimus, quædam opponit *Schmieder*: « Hæc, inquit, conjectura recentissimo editori vero simillima videtur, sed ipsa quoque, quæ reprehendi possint, habet. Constantinus Augustus appellatus est anno post Chr. n. 306. Solus Imperator factus post Licinii mortem, anno 323.

Subitane igitur *serenitas* appellari potest, quæ post XVII tandem annos tempestatem discussit? *Faces exstinxisse, gladios condidisse* is tantum dici posse videtur, qui salubri ratione, ne bellum jam paratum geratur, cavet. Quot vero prælia commisit Constantinus, antequam Imperator erat solus?..... Reliquarum sententiarum nulla firmioribus nititur argumentis, indeque ætatem Curtii ignorari palam est. Non unus Q. Curtius passim apud veteres commemoratur, ex quorum numero utrum noster fuerit, incertum est; de Curtio historico ante sæculum decimum ubivis est altum silentium. Inde factum est, ut eum quidam adeo negarent antiquum esse scriptorem, suppositum potius ab Italo recentioris ævi. Sed præterquam quod Codices, qui supra septingentos et octingentos annos habere creduntur, exstant, aliis quoque argumentis illa sententia refutari potest; nec fuerunt inter viros doctiores, qui in eam abire mallent.»

Nec sane ego, licet non unus e doctioribus, in eam abirem; illi potius, quam *Bagnolo* et *Cunze* exposuere, annuerem. Cæterum, dijudicet ipse eruditus lector. Pauca nunc de hac nova editione dicere fas sit.

Multi quidem et doctissimi viri operam suam in illustrando Curtio navaverunt; quorum si celeberrimos modo enuntiare libuerit, Freins-

hemium, Heinsium, Salmasium, Gronovium, Henricum *Snakenburg*, Joachimum *Cunze*, Fridericum *Schmieder*, aliaque non inferioris famæ nomina reperire erit. Quæ quum ita sint, haud ægre conjicere possis parum mihi laboris superfuisse, quo textus emendatior, et phrasium vocumque interpretatio lucidior pleniorque fieret. Si quid tamen mendosi inerat, illud, qualecumque foret, sustollere; si quid desiderabatur, hoc addere conatus sum. Schmiederi commentarios fere ad verbum integros dedi, et quasi fundamentum habui, quibus cæterorum measque ipsius notas superstruerem, omissis tamen auctorum nominibus, nisi quum, ob singulares in utramque partem sententias, plane necesse esset. Quum enim ea tantum quæ notatu digna mihi videbantur seligere, et mista inter se connectere voluerim, difficile erat suum cuique reddere. Cæterum periti, quibus vulgaris est commentatorum usus, varios auctores haud ægre dignoscent; indoctis, quid meum, quid aliorum sit, distinguere minimum interest. Temporum locorumque scientiam, geminum illud historiæ lumen, duo amplissimi tractatus illustrabunt, nihilque in notis lectores invenient, quod ad id pertineat. Snakenburgianum indicem vocum, et nominum totum tenebunt. Tractatum de Alexandri historicis additum esse supra præmonui; at præ omnibus ad id

incubui, ut Alexandri Magni *critica* historia, quanta sit, in hoc libro reperiri queat.

Omnes rerum Macedonici regis enuntiatores, apud Græcos Diodorum Siculum, Plutarchum, et Arrianum; Justinumque apud Latinos, cum summa diligentia evolvere; quando inter se, aut cum Curtio congruunt, eorum collatis testimoniis historiæ fidem confirmare; quando in aliqua parte differunt, varias sententias ponderare; quid in quaque valeat, quid claudicet, indicare; nihil, non apud eos modo, sed apud philosophos, oratores, poetas tum veteres, tum recentiores præterire, quod ad publica facta intimamque Alexandri mentem dignoscendam prodesse possit; ea omnia digerere, admotis illis philosophiæ facibus, quas nostra patrumque nostrorum ætas cum tanta laude historiæ intulit; hanc Alexandri Magni *criticam* historiam voco : hoc in notis atque excursibus pro meis viribus absolvere volui, salva tamen in omnibus brevitatis lege. Hujus tamen laboris quodcumque sit non sane meum appellaverim; maximam contra partem debere libens profitebor tum prioribus Curtii commentatoribus, tum eruditis viris qui ad ornandas et amplificandas Alexandri res gestas studium suum contulerunt, interque cæteros doctissimo libro; *Examen critique des historiens d'Alexandre, par Ste-Croix*, absolutissimo qui-

dem, nisi longior prolixiorque foret; Arrianoque illi quem gallice transtulit *P. Chaussard*, notisque acuminis et sani judicii plenis amplificavit. Multa quoque alia e nostris scriptoribus deprompsi; non oblitus enim novam hanc Latinorum Classicorum Collectionem eo præcipue nomine esse notandam, et a cæteris quas Germani, Angli, Batavi dedere distinguendam, quod Gallico regi nuncupata, e Gallicis prelis emissa, Gallis inprimis destinata est, quicquid in nostratibus cujuslibet generis scriptoribus inveni quod ad Alexandrum spectaret, aut e quo opportuna similitudo oriretur, hoc in ipsa vernacula lingua transcripsi, nisi quum locus longior esset, ne sententiarum acies hebesceret, aut verborum proprietas desideraretur, ubi in aliam linguam sententiæ verbaque transirent.

Quicquid de Curtio superest dare voluimus, sed non utile credidimus typis committere, tum supplementa ea libri decimi quæ in quodam codice bibliothecæ Ducalis Guelpherbytanæ reperiuntur, tum epistolas Curtio suppositas. De istis supplementis hæc habet *Cunze* in suo proœmio, pag. 55.

« In bibliotheca Ducali Guelpherbytana, inquit, exstat liber decimus historiæ Curtianæ in membrana scriptus, et, uti videtur, satis quidem antiquus, sed vitiis scatens, et suppletis omnibus

lacunis, quæ in cæteris exemplaribus occurrunt, ita vero suppletis, ut opus inconsideratum indocti cujusdam librarii facile agnoscas. »

Quod ad epistolas attinet, transcribere satis, quod de iis censuit vir summæ doctrinæ Jo. Fr. Gronovius in elencho antidiatribes Mercurii Frondatoris, p. 99 : « Quis æstimabit scriptum nihili, cui docti viri nomen adscribitur? Quis epistolas Q. Curtii, Pauli et Senecæ amœbæas, otiosorum et putidissimorum hominum figmenta miratur, quia illustria nomina præferunt? » Si quis tamen quid denique sint noscere velit, sciat eas prodiisse adjunctas editioni historiarum Curtii, Venetæ, 1502; quod discimus e bibl. Barberina. In bibl. Kielmanniana epistolas illas, Curtii nomine editas primum Regii Lepidi, 1500, 4°, ab Ugone Rugerio, sive de Rogeriis Regiense, dominante Bononiæ Joanne II, Bentivolo traditur. Paucis foliis constant, divisæque sunt in libros quinque; venditantur autem scriptæ non a Q. Curtio historico, sed a Curtio longe vetustiore, duce Romano variisque aliis Romanorum et Carthaginiensium ducibus, et Senatus Romani nomine ad Curtium, et nomine Fabii, Lucii, Papyrii Consulis et Decemviri, Hannibalis, Persici, Hasdrubalis, Ariolorum, Faustini, Iambuli, Posthumii Decemviri, Quintiani Procos. Valgarii, Eulibii, Portii, Portiæ, Sertorii, Alethis

regis Corinthi, Cincinnati, Histilii, Numæ Pompilii, Sertorii, Viridiani, Ennii Montani, Masinissæ, Manlii Torquati, Alexandri, Bruti Consulis primi, Livii, Sextii, Antoniani, Appii Claudii, Pampiniani (Pompeii) Magni, Julii, Catonis Uticensis, Parthici majoris, Fabii Max. M.' Curii, Fabricii, M. Attilii Reguli, Fulvii, Metelli, M. Marcelli, Samnitium, Scipionis Africani, Sulpicii Auguris, Cambii adolescentis, Corneliæ, Lupii Liribii. Libro quarto præfigitur oratio brevis contra assentatores et detractores. In MS. Bongarsiano apud Bernenses e sæculo XV, reperiuntur harum epp. libri tres, quarti autem tantum prima et secunda, deinde tres aliæ varii argumenti. Vid. Sinneri Catal. bibl. Bern. p. 361.

Hæc e Jo. Alb. Fabricii bibliotheca Latina a Jo. Aug. *Ernesti* auctius edita, tom. II, cap. 17, transcripsi.

Textum ad fidem Codicum regiæ Parisinæ bibliothecæ recensui; variasque lectiones, si quid dignum videbatur, quod memorarem, notis ipsis adjunxi. Duos præcipue, qui inscripti sunt 5717, 5718, antiquissimos quidem et valde inter se similes integros legi. Unum eorum eumdem esse credo, quem commendant, *Bernard de Montfaucon*, præf. ad Palæogr. Græc., p. 3; Dan. Maichelius, de bibliothecis Parisiensibus, p. 56; *Journal littéraire*, tom. XII, pag. 95, 96; et *annorum*

octingentorum esse dicunt. Ambo multas lectiones referunt iis, quas dant Vossiani 1 et 2, Bongarsianus, Palat. 1, 2, in editione Snakenburgiana, admodum consentaneas. Quasdam ex his lectionibus in textum recepi, quem ad fidem Codicum redigere, et omnibus conjecturis quam maxime liberum habere volui. (Vide supra, pag. xxxv.)

Sed his nostris Codicibus idem, quod cæteris, accidit, nempe ut non solum duo priores libri integri desiderarentur, sed etiam ut passim et ipsis, ut ita dicam, libri visceribus innumera vulnera inflicta sint. De quibus sanandis ex ipsis Codd., quum docti viri jamdudum desperassent, quidam, ea, quæ amissa erant, ex ingenio suo restituere conati sunt.

Sic editioni Lugdunensi anni 1615, adjuncta sunt supplementa, descripta e bibliotheca Sancti Victoris, a Jo. Massono Baiocensi, in Neustria, archidiacono, Papyrii fratre, quorum auctorem fuisse *Franc. Petrarcham* notavit Jos. Scaliger, in Scaligerianis, p. 61. — *Quintianum Stoam* libros Curtii supplevisse narrat Jo. Freinshemius, ex Antonio Possevino et Jac. Gortonio, qui respexerant sine dubio libellum pretii nullius, Venetiis, 1555, hoc titulo editum : *Q. Curtii Rufi Historiarum Alexandri Magni, duo priores libri hactenus desiderati.* Sed Stoam supplementa Curtii scripsisse, negat *La Motte le Vayer, Juge-*

ment sur les anciens historiens, tom. I, p. 376. — *Cristoph. Bruno* deinde Curtium supplementis auxit, eaque editioni suæ præmisit, quæ Basileæ prodiit, 1545, et subinde repetita est. — *Henr. Glareanus* tum notis suis illustratum edidit Curtium, Basileæ, 1575, nova distributione Curtii in libros XII, et supplemento lib. I, ex Arriano, lib. II, e Diodoro addito, necnon et argumentis singulis libris præmissis. — Nisu majori successuque prosperiori eamdem denique aggressus est rem *Jo. Freinshemius*, qui non solum librorum Curtii defectum longe luculentius, doctius et plenius supplevit; sed etiam totum opus, accuratius recensitum, aptius commodiusque distinxit, ac varietate lectionis, commentariisque doctissimis, necnon et indice locupletissimo ornavit. — *Cristophorus Cellarius* tandem, quum sterilitatis Brunonem, prolixitatis Freinshemium incusaret, supplementa hujus breviavit et contraxit, atque ita Curtium tabulis geographicis auctum edidit, anno 1688.

Inter eos omnes, Freinshemium elegi, qui iterum typis mandandus curaretur. Quamvis enim huic hyperbolicæ sententiæ non assentiar, quam *Le Tellier* in sua præfatione enuntiavit : « Freinshemium scilicet Curtio supplementa confecisse, tanta fide ac diligentia, tam felici industria, ut propemodum optabilis jactura sit, quam ille

tam opportune resarserit;» fatendum tamen est, illum pleno facilique sententiarum verborumque tractu fluere, Curtianamque copiam, elegantiam, suavitatem interdum redolere. Nec tamen omnis est extra culpam. Multa sane facta retulit, sed quæ nonnunquam laxioribus nec satis aptis inter se vinculis cohærent. Quædam in eo occurrunt, quæ non sane in Curtio, si integer superfuisset, reperires : illud, exempli gratia, Alexandri ad Hierosolymam iter, quod etiam apud Josephum in dubium revocatur, quodque ipse, minime ignoscendo errore temporum, non suum in locum transtulit. Nec minus vituperandus, quum Arriani verba Curtio accommodans, eum Aristobuli Ptolemæique vestigiis institisse fingit, cui Clitarchum, Onesicritum et cæteros hujusce generis historicos auctores fuisse constat. Utut se res habet, in his supplementis Alexandri ortus et pueritiam; Philippum inter ludos sicarii dextra ademptum; bellum adversus Illyrios, Triballos, Thracas; Thebas solo æquatas; transitum in Asiam; pugnam ad Granicum; Memnonis mortem; cætera denique reperies, quæ ex Curtio invida ætas sustulit.

Hic præfationem illam, quæ multis jam longior forte videatur, clauderem, nisi quædam de mappis æneisque tabulis, quibus nova hæc Curtii editio amplificatur, dicenda superessent. Quum

hujusce latinorum classicorum collectionis editor nihil antiquius habuerit, quam ut eam omnibus numeris absolutam efficeret, nullique impensæ laborive pepercerit, quo tale propositum assequi posset, operæ pretium esse existimavit, si hanc quoque Curtii editionem mappis tabulisque augeret, quas opus ipsum postulat, quibusque adornantur scripta, quæ, viginti abhinc annis in Galliis edita, de Alexandro magno tractavere. Harum igitur æneos archetypos, qui adhuc supererant, sibi ære suo comparavit; illos, qui desiderabantur, iterum excudendos curavit. Nec sane mirabitur lector, si in hunc auctorem impensas egerimus, quum nec unus sit ex aurea illa latinitatis ætate, nec inter primos historicos annumeretur. Herois enim potius quam scriptoris nomen ad id impulit, ut nihil intentatum relinqueretur, quod novum decus huic historiæ addere posset; utque in notis, dissertationibus, excursibus, nihil omissum est, quo illustrarentur, non ea solum quæ ad nostrum scriptorem, sed omnia quæ ad cæteros Alexandri præcones pertinerent, ita in tabulis et mappis Curtium minus quam Alexandrum spectavimus. Decem igitur tabulas addidimus.

Prima quidem topographiam præbet Thebarum in Bæotia, quales, collatis veterum scriptorum testimoniis et reliquiis, denuo ædificavit vir

doctissimus *Barbié du Bocage*. Illius opus magnam lucem affert in hujus urbis obsidione describenda, ut eam legere est in Arriano, Diodoro, supplementisque Freinshemii : pertinet ad paginam 46 hujus voluminis.

Idem egregius ille vir, jam a me laudatus, cujus nomen nunc veteris geographiæ doctrinis eo modo inhæret, quo Quintiliani nomen arti oratoriæ, Halicarnassum in Caria delineavit. Magni momenti est in Alexandri historia Halicarnassi obsidio, quod urbis illius defensor, Memnon, solus inter omnes Persarum duces dignus fuit cum quo Alexander congrederetur. Sed hoc quoque, ex Arriano desumptum, in Freinshemii supplementis invenies, pag. 86.

Ad nostrum auctorem propius spectat prælii ad Isson ichnographia, qua pugna illa descripta est, ut nos ipsi eam ex Arriano Polybioque restituimus, in excursu III ad librum III. Hæc quidem in gallica Arriani translatione occurrebat, sed rudem in modum incisa. Ad tantum perfectionis gradum progressa est ars cælandi, ut necesse esse judicaverimus eam levioribus delicatioribusque lineamentis depingendam curare; ut videre est, pag. 198.

Sed mappæ auxilio duæ præcipue urbes indigebant : Tyrus nempe et Alexandria; illa, quam obsidio tam longa et in tanta rerum varietate

terra marique versata; hæc, quam commercii cum toto orbe societas, suorumque regum nomen memorabilem præstitere. Tyrus delineatur, p. 224; e regione littus omne Phœniciæ videre est, dirutam Palætyri sedem, et inter insulam continentemque, molem illam quam exstruxit Alexander.

Triplex Alexandria, qualis sub Macedonibus, Arabibus et Turcis exstitit, depingitur, pag. 350; triplici quoque nota distincta. Quicquid ad veterem Alexandriam pertinet punctis delineatur, et nomina italico charactere scripta sunt: quicquid ad Arabicam, recta linea, et romano charactere scripta nomina: quicquid ad recentiorem, umbris distinguitur, et majori charactere, aut obliquo, aut recto (*italique, romain, majuscule droite ou penchée*). Priorem expressit idem *Barbié du Bocage;* et alteram unus ex illustribus Gallicorum exercituum ducibus, qui non ita pridem totius orientis populos suarum virtutum miraculis obstupefecerunt.

Quinque aliæ tabulæ in reliquo opere occurrent; de quibus suo loco agemus. Nunc eas tantum nominare libet.

1°. Hephæstionis tumuli ichnographia. Ad decimum Curtii librum pertinet, et secundum Diodori descriptionem delineata est.

2°. Ichnographia currus funebris quo Alexandri corpus Alexandriam est vectum. Ad eumdem

librum pertinet; Diodorusque, qui eum descripsit, hæc omnia ex Ephippi Olynthii opere extraxisse videtur, quo de Hephæstionis et Alexandri exsequiis agebatur.

Has tabulas publici juris fecerat vir cl. *Quatremère de Quincy;* dissertatiunculas, quas iis addidimus, ipse magnam in partem emendavit et correxit; et, pro sua humanitate, omnia nobiscum communicavit, quæ ad eas illustrandas conducere poterant. De his copiosius ad calcem libri decimi.

3°. Pugna ad Arbela, ex antiquo marmore numidico; in lucem prodiit cum dissertatione viri cl. Æneæ Quirini Visconti.

4°. Alexandri magni effigies, ex marmore antiquo, quo Gallicum Museum donavit vir illustrissimus, *Azara,* Hispaniarum regis in nostra Gallia nuper legatus.

5°. Alexandri Imperii mappa, curante V. C. *Barbié du Bocage;* qua omnia Alexandri itinera delineantur, ex Arriano et Curtio. Subjungitur tractatus de Alexandri itineribu set castris.

Ea sunt, quæ fecimus, adjuvante inprimis V. C. Baron, eruditissimo literarum Doctore in Academia Parisiensi, ut omnibus numeris absoluta sit hæc Curtii editio, Alexandri historiam in omnibus partibus illustret, nec aliis hujusce collectionis voluminibus indigna accedat.

N. E. L.

J. FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM

IN

Q. CURTIUM



LIBER PRIMUS.

Cap. I. Alexandri, qui ademptum Persis imperium in 1
Græciam intulit, vitam atque res gestas plurimi Græcorum
memoraverunt. Ex quibus plerosque operum suorum spec-
tatores, quosdam etiam socios atque ministros habuit[1]: non-
nullos, ut erat avidus mansuræ post mortem gloriæ, ad hoc
ipsum evocavit[2], ut res suas traderent posteritati. Cæterum 2
præter ipsam rerum magnitudinem, innata genti fabularum
cupido effecit, ut eorum complures monstris quam vero simi
liora proderent: fide autem dignissimi videntur Ptolemæus,
qui postea regnavit, et Aristobulus[3]. Etenim exstincto jam 3
Alexandro sua edentibus metus et assentationis caussæ de-
cesserant, quibus fere narrandarum rerum veritas corrumpi
solet: nam Ptolemæum etiam regii nominis dignitatem men-
daci historia polluere voluisse quis crederet? Uterque autem 4
quum multis ad res Alexandri pertinentibus negotiis non in-
terfuerint modo, verum etiam præfuerint; verissima præ
aliis tradere potuisse liquet. Quoties igitur consentiunt, cæ- 5
teris antehabuimus: ubi in diversum abeunt, ex copia

1. Arrian. in præfat. lib. I.
2. Justin. XII, 6, in fin. Confer etiam Fabricii Biblioth. græc. III, 8.
3. Arrian. in præfat.

rerum ea potissimum secrevimus, quæ diligenter inter se
composita proxime ad rerum gestarum fidem videbantur
6 accedere. Quod etiam post ætatem Alexandri alios Græcorum
secutos video, quibus aliqua veri cura fuit, et nuper ex Si-
cilia Diodorum : nam qui ex Romanis animum ad histo-
riam applicuerunt, ii patriis rebus contenti, externa neglectui
habuere : quia victoris populi gesta componentibus neque
majestas rerum deerat, et plus utilitatis allatura videbantur
7 in eadem republica degentibus. Quorum studium ut laude
dignissimum arbitror, sic extra reprehensionem fore con-
fido, si nostris etiam hominibus ostendam eum regem, qui
unus omnium mortalium, intra brevissimum ævi spatium,
8 plurimum terrarum occupavit; quo appareat, non forte ne-
que temere res humanas ferri, sed plerumque fortunam pro
moribus, neque diuturnam esse felicitatem, quæ virtute
9 destituatur. Igitur Alexandrum omnibus ingenii fortunæque
dotibus abunde auctum ornatumque fuisse comperio, qui-
bus fatalem tantæ potentiæ virum oportebat instrui. Genus
ab Hercule repetebant Macedonum reges [1]; Olympias Alexan-
10 dri mater initia suæ gentis ad Achillem referebat. Puero
neque incitamenta exemplaque gloriæ, neque virtutis ma-
gister aut exercitatio deerant; quippe Philippus pater con-
tinuis bellis contemptam ante Macedonum gentem extulit,
et coacta in ordinem Græcia, cunctis formidabilem fecit.
11 Denique non solum operum post se gestorum fundamenta
posuit, verum etiam quum decederet, persico bello intentus,
delectus habuerat, commeatus, pecuniam, exercitum para-
12 verat, et Parmenionis opera jam Asiam aperuerat [2]. Sed in
eo rerum momento subductus est, ut et maxima gerendi
belli subsidia filio, et plenam gesti gloriam relinqueret : qua-
dam fortunæ industria, quam unus hic perpetuo obsequen-
13 tem sibi habuit [3]. Cujus admiratione non postea modo, sed
statim ab initio dubitatum est, rectiusne foret, non per
Æacidas aut Herculem, sed ab ipso protinus Jove, tanto

1. Plut. Alex. 2. Diodor. Sic. XVII, 1. Arrian. III, 3. Pausan. Attic. 1. Vell. Paterc. I, 6. Oros. III, 12.

2. Curt. VII, 1. Diod. Sic. XVI, 91.

3. Curt. X, 5. Vid. quoque duo Plutarchi libros de Alex. Fortuna.

homini divinæ stirpis originem asserere. Ipse quidem, quum 14
Hammonem Lybicum adiret, ejus filium se appellari voluit,
ut postea tFradimus[1]. Cæterum draconem[2] in cubili matris
ejus visum, quem Jupiter induerit, eoque genitum fuisse
Alexandrum multi crediderunt : insomniis etiam, vatumque responsis fidem generis factam : et quum Philippus
Delphos sciscitatum misisset, oraculo monitum, ut Hammonem inprimis revereretur. Nec desunt qui fabulosum 15
id quidem, non tamen adulterium matris falso jactatum
asserant. Quippe pulsum Ægypti regno Nectanebum, non,
ut vulgo arbitrantur[3], in Æthiopas concessisse, sed quum
adversus vim persicam in Philippo maxime præsidium speraret, in Macedoniam vectum, magicis præstigiis illusisse
Olympiadi, torumque hospitis temeravisse. Suspectam qui- 16
dem exinde Philippo, neque aliam tam intimam divortii,
quod inter eos secutum est, caussam, pro comperto postea
fuisse. Etiam quo die Philippus Cleopatram domum deduxerat, Attalum sponsæ avunculum, Alexandro natalium
dedecus exprobrare ausum, ipso quoque rege ex sese genitum
negante[4]. Denique de Olympiadis adulterio non in nostro
solum orbe, sed apud devictas quoque nationes, pertinacem
rumorem obtinuisse. Verum velandæ ignominiæ repetitum 17
ex antiquis fabulis de dracone commentum : idem enim olim
de Aristomene Messenios, de Aristodama Sicyonios jactavisse. Sane apud majores nostros de Scipione[5], qui Car- 18
thaginem prior afflixit, eadem ferme fama fuit : similisque
divinitatis opinionem romani modo principis ortus habuit :
nam de conditore urbis Romulo quid attinet dicere, quum
nulla gens tam vilis reperiatur, quæ sui generis auctorem
non faciat deum, aut deo editum[6]? Cæterum Nectanebi fuga 19
temporibus hisce non congruit : sexennis enim jam erat
Alexander, quum ille ab Ocho victus, avitis opibus excideret.

1. Curt. IV, 7.
2. Lucian. Dial. mort. XII. Solin. 14. Aurel. Vict. in Galerio. Plut. Alex. 2. Just. XI, 11; XII, 16. Dio Chrys. oratio 4.
3. Diod. Sic. XVI, 51. et not. Wess.
4. Just. l. l. Plut. Alex. 14.
5. Liv. XXVI, 19. Sueton. Octav. 94. Valer. Maxim. I, 2.
6. Liv. præfat.

20 Nec ideo minus vanum est, quod de Jove fertur. Ipsa quidem
Olympias, dempto post mariti necem metu, asseverationem
filii Jove se genitum credi volentis irrisisse dicitur, missa-
que epistola petivisse, ne se, nihil tale commeritam, odiis
21 Junonis objectare pergeret [1]. Antea enim ipsa maxime fa-
bulam confirmasse creditur, proficiscentemque in Asiam
Alexandrum monuisse, ut memor originis digna tanto ge-
22 nitore capesseret. Verum tamen ostentis deum variisque
præsagiis inter conceptum editumque partum significatum
fuisse, quantus homo nasceretur, consensu traditur. Obsi-
gnatam Olympiadis alvum annulo, cujus sculptura leonem
23 præferret, per quietem Philippus vidit [2]. Cujus rei memo-
riam servavit Alexandria, quam in Ægypto conditam, ali-
quamdiu Leontopolim appellavere: nam de Alexandri magna-
nimitate et robore somnium illud interpretatus erat Aris-
tander peritissimus vatum, qui postea comes ei hæsit, sa-
24 crisque ejus præfuit. Qua autem nocte Olympias peperit,
maximi per Asiam nominis templum Ephesiæ Dianæ ignis
hausit [3]. Intulerat eum cujusdam hominis perditi furor, qui
comprehensus tortusque, non alia mente id commisisse fas-
sus est, quam ut magno aliquo facinore memoriam sui diu-
25 turnam efficeret. Ergo tam fœdi exempli cladem non istius
tantum ædis damno æstimavere magi, qui tum Ephesi de-
gebant, verum pro majoris ruinæ præsagio habentes, totam
urbem mœstis implevere clamoribus: exortam alicubi fa-
cem, cujus incendio, similem ob caussam, totus olim oriens
26 conflagraturus esset [4]. Forte per idem tempus Potidæam
Atheniensium coloniam Philippus subegerat, quum et Olym-
pia quadrigis se vicisse cognovit, et a Parmenione, quem
in Illyrios miserat, majoris momenti nuntius venit, fusis
ingenti prælio barbaris, Macedonas prospere pugnavisse [5].
27 Exsultanti tam læto ubique votorum exitu etiam de Olym-
piadis partu renuntiatum est; nec dubitavere vates, in-
victum fore, qui inter tot victoriarum palmas nasceretur.

1. Gell. Noct. Attic. XIII, 4, 2.
2. Plut. Alex. 2.
3. Plut. Alex. 5. Cic. de Nat. deor. II, 27. Valer. Maxim. VIII, 14, 10.
4. Cic. de Divin. I, 23. Solin. 43.
5. Cic. l. l. Justin. XII, 16.

Ferunt tot simul prosperarum rerum cumulo attonitum 28
regem, et invidiam deum veritum, oravisse Nemesin, ut
hoc fortunæ obsequium modica aliqua calamitate ulcisci
contenta foret. Proditum etiam est memoriæ, in oppido 29
Pella[1], duas aquilas in culmine domus, ubi puerum enixa
erat regina, tota die persedisse. Gemini per Europam Asiam-
que imperii augurium id fuisse, post eventum facile inter-
pretati sunt. Terram quoque tum movisse, magnamque
tonitruorum fulminumque vim erupisse cælo, auctores ha-
beo. Natus est autem, ut accuratiores tradunt, incipiente 30
Olympiade sexta supra centesimam, prætore Athenis El-
pine, A. D. XII kalend. sextil. quem tum mensem Macedones
Loum vocabant[2]: quo tempore populus romanus quadrin-
gentesimum fere annum agens, vicinorum bellis exerceba-
tur, et subjugando terrarum orbi quotidianis incrementis
præludebat.

II. At Philippus auctus filio, de quo propter oblata tot 1
omina spem amplissimam conceperat, in educationem cu-
ramque ejus omnes cogitationes convertit. Quippe vir pru- 2
dens et amans patriæ nihil monitionibus suis profectum
facile sentiebat, si rebus undique motis, hominem imperi-
tum aut segnem Macedoniæ post se relinqueret; suam quo-
que gloriam haud durabilem futuram, si maximarum rerum
instrumenta, quæ tanta industria parabat, successoris iner-
tia corrupisset. Leguntur inter epistolas ejus, venustatis et 3
prudentiæ plenas, literæ[3], quas tum ad Aristotelem, qui
cum Platone exercebatur, Athenas misit, in hunc fere mo-
dum scriptæ: « Philippus Aristoteli salutem dicit. Certiorem 4
te facio, filium mihi genitum esse: nec perinde diis gratiam
habeo, quod omnino natus est, quam quod te florente nasci
illum contigit, a quo educatum institutumque, neque nobis
indignum spero evasurum, neque successioni tantarum re-
rum imparem. Satius enim existimo carere liberis, quam
opprobria majorum suorum tollentem, in pœnam genuisse. »
Neque fefellit eum opinio; quippe puer Aristotele doctore 5

1. Pompon. Mela, II, 3. Serv. ad Georg. IV, 278.

2. Plut. Alex. 5. A. Gell. XVII, 21.

3 Dio, orat. 2. Gell. IX, 3.

diu usus, ad res in ea ætate gerendas insigne præsidium sibi
comparavit. Sed hæc postea acciderunt : interim constituti
sunt infanti nutritores atque pædagogi, Leonidas Olym-
6 piadis propinquus, et Lysimachus Acarnan [1]. Philippus [2]
nationis ejusdem adjectus, qui valetudinem pueri regeret :
Hellanicæ [3] (Dropidis erat filia, ex illustrioribus Macedo-
num feminis) corporis et morum recta temperie probatæ
7 nutricis munus demandatum est. Hac cura paucos intra an-
nos effectum est, ut jam tum polliceri videretur eum regem,
quem postmodum exhibuit; nam et in puerilibus membris
indomitus eminebat vigor, et eximiæ indolis argumenta æta-
8 tem longe prævenerant. Excellens nativa et genuina venus-
tate corporis [4], cultum aspernabatur [5] : anxiam formæ cu-
ram feminis convenire dictitans, quæ nulla alia dote æque
commendarentur : si virtutis potiri contigisset, satis se spe-
9 ciosum fore. Fuit autem, quum adolevisset, justa membro-
rum proportione conspicuus, artubus robustis, probeque
compactis, vi tamen, quam specie validior; quippe corporis
10 ejus habitus intra proceritatem stetit [6]. Cutem habuit candi-
dam, nisi quod in malis, itemque pectore, grato rubore
suffundebatur : capillum flavum, leniter intortum : nasum
aquilinum : oculos varios, nam lævus glaucus fuisse traditur,
altero nigerrimo. Inerat autem ipsis occulta quædam vis,
ut sine veneratione atque horrore quodam intuentium non
11 adspiceretur. Pernicitate pedum admirabili fuit; quam ut
magnæ in expeditionibus utilitatis, etiam rex non omisit
exercere, sæpeque cum velocissimis suorum cursu certare
visus est : patientia laboris supra fidem eximia; qua sæpe una,
difficillimis temporibus, sibi exercitibusque suis salutem
12 peperit [7]. Exercitationibus crebris, et calidissima corporis
temperie, adeo quidquid vitiosi humoris sub cute colligi so-
let, expugnavit, ut suavem ex ore membrisque exhalaret

1. Plut. Alex. 8.

2. Curt. III, 6.

3. Curt. VIII, 1. Ælian. XII, 26. Arrian. IV, 9, Athen. IV, 2, eam *Lanicem* vocant.

4. Ælian. XII, 14. Arrian. VII, 28. Plut. Alex. 6. Solin. 14. Eumen. Paneg. Constantini, c. 17.

5. Curt. III, 5.

6. Curt. III, 12; V, 2; VI, 5.

7. Curt. V, 6; VI, 6. Plut. de Adul. et amic. disc. 30; de Tranq. anim. 25.

odorem, eoque etiam tunicas, quibus uteretur, impleret: ob easdem caussas, ut quidam putant, ad vinum iramque proclivior[1]. Visuntur adhuc imagines ejus statuæque, sum- 13
morum artificum opera; ne enim vulgarium sculptorum pictorumve temeritate oris sui honor obsolesceret, studiose cavit; pœnam comminatus, si quis injussu suo conaretur. Ergo abundante tum artificum copia, volentem unus Apelles pinxit, sculpsit Pyrgoteles, Lysippus et Polycletus ære duxerunt[2]. Citatiorem gressum Leonidæ vitium fuisse, ferunt; 14
ex ipsius consuetudine id hæsisse Alexandro: quod postea, quum enixe vellet, corrigere non potuerit. Equidem educationi plurimum tribui debere non infitcor; cæterum hoc quidem naturæ potius adolescentis, quam assuetudini deputo: etenim in homine velocissimæ mentis, necessum erat, ut ardorem animi corporis etiam motus sequeretur. Quem 15
adeo non in vitio posuere successores ipsius, ut etiam studiose æmularentur; simul depressiore in lævum collo[3], obtutum ejus vibrantem, et elatiorem vocem imitati, quum animum non exprimerent; quippe plurimorum ex illis longa vita vix quidquam habuit dignum, quod cum hujus pueritia compararetur. Neque enim quidquam aut loquebatur, aut 16
agebat humile, sed dictis factisque par fortunæ suæ, vel etiam supra erat; nam quum esset laudis avidissimus, non undecunque eam affectabat, sed optimis quibusque comparari gaudebat[4]; ingloriam ex vilibus palmam intelligens, tantoque illustriorem victoriam, quanto quos vicisset pluris haberentur. Ergo dicentibus, quoniam cursu plurimum va- 17
leret, debere profiteri nomen suum inter eos, qui Olympicis ludis certaturi essent, cognominis sibi regis exemplo; magnam ea re per Græciam sibi famam comparaturum: « Facerem, inquit, si reges haberem adversarios. » Quoties aut præ- 18
clara aliqua pugna Philippus vicerat, aut oppidum opulentum in potestatem redegerat; lætantibus aliis, ipse haud obscure

1. Plut. Sympos. I, 6.

2. Cic. ep. ad fam. V, 12. Plin. Hist. nat. VII, 37; XXXV, 10; XXXVII, 1. Horat. epist. II, 1, v. 239.

3. Plut. l. l. Id. de Fort. Alex. II, 5.

4. Plut. Alex. 7. Id. de Fort. Alex. I, passim. Pyrrh. 14. Apophth. 28. Herodot. V, 22. Victor. in Caracalla.

indolescebat[1] : exceptaque vox est querentis inter æquales, nihil reliqui facturum patrem sibi ipsisque, quum adolevissent. Quippe deperiturum gloriæ verebatur, quidquid accessisset opibus : nec tam harum possessione, quam istius cupidine movebatur.
19 Somni natura parcissimus, etiam arte vigilantiam adjuvabat : si quid occurrisset, quod seria meditatione dignum videretur, comprehensa pila argentea[2], brachium extra lectum porrigebat, ut in subjectam pelvim illapsa, excitato sonitu, torporem in somnum deficientis discuteret.
20 Deos ab ineunte ætate magnifice coluit[3]. Sacro quodam ita liberaliter thura flammis intulit, ut Leonidas, vir severus et parcus, profusionem istam non ferens, exclamaret, « sic adolebis, quum regiones subegeris, ubi hæc nascuntur. »
21 Cujus vocis memor, quum postea thuriferam Arabiam pacaret, multa odorum talenta misit Leonidæ, cum mandatis, ne posthac in deorum honoribus adstrictior esse vellet, quos intelligeret dona hilariter oblata tam larga manu rependere.
22 Animi sublimis et magna conaturi documenta mature dedit. Persis ea tempestate Artaxerxes, cognomento Ochus, præerat. Eum Artabazus et Menapis satrapæ, Memnonque rhodius, egregius dux, bello lacessiverant[4]; sed potentia regis
23 oppressi, deserta Asia ad Philippum profugerant. His tum Alexander septenni minor mire delectabatur, crebroque de rebus persicis interrogabat, nihil quidem puerile et sordidum, sed quibus maxime firmamentis opes regiæ niterentur[5]? quis armorum usus, quæ audacia viris, quanta equis pernicitas esset? quot dierum itinere Macedonia distaret Susis? quæ regi morum via, quæque exercitatio corporis, atque
24 opinio virtutis foret? Postea, quum deprecante fratre Memnonis Mentore, cujus sororem in matrimonio Artabazus habebat[6], cum exsulibus in gratiam rediisset Ochus, eosque a Philippo repeteret, Alexander legatos eximiæ in tantilla ætate indolis admiratione ita perculit, ut unus eorum in hæc

1. Plut. Alex. 7. Apophth. 28.
2. Ammian. Marcellin. XVI, 5.
3. Plin. Hist. nat. XII, 14, 17. Plut. Alex. 48. Apophth. 37.
4. Diod. Sic. XVI, 52. Curt. VI, 4. Athen. Deipnos. VI.
5. Plutarch. Alex. 7.
6. Diod. Sic. XVI, 52.

verba prorumperet[1]: « Hic quidem puer magnus est rex;
noster vero, dives. » Hæc autem quum merito quidem naturæ 25
suæ debere videretur, haud minus institutioni debuit; nam
pater satis gnarus, quantum Epaminondæ commercium sibi
profuisset[2], quantoque plura eloquentia, quam vi confecis-
set, summa cura incubuerat, ut a tenera statim ætate libe-
ralium artium studiis probe imbueretur. Igitur Aristotelem, 26
magni nominis philosophum, ingentibus præmiis evocatum
perpulit, ut etiam prima literarum elementa puero trade-
ret[3]. Nec abnuit vir doctissimus, quum intelligeret, quantum
esset a principio recte instrui multis imperaturum; frustra-
que contemni pro parvis sine quibus ad majora profectus non
esset. Variis deinde magistris, ut alius alia arte excellebat, 27
usus, non modo mentem egregiis implevit disciplinis, verum
etiam corpus omnis generis exercitationibus, ad usum bel-
lorum, et patientiam laboris edomuit; ne tum quidem va-
cuus, quum otiari videretur, quippe pila, vel saltatione virili,
non tam laxabat animum, quam seriis obsequiis membra
præparabat.[4]

III. Postquam deinde ætas et ingenium paulisper adolevit, 1
jamque severioribus studiis idoneus visus est, revocatum,
qui tum apud Mitylenæos agebat, Aristotelem continuo se-
cum habuit, donec post mortem patris rerum potitus, in
Asiam transjiceret: quo temporis spatio quidquid a tanto præ- 2
ceptore tradi potuit, perdidicit. Cognoscendæ rerum[5] naturæ
tanto avidius incubuit, quanto pertinaciore spe imperium uni-
versi orbis præceperat. Cujus indagationem postea quoque
adjuvit, plane regio et animo et sumptu. Aristoteli, quo na- 3
turas animalium certius atque perspectius commentari pos-
set, tota Asia Græciaque parere jussit[6], quotquot venatu, au-
cupio, piscatuve vitam tolerabant, aut aliquam in ejusmodi
negotiis peritiam assecuti fuerant. Constat in ejus operis im-

1. Plut. de Fort. Alex. II, 28.

2. Diod. Sic. XVI, 2.

3. Quintil. Instit. orat. I, 2. Gell. Noct. Att. IX, 3.

4. Plut. Alex. 72. Athen. I, 15, 19. Dexippus apud Cedrenum. Dio, orat. 2. Suidas, voc. Ορχησις.

5. Diog. Laert. in Aristot. Plutarch. Alex. 11.

6. Plin. Hist. nat. VIII, 17.

4 pensas octingenta talenta philosophum accepisse[1]. Adeo au-
tem cognitionem illam dilexit, ut in eam sumptum faceret,
curamque impenderet, cujus fructum visurus non erat. Post
centum annos capti sunt cervi[2] cum torquibus aureis, quos
addiderat, ut vel posteri cognoscerent, quanta fides habenda
foret iis, quæ de istorum animalium longævitate ferebantur.
5 Sublimioribus quoque disciplinis, quas *acroamaticas* appel-
lant[3], eruditum fuisse, ipsius testatur epistola[4], qua queritur
Aristotelem dignitatem earum evulgatis præceptis profa-
6 nasse. Et ille excusavit, rescribens: ita libros illos esse edi-
tos, ut haberi possint pro ineditis; nec enim quemquam
sententiam ipsorum magnopere percepturum esse, nisi quæ
7 iis continerentur, jam antea didicisset. Idem, quum rhetorica
ab eo exigeret, solicite vetuit, ne aliorum etiam in manus
pervenire pateretur. Neque enim minus honestis artibus,
quam potentia cæteros præstare cupiebat, indignabaturque
8 communicari laudem illam cum humillimis. Medicinæ quo-
que studio imbutum ab Aristotele filio medici, ex gente
9 Asclepiadarum, fidem ipsius epistolæ faciunt. Eam autem
philosophiæ partem, quæ sibi aliisque probe imperare do-
cet, ita coluit, ut magnanimitate, prudentia, temperantia,
fortitudine, quam armis et opibus instructior, tantam im-
10 perii persici molem subruere aggressus censeatur. Ipse qui-
dem prædicavit[5], non minus se debere Aristoteli, quam Phi-
lippo: hujus enim munus fuisse, quod viveret; illius, quod
11 honeste viveret. Ingenium tamen ardens ambitione, nimia
honoris gloriæque prædicatione, quam inter genera bono-
rum referendam esse Aristoteles sciverat[6], elatum fuisse, ut
non modo imperii prorogandi gratia bella ex bellis sereret,
verum etiam deus haberi vellet, quidam non immerito cre-
12 didere. Cæterum non solum imperante Alexandro eximio
honore, maximisque muneribus affectus est Aristoteles; sed
et vivo adhuc Philippo ingens institutionis suæ pretium tu-

1. Athenæus, IX, 13.
2. Plin. Hist. nat. VIII, 50.
3. Plut. Alex. 11. Dionys. Halicarn. ad Amnæum, p. 121.
4. Aul. Gell. Noct. Attic. XX, 5.
5. Plut. Al. l. l. Ethic. IV, 7. Zamos. Analect. antiq. Daciæ, II.
6. Lucian. Dial. mort. XIII.

lerat, impetrato, ut in ipsius gratiam patria instauraretur[1]. Olynthios Philippus acerrimos hostes expertus fuerat; nam 13
vicini Macedoniæ, et potentia hactenus haud impares, ægerrime tulerant, sub rege bellicoso vafroque, regni opes crescere, accolis perniciem aut servitium allaturas. Ergo quo 14
infensioribus animis certatum est, eo asperior victoria fuit; urbem captam direptamque solo æquavit Philippus; cives veniere: in reliqua etiam ditionis eorum oppida sævitum est. Inter quæ Stagiram, unde Aristoteles genus ducebat, par calamitas obruerat. Eam tum regis permissu atque opibus ex 15
integro condidit, restitutæque leges tulit, quibus postmodum usa est. Ita quam stantem florentemque tot fortium virorum manus ab excidio prohibere non potuerant, eam incensam atque dirutam unius civis excitavit ingenium. Quanti 16
autem Aristotelem fecerit Philippus, hinc etiam æstimari potest, quod sæpe filium monuit, ut sub tam idoneo magistro sapientiæ gnavam operam daret; ne mox multa committeret, qualium caussa ipse pudore et pœnitentia angeretur. Igitur postea quoque maximis rebus intentus Alexander, 17
non omisit magistrum venerari; crebroque per literas compellavit hominem, nec disciplinarum modo arcana, sed et morum remedia petiit. Atque ille rescripsit, quibus ipsius 18
atque subditorum felicitati consultum opinabatur, meminisset, tantam ipsi concessam esse potentiam, ut prodesset hominibus, non ut eos læderet: iræ quoque, in quam maxime præcipitem noverat, modum poneret; neque enim irascendum inferioribus: parem autem ipsi esse neminem. Ad pos- 19
tremum tamen animo jam elatior spernere eum cœpit: præsertim quum ob Callisthenis exitum infestum sibi[2], et præter sapientiæ præcepta, etiam vindictæ caussa, ambitionem humanum fastigium despicientis, disputationibus exagitare crederet. Certe paulo ante mortem, Cassandro objecta patri 20
suo crimina purgante, exclamasse fertur[3], Aristotelicæ ver-

1. Plut. Alex. l. l. Id. adv. Colotem, c. 51. Apophth. 28. Ælian. var. Hist. XII, 54. Val. Max. V, 6, 13. Laert. in Aristot. Tzetzes, Chil. VII, 140. Dio Chrysost. orat. 2. Plin. VII, 29.

2. Plut. Alex. 92. Id. de profectu virt. sent. 10; et de laude sui, 19.

3. Plut. Alex. 119.

sutiæ machinationibus instructum venisse, ut justas aliorum
21 querelas fallacibus argutiis eluderet: deinde utrique, si vera
quæ deferrentur comperisset, malum minatum esse, tam
vehementi vultu, ut diu post ejus interitum, quum forte Cassander,
tum rerum in Græcia potens, imaginem Alexandri
Delphis positam intueretur, revocatus in periculi sui memo-
22 riam, toto corpore cohorruerit. Quæ res Aristoteli etiam
magnæ infamiæ occasio fuit: quippe venenum, quo Alexander
periisse creditus est, non alterius ingenio equinæ ungulæ
inditum [1], et Babylonem deportatum, rumor suspicatus est.
23 Adamavit et musicam, eique seriam initio operam dedit,
donec contumeliosa interrogatione patris, « ecquid puderet
tam scite canere? » velut artem suæ majestati indecoram,
24 negligentius tractare cœpit. Quo quidem tempore magistro
chordam quamdam ex artis præscripto pulsare jubenti, « quid
autem referat, inquit, si hanc pulsavero! » in aliam intendens
digitum [2]. At ille, nihil referre futuri regis, futuri autem ci-
25 tharœdi referre, respondit. Delectatus deinceps est masculo
cantu, quum molles fractasque modulationes ut perniciem
morum aversaretur. Quo nomine maxime amplexus est Ti-
26 motheum [3], artis ejus professione celebrem. Ille enim accommodata
ad ingenium illius scientia, modo, quem *Phrygium*
appellant [4], ita aliquando eum rapuit, ut tamquam divino instinctu
exardesceret animo, et, velut propinquo jam hoste, ad
27 arma capienda prosiliret. Eloquentiæ etiam sub Anaximene
lampsaceno studuit: quæ res postmodum incolumitatem urbi
attulit, quum Persarum opibus studentem Alexander diruere
28 constituisset. Conspicatus enim Anaximenem [5] extra mœnia
prodeuntem, nec dubitans, quin pro patria deprecatum venisset,
Græcorum deos testatus est, non facturum se quod
petisset. Quo audito, callidus ille rogavit, ut Lampsacum
dirueret. Ille, et jurisjurandi religione adstrictus, et magis
etiam præceptoris olim sui sagacitate delinitus, gratiam delic-

1. Curt. X, 10. Arrian. VII, 27. Plin. H. n. XXX, 53. Plut. Alex. 123.
2. Ælian. l. l. III, 32.
3. Suidas, voc. Τιμόθ.
4. Dio, pr. orat. 1. Plutarc. de Fort. Alex. II, 5.
5. Pausan. VI. Valer. Maxim. VII, 3, 14. Suidas, voc. Ἀναξιμ.

torum Lampsacenis fecit. Comœdos, ut instituto suo parum 29
congruentia tractantes, corrumpendisque moribus natos,
contempsit[1]. Neglexit et pugiles, quamquam maximi tum
in Græcia fierent: forte quod otiosos et saginæ addictos, va-
lida membra spectaculorum potius ludibriis, quam patriæ
necessitatibus commodare, non probabat. Reliquas artes[2], 30
etiam quas ipse non attigerat, impense fovit. Unde ex toto
fere orbe passim ad ipsum confluebant, quicunque insigni
aliqua peritia præcellere sibi videbantur: eique vel ingenii
sui monumenta dedicabant, vel exhibito artis suæ speci-
mine, a munificentissimo regum, et cujus animo fortuna res-
ponderet, immensas plerumque divitias [3] consequebantur.
Etiam quos procul positos præclara eruditio aut virtus com- 31
mendabat, iis ingentia munera ultro largiri consueverat.
Igitur tantus ea tempestate doctorum atque solertium ho-
minum proventus fuit, ut vix ulla ætas bonis artibus copio-
sior exstiterit. Solent enim ingenia moresque componi ad 32
principum mentem; omnisque fere temporum inclinatio
regnantium infamia, vel decus est.

IV. Ex veterum monumentis nihil antehabuit [4] Homero, 1
quem unum omnem sapientiam, qua imperia constant, op-
time complexum esse autumabat: adeoque eum cordi habuit,
ut græco cognomento *amator Homeri*[5] diceretur. Libros ejus 2
semper secum ferre solitus, etiam quum quiesceret, una cum
pugione sub cervicali reponebat; militiæ suæ viaticum, et
institutionem bellicæ virtutis appellans; Achillem prædica-
bat felicem, quod tantum virtutis suæ præconem invenis-
set[6]. Reperto inter damascenam prædam materiæ curæque 3
exquisitissimæ scrinio, et disquirentibus amicis, cuinam
usui convenientissime destinaretur? ipse, « Homero, inquit,
dedicabimus, ut pretiosissimum humani ingenii monumen-

1. Plut. Alex. 7. Id. de Fort. Alex. orat. II, 4. Id. in Phoc. 120. Quintil. Instit. II, 20.

2. Plut. cont. Colotem, c. 50. Idem, de Fort. Alex. II, 1 et 4.

3. Plut. Alex. 70.

4. Plut. Alex. 12. Cicero, pro Archia poeta, 10, 24. Vopisc. vit. Probi. Dio Chrysost. tota orat. 2.

5. Strab. XIII, p. 594, edit. Casaub. Eustath. ad Iliad. β.

6. Plut. Alex. 25.

4 tum, elegantissimo etiam opere servetur[1]. » Inde obtinuit,
ut emendatissima poetæ editio, quam magna cura compara-
verat Alexander, *e narthecio* vocaretur: quippe scrinium il-
lud, quum adhuc Persarum esset, unguentis et odoribus
5 asservandis serviverat. Quidam prospere gestæ rei nuntius,
quum citato cursu ad eum ferretur, dextramque porrigeret,
vultu maximæ lætitiæ notas præferente, « Quid mihi nuntia-
turus es tanto gaudio dignum, inquit, nisi forsan Homerus
6 revixit! » Sed tum eo jam felicitatis pervenerat, ut propemo-
dum exsatiatæ gloriæ nihil deesse putaret, præter idoneum
buccinatorem. Crebra autem lectione totum fere edidicit,
ut nemo neque promptius eo familiariusque uteretur[2], ne-
7 que exactius de eo judicaret[3]. Ex omnibus autem ejus car-
minibus maxime probabat versum, quo boni simul impera-
toris robustique militis laudes Agamemnoni[4] tribuuntur,
eumque præcipuum virtutis incitamentum, et veluti morum
8 suorum magistrum habuit. His itaque disciplinis imbutus,
summæ fortunæ vim atque dignitatem egregie tutatus est;
superbia et licentia, qua quidem sola principes agunt, abs-
9 tinuit. Cultu curaque corporis haud multum supra privati
modum eminens[5], virtute potius quam vestium ornatu an-
teire suos, imperatorium censebat: hilaris, humanus, affa-
bilis, ut tamen contemptum excluderet; vino deditus, sed
citra ebrietatem[6]; nam si otium nactus esset, sermonibus
10 magis quam compotatione tempus extrahebat. Voluptates ita
contempsit, ut matri curam injiceret, ne plane ad generan-
dum inhabilis esset[7]. Illud inprimis religiose tenuit, ne cujus
torum violaret. Quibus vitæ morumque institutis diu inhæ-
sit, magnumque et memorabilem regem egit; donec impetu
quodam, et velut torrente fortunæ convulsus et mutatus,
11 pristinam animi moderationem paulatim exueret. Animi ro-
bur cum insigni dexteritate, magna patris et aliorum admira-
tione ostendit in equo Bucephala; nam id nomen bubuli capi-

1. Plut. Alex. 49. Plin. Hist. nat. VII, 29. Strab. l. l.
2. Lucian. Dial. mort. XII.
3. Plut. de Fort. Alex. I, 5.
4. Homeri Iliad. γ, 179.
5. Curt. III, 6.
6. Plut. Alex. 40. Arrian. VII, 29.
7. Athenæus, X, 45.

tis figura insignitus acceperat. Plurimum tum equestri laude 12
pollebat Thessalia [1], nobiliumque equorum greges multis
locis alebantur. Eminebat tamen inter omnes viribus et spe-
cie Bucephalas, quem Philonicus ex Pharsalia oriundus,
maximo in illis regionibus principe dignum existimans, ad
Philippum adduxerat, sedecim talentis venalem [2]. Quum au- 13
tem velocitatem equi obsequiumque experturi in campum
descendissent, nemo amicorum satellitumque regis tractare
eum potuit : quin insurgebat in omnes, et conscendere co-
natos ferocia exterrebat; jamque pro indomito, et ob feri- 14
tatem inutili, relinquebatur, quum suspirans Alexander,
« Qualem isti equum perdunt, per mollitiem animi et trac-
tandi imperitiam ! » Quo sæpius repetito a patre increpi-
tus, quod ob negotium, quod emendare non posset, ma-
jores peritioresque conviciis incesseret; « Ego vero, inquit,
emendabo, pater, si permiseris. » Atque illo subjiciente, 15
frustratus autem quam pœnam pendes? « Equi, inquit, pre-
tium luam »; exortoque omnium risu, convenit, ut victor
equum patre emente haberet, victus amitteret pecuniam.
Tum Alexander comprehensis equi habenis, eum ita sta- 16
tuit, ut in adversos solis radios conversus, umbram suam
conspicere non posset; ea enim antea exterritum acrius fe-
rocisse observaverat : quumque nihilominus æstuaret, jubam
demulcens, dimissaque sensim chlamide, in sævientem ad-
huc insilit. Ille parendi insolens cervicem et calces jactare, 17
multaque pervicacia contra frenum niti; denique proripere
se conari, et ingenti violentia cursum moliri. Spatiosa et 18
equitabilis planities suberat; ergo ferocientem exsultan-
temque effusis in collum habenis, adactisque calcaneis cum
ingenti clamore in cursum permittit. Ingens deinde campi 19
spatium evectus, jam lassatum et consistere volentem im-
pellere non antea destitit, quam exhaustum cursu et la-
bore domitum, mansuetiorem jam mitioremque reduxis-
set. Descendentem manantibus gaudio lacrimis complexus 20
est pater, osculoque capiti impresso, majus imperium sibi

1. Schol. ad Aristophan. Nub. V, 23. Justin. VII, 6.

2. Plin. Hist. nat. VIII, 49. Plut. Alex. 9.

circumspicere jussit, nec Macedoniæ regnum tantam in-
21 dolem capere. Posthæc Bucephalas quum in cæteros fero-
ciam suam retineret, uni Alexandro mira submissione pa-
ruit; [1] multorumque mox laborum atque discriminum socius,
22 in prælio adversus Porum periit [2]. Dignum id argumen-
tum visum est, quo illustrarent opera sua nobilissimi ar-
tifices: duas ex marmore statuas equum domantis osten-
tant, Praxitelis et Phidiæ certamen. Alexandri eas imagines
esse, quamvis ambigi possit, auctores haud obscuri credi-
derunt.

1 V. His atque talibus ingenii animique experimentis eam
apud Philippum existimationem nactus est, ut quum ipse By-
zantinos obsidione urgeret, idoneum jam crediderit filium,
cui libera cum potestate Macedoniæ curam committeret [3],
2 annos omnino sedecim habentem. Quo comperto Medaro-
rum quidam, Thracia natio, Macedoniæ subjecta, oppor-
tunum defectioni, quam dudum agitabant, tempus advenisse
rati, consilia nudavere. Sed adolescens ostentandæ virtutis
occasione lætus, cum ducibus a patre relictis propere in eos
movit: victisque et ejectis rebellibus, urbem eorum varii
generis convenis habitandam dedit: illi Alexandropolim ex
3 nomine auctoris sui appellavere [4]. Philippus eventu rei gau-
dens, cæterum solicitus, ne suo arbitrio permissus adoles-
centis animus, majora viribus cum exitio capesseret, evocavit
eum, ut se magistro ardorem prudentia temperare disceret: et
in subigendis Chersonesi oppidis, strenua promptaque opera
4 ejus usus est [5]. Cæterum quum ad Byzantium, validam urbem,
hæreret obsidio, civibus egregie pro libertate pugnantibus;
iisque Græci barbarique, quibus incrementa Philippi sus-
pecta erant, certatim auxilio venturi nuntiarentur, desperata
victoria, id unum agitabat, quanam ratione quam minimo
5 copiarum atque famæ damno ab obsidione discederet. Impe-
rabat eo tempore Getis, scythico populo, Atheas, qui armis
Istrianorum pressus, auxilium a Philippo petiverat, spe

1. Curt. VI, 5.
2. Curt. VIII, 14. Plut. Alex. 103.
3. Plut. Alex. 13.
4. Plut. Alex. l. laud. Stephan. voc. Ἀλεξάνδρεια.
5. Justin. IX, 1.

adoptionis facta, si fessis Getarum rebus succurreret[1]. Idem
quum hostium imperator decessisset, belli metu liberatus,
Macedonas vacuos remiserat, negans vel ipsorum auxilio,
vel adoptione Philippi eguisse; cui adversus hostes satis pro-
priarum virium, et in successionem regni filius esset. Eam 6
barbari contumeliam ulturum ferens Philippus, omisso By-
zantio, in Scythiam convertit agmen; ubi, conserto prælio,
quum numero superiores Scythæ essent, nec virtutis pœni-
teret, arte Philippi Macedonibus victoria cessit. Cujus omne 7
pretium, pecorum equorumque maximi greges, et infirmioris
ætatis sexusque captivi fuere: cæteræ prædæ nihil exceptum
est: quippe opibus minime studebant Getæ, sed quotidiano
victu contenti, paupertatem inter vitæ commoda numerabant.
Cæterum quum ex Scythia regrediens, longo impedimento- 8
rum agmine, per Triballos iter faceret, illi, opportunis locis
occupatis, transitum negabant, nisi prædæ partem accepturi.
Erant in exercitu Philippi mercenarii Græcorum milites, qui 9
et ipsi, quum in discriminis partem venissent, commodorum
exsortes haberi moleste ferebant[2]. Inde orta seditione ad
manus ventum est, tam acri certamine, ut multis utrinque
cadentibus etiam rex sauciaretur, transfosso femore, eodem-
que vulnere interfecto equo: tanta vis adacti teli, tantaque
virtus inferentis ictum fuit. Ibi tum ante omnes prosiluit 10
Alexander, jacentemque clypeo protegens, irruentium in
eum alios occidit, alios avertit in fugam. Ita filii pietate ser-
vatus est, abscedentibus qui oppressuri fuerant, eo promp-
tius, quod interfectum crediderant: sic ipsi vulneris atroci-
tati vitam debuisse visus, mortis opinione mortem effugit:
præda inter consternationem amissa est. Cæterum ex vulnere 11
claudicare coactus[3], quum initio eam corporis deformatio-
nem ægro animo ferret, memorabili ad posteritatem adoles-
centis voce monitus est, non irasci vulneri, cujus opera ad
singulos gressus suæ virtutis admoneretur. Satis jam gloriæ 12
potentiæque Philippo quæsitum erat, satis etiam periculo-

1. Justin. IX, 2. Æschines contr. Ctesiphont. Oros. III, 13. Jo. Magnus, histor. Gothorum, III, 10.

2. Curt. VIII, 1. Justin. IX, 3.

3. Plut. de Fort. Alex. I, 10. Demosth. de Corona.

rum atque vulnerum pertulerat, si quietem pati posset ani-
13 mus ambitione vecors. Tributarios Illyriorum[1] Macedonas,
omnium non vicinorum modo, sed etiam longe dissitorum
dominos effecerat; Triballos subegerat; Thraciam habebat
in potestate; multis Græcorum populis imperabat; alios
14 metu, aut largitionibus tenebat obnoxios. Thessalos Daochus,
Cineas, Thrasydæus[2], cum Eudico et Simo Larissæis;
Arcades Cercidas, Hieronymus, Eucalpidas; Argivos Myrtis,
Teledamus, Mnaseas; Eleos Euxitheus, Cleotimus, Aris-
15 tæchmus, regio jugo subdiderant: Messenios Philiadæ liberi,
Neon et Thrasylochus; Sicyonios Aristratus et Epichares;
Megarenses Ptœodorus, Helixus, Perilaus; Eubœenses[3]
Hipparchus, Clitarchus, et Sosistratus, suæ quique civitatis
principes, conciliabant; Olynthum Euthycrates et Lasthenes
prodiderant[4]. Una Spartanorum civitas veteris disciplinæ
16 egregie tenax et proditionis immunis fuit. Sed quum imperio
totius Græciæ immineret, Atheniensium maxime opes morari
destinata cernebat. Nec deerant in civitate, qui res ad
ipsum traherent: sed populus, qui omnia poterat, impellente
Demosthene contra Macedonum opes nitebatur, crebrisque,
ut inter potentes vicinos, contentionibus, ingenium
Philippi callidum, audax, et ob dominationem fidei famæ-
17 que negligens cognoverat. Maxime urebat regem recens dolor[5],
quod ad Byzantium, Atheniensium opera, spe sua excidisset:
qui non modo centum et viginti navium classem
obsessis auxilio miserant, sed et Chiis Rhodiisque eadem au-
18 dendi auctores fuerant. Igitur dum percuratur vulnus in
Triballis acceptum, omnia occulte præparabat, quo Athenienses
improvisus opprimeret. Exercitum retinenti obtentui
erant Illyriorum nationes, quæ ingenio feroces, et servitutis
19 insuetæ, impositum nuper jugum excutere tentabant. In eos
Alexander missus[6], barbaris fusis fugatisque, eam de fortuna
atque virtute sua spem et reliquis fecit, et ipse con-

1. Curt. X, 2.

2. Plut. Demosth. 24. Demosth. de Corona.

3. Demosth. de Falsa Legat.

4. Diod. Sic. XVI, 53. Pausan. VII.

5. Demosth. de Corona. Diod. Sic. XVI, 76.

6. Curt. VIII, 1.

cepit, ut jam sine patre rebus gerendis se parem existimaret.
Hæc per biennium gesta. Philippus autem præparatis omni- 20
bus, quæ olim destinaverat exsequi maturum ratus, exoptatissima occasione oblata, ante initium veris cum exercitu in Græciam venit; convocatis etiam ex Peloponneso copiis sociorum[1]. Quippe Amphictyonum decreto creatus erat impe- 21
rator Græcorum, ut insolentiam Locrorum, qui Amphissam incolunt, castigaret : namque Cyrrhæum agrum Apollini dicatum, Amphictyonum auctoritate contempta, colere perseverabant, ducemque ab his creatum, interemptis quibusdam, vulneraverant. Erat tum Philippo fœdus cum Athe- 22
niensibus, sed parum in eo præsidii futurum arbitrabantur, si regi violandæ fidei merces affulsisset : igitur legatos ad ipsum mittunt, petituros ut pactis staret, aut certe ante ver adultum nihil hostile moliretur; deliberaturum interea populum atheniensem, qua ratione controversiæ, quæ incide-
rant, componi possent : Thebas quoque legationem decernunt, 23
quæ, exposito communi periculo, hortaretur, ut simul cum ipsis tutelam Græciæ susciperent. Sed Philippus[2] per hospites et amicos, quorum Timolaus, Theogitonque et Anemœtas plurimum apud cives suos poterant, Thebanos in amicitia Macedonum continuit; ratusque, si cum solis Atheniensibus 24
futura res esset, facile se superiorem fore, victis ad Amphissam Locris eorumque sociis; in Phocidem raptim ducto[3] agmine, Elateam finibus Thebanorum simul Atheniensiumque imminentem occupat, impositoque præsidio, velut in belli sedem, operibus munit. Ejus rei nuntius noctu Athenas per- 25
latus tanta trepidatione urbem implevit, ut quum primo diluculo populus in concionem venisset, invitante ex more præcone, qui salutare patriæ consilium haberet, uti diceret, nemo surrexerit; donec Demosthenes congruentia tempori 26
differens, persuasit[4], ut e vestigio classis et exercitus educerentur, et legati tum ad cæteros Græcos, tum inprimis ad Thebanos mitterentur. In hanc sententiam decreto facto,

1. Æschinis orat. contra Ctesiphontem.
2. Demosth. de Corona.
3. Plut. Demosth. c. 24. Diod. Sic. XVI, 84.
4. Demosth. de Corona.

Chares et Lysicles copiarum imperatores constituti; Demos-
27 thenes legationis ad Thebanos princeps ire jussus est. Non
fefellerat ea res Macedonis solertiam, satisque prospiciebat,
quanta belli moles oritura esset, si inter istos populos fœdus
28 convenisset; quippe Atheniensium civitas tunc etiam opibus
et auctoritate satis pollebat: nec Thebanorum aut potentia
non contemnenda erat, aut opinio; necdum exoleverat me-
moria leuctricæ pugnæ, qua principatum Græciæ Lacedæ-
29 moniis extorserant. Igitur ut et sociorum confirmaret animos,
et diversæ factionis machinationes præverteret, Amyntam et
Clearchum Macedonas eo misit, addito, cujus eloquentiæ
plurimum fidebat, Pythone Byzantio: quem in concilio
Bœotorum ita locutum accepimus.

1 VI. « Si Philippo in Macedonia desidente, Elateam athe-
niensis exercitus haberet, neque vobis ullum cum rege fœ-
deris aut amicitiæ jus esset; tamen dubitare non debeo,
quin illius societatem essetis optaturi; quis enim illum tanta
potentia, tantisque rebus gestis, civitati fama quam viribus
2 validiori non præponeret? Nunc autem quum illo, qui vic-
tricibus copiis velut vestibulum urbis vestræ obtinet, socio
atque amico utamini; ab Atheniensibus multis veteribus at-
que novis injuriis affecti sitis; horum amicitiam, neglecto
3 rege, vobis suadere, profecto contumelia est, Thebani. Sed
superbissimi mortalium sibi solis ingenium consiliumque su-
peresse autumant; reliquos, et inprimis Bœotos (vobis enim
præ cæteris insultant) ineptos et rudes esse, nec quæ utilia
4 honestaque factu sint, dignoscere. Itaque quo nihil est de-
mentius, id se vobis persuasuros putant, ut ex ipsorum po-
tius arbitrio, quam utilitate vestra hostes atque amicos ha-
5 beatis, verbis confisi, in quibus omnis ipsorum vis est. Sed
verba nemo sanus ante facta habuit, præsertim in bello,
ubi res manu geritur, linguæ promptitudo supervacanea
est. Ut sibi diserti videantur; virtus et fortuna Philippi,
6 tantis suis sociorumque viribus subnixa, plus poterit. Nec
enim facile dixerim, stolidior an impudentior sit eorum
postulatio. Intentatum Atticæ fulmen excipite, Thebani:
socio atque amico regi bellum cum exitio vestro facite, ut

nos in tuto simus: vestros agros, vestra corpora objicite,
ne injuriarum suarum vindictam ab Atheniensibus Philippus
exigat. Hæccine sunt postulata hominum, qui aut ipsi sano 7
judicio utantur, aut alios uti credant! Qui modo nullam
premendi vos occasionem prætermiserunt; qui vos contu-
meliis, injuriis, armis quantum potuerunt persecuti, ves-
tras clades atque pericula felicitatem suam rati sunt; ii nunc
a vobis petere audent, ut cum ipsis malitis quam cum Phi-
lippo vincere. At iste hospes et alumnus vester[1], educatus 8
in contubernio Epaminondæ, clarissimi imperatoris sanc-
tissimique viri, cum ipsius moribus a tenera ætate caritatem
urbis vestræ imbibit; vestras et Apollinis injurias phocensi
bello ultus est, quum Athenienses odio vestri sacrilegis auxi-
lia mitterent; [2]iterum communi Amphictyonum decreto 9
exoratus, ejusdem numinis contumeliam in Locros vindi-
cavit: huc quoque profectus est, ut vestris commodis con-
suleret, non abscessurus, donec vos metu æmulæ inimicæque
civitatis solverit. Id sive communibus consiliis viribusque 10
lubet exsequi[3], non vetat, quo minus in prædæ verius quam
belli societatem veniatis; sive quiescetis, transitum conce-
dite: ipse communium injuriarum idoneus ultor erit. Neque 11
minus ad vos redibit emolumentum victoriæ: greges, ar-
menta, mancipia, quæ ex hostibus capientur, maxima ex
parte penes vos, ut vicinos, erunt: inde phocensis belli
damna sarcietis. Id magis ex usu vestro sit, an vestros agros 12
uri, vestra oppida expugnari, incendi, diripi, vestras deni-
que res agi ferrique, quod Athenienses optant, expendite.
Nam iracunda res est suspectus immerito candor, quoque
pronior benevolentia fuerit, acrioribus stimulis in vindictam
agitur. Cæterum hæc ita refero, non quo vobis ingratitu- 13
dinem exprobrem, de qua nihil vereor, nec ut formidinem
incutiam, qua nihil opus futurum existimo; sed ut Philippi
in vos beneficia, et vicissim in illum vestra cogitantes, ad-
moneamini, ea demum firma atque perpetua esse fœdera,
quæ servari utriusque intersit. Quod si majora sunt illius 14

1. Diod. Sic. XVI, 2; et not. Wessel. ad hunc locum. Just. VIII, 5.

2. Justin. VIII, 1. Plut. Demosth. 24.

3. Demosth. de Corona.

merita, vobis curæ erit, ut mutuo in illum animo sitis; ille
maximum laborum præmium putat, subvenisse Græciæ, pro
cujus salute atque dignitate perpetua cum barbaris bella
15 gerit; atque utinam illum Atheniensium furor ingenio suo
uti passus esset[1], jam in Asia audiretis arma ipsius esse,
quæ nunc coercendis improborum motibus, invitus per
16 Græciam circumferre cogitur. Poterat quidem amicis Athe-
niensibus uti, nisi huic Demostheni, atque aliis quibusdam,
qui imperitam multitudinem, ut expositum ventis mare,
orationum suarum aura, quo volunt, impellunt, vectigalem
se facere indignum, usuque et exemplo fœdum existimasset:
17 quippe si apud illos honestati pretium esset, gratuito boni
forent. Quibus honesta vendere mos est, si eadem flagitii
merces detur, utilia a noxiis, recta ab inhonestis non distin-
guunt: lucro, non affectu virtutis aut patriæ, neque deo-
18 rum hominumve reverentia ducuntur. Nolite honesti aliquid
aut egregii exspectare ab his hominibus; vestris utilitatibus
non moventur, qui patriæ tam male consulunt: implicare
vos volunt iisdem calamitatibus, ex quibus modo Macedo-
num virtute atque fide liberati estis, tantoque majoribus,
quanto formidabilior hostis futurus esset Philippus, quam
19 Philomelus, aut Onomarchus fuere: nam in precario impe-
rio etiam boni ducis conatus haud minus cives quam hostes
præpediunt; regum jussis nemo intercedit, nemo refraga-
tur; unius arbitrio cuncti reguntur, in quo, quantum in
20 rebus bellicis momentum sit, non ignoratis: nec jam in uno
corpore Macedonibus id præsidium est; Philippum, etsi fatum
auferret, Alexander regenerat, qui jam in adolescenti hac
ætate, ea animi ingeniique documenta edidit, ut prope con-
21 stet, summis imperatoribus parem esse futurum. Contra apud
Athenienses pacis bellique arbitrium, quia penes omnes est,
velut in medio positum audacissimus quisque ad se trahit:
impetu magis quam consilio cuncta aguntur; homines ma-
ligni suadent, imperiti decernunt; bellum sumitur animo-
sius, quam geritur; fœdera haud minori facilitate, quam

1. Demosth. de Haloneso. Literæ Philippi ad Athenienses apud Demosth.

junxere, violant; nam et cum Philippo fœdus ipsis est, quod 22
quam sancte servent, re ipsa declarant; nec enim pro se
fidem violasse satis habent, nisi per ipsos latius serpat ista
contagio. Vestra autem constantia, Thebani, qua non mi- 23
nus quam rebus fortiter feliciterque gestis magni clarique
habemini, non sinit ambigere, quin multis experimentis
cognitam regis amicitiam semper infestæ æmulæque civitati
prælaturi sitis. Neque vero averruncator malorum Hercules 24
siverit, ut quem indigenam civemque deum præcipua reli-
gione colitis, ejus sanguinem impio injustoque bello perse-
quamini; nam cæteros quidem socios, quam amicitiæ regiæ
non pœniteat, ex ipsis vos malo cognoscere. » Hæc Python. 25
Auditi dein sociorum legati, prolixe commendato regis
animo, petiverunt, ut ipsum potius Græciæ vindicem, quam
perturbatores ejus Athenienses sequerentur.

VII. At Demosthenes, facta dicendi potestate, « non igno- 1
rabam [1], inquit, istos Philippi mercenarios neque laudibus in
ipsum, neque in nos conviciis esse temperaturos; nam qui pu-
dorem consumpserunt, quid loquantur, aut faciant, parum
pensi habent, dum cupitis potiantur; sed illi quidem, si bene 2
vos novi, Thebani, spe sua egregie falsi, dignum virtute
vestra Græcorumque moribus responsum ad Macedonem
referent: vos autem ad ea, quæ nunc agenda sunt, animum
diligenter advertite; nam vestrorum quoque negotiorum 3
summam nunc agi ipsis rerum argumentis ostendemus, non
verborum præstigiis, quibus isti vereri se dicunt, ne capia-
mini; sed quando sic pro vobis sunt solliciti, ponant me- 4
tum, nihil faciemus quo eloquentiores videamur. Malam
quandoque caussam adjuvit facundia; ubi nudam veritatem
spectari dicentis interest, verba nemo prudens appendit.
Nec de Philippo laboramus; sit sane per nos qualem isti fin- 5
gunt; sit etiam pulcher, eloquens, atque adeo in conviviis
etiam hilaris: nam et hinc eum commendavere quidam; adeo
inanem veræ gloriæ fatebantur. Cæterum legatos ejus miror 6
ea civitati nostræ coram vobis objecisse, quæ, si crimina

1. Tota hæc oratio e Philippicis passim Demostheneis desumpta est.

sunt, non magis Atheniensibus, quam Thebanis, defen-
denda esse, in confesso est; popularis enim status incom-
moda exagitant; quæ licet non ignoremus utrique, tamen
7 regio dominatui merito præferimus: atqui illi sic locuti sunt,
tamquam in circulis et conviviis Macedonum adulatione
gratiam quærerent, non apud liberam civitatem officio lega-
8 torum fungerentur. Scimus quidem regum regiorumque
mancipiorum adversus gentes urbesque liberas pertinacia
odia; et simpliciter fecerunt isti, qui detegunt; sed eo ma-
gis adnitendum nobis est, Thebani, ut jura legesque nostras
9 tueamur; et optandum inprimis esset, ut qui rempublicam
attigerunt, iis unum idemque pulcherrimum certamen fo-
ret, quinam rectius civitati suæ consulerent, aut consulta
exsequerentur; nemo communia commoda posthaberet pri-
vatis; nemo acciperet munera; nemo istorum exemplo pa-
10 triam Philippo proderet. Verum, Thebani, nulli unquam
non civitati modo, sed etiam homini, integra perfectaque
felicitas obtigit: beatissimus habetur, cujus fortuna mini-
11 mum ex adverso trahit. Malos autem nobis cives esse nemi-
nem fugit; ne vos quidem caruistis, aut caretis, Thebani:
nam sine eo esset, non jam Elateæ Philippus libertati nos-
træ plagas tenderet; sed de regno Macedoniæ nobiscum de-
12 certaret. Habemus tamen et bonos, eosque plures malis, et
potiores. Argumentum poscis? liberi sumus: non servimus
Philippo, sicut tu, Python, Byzantios tuos servire voluisti;
tu autem, Daoche, et tu, Thrasidæe, Thessalos regi vendi-
13 distis: Thessaliam enim servitute Philippi premi videtis,
Thebani, et nisi fallor, juxta nobiscum ingemiscitis: By-
zantium, quantum in Pythone fuit, idem manebat exitium,
14 quod Olynthus perpessa est: nos liberavimus. Quippe græ-
cam civitatem, cum maxime sociam atque fœderatam, ille
religiosus atque venerabilis assertor Græciæ nec opinantem
opprimere aggressus fuerat. Hæc est nimirum præclara ipsius
prudentia: calliditatem pro ingenio habet, perjurium artem
15 putat, perfidia tamquam virtute utitur. Aut dicat denique,
quo alio pacto formidabilem illam potentiam nactus est:
si Græcos fraudibus, insidiis, proditione non cepit; si bar-

baros etiam non auro magis quam ferro vicit; si denique cuiquam mortalium aut fidem dare gravatus est, aut datam fallere non sustinuit. Istis tamen ille Græciæ vindex, nos 16 perturbatores sumus! Sed quid istos pudeat, qui sua crimina nobis objectare malunt, quam non admonere vos eorum, quorum ipsi manifesti sunt? Si quis captorum munerum aut proditionis reus esset, illum tuendo, propugnando, legibus et pœnis eripiendo, vestrum negotium ageretis; nunc alios accusando, in vos sententiam dicitis. Quod si 17 ignari, quorsum ea res pertineret, id admisistis, prudentiam in vobis requiro; si scientes prudentesque, verecundiam. Pro mea, quique in eadem mecum caussa sunt, inno- 18 centia suffecerit, quod nos a Philippo nihil accepisse ipsi fatemini: nec enim si quid petivissemus, vacuos abire passus esset liberalissimus rex, ut a vobis quidem prædicatur. An qui vos corrupisse operæ pretium putavit, nobis, etiam petentibus, non largiretur? At Thebanos modo monuistis, 19 ne consilium eorum sequerentur, qui patriæ male consuluerunt. Ego vero desino adversari illis, Thebani, si ita sentiunt; in ipsorum opinionem transeo: vosque quanto maximo potest opere hortor, oro, obsecro, perque vestram et communem Græciæ salutem obtestor, ut hoc ipsorum decretum amplectamini. Id si feceritis, neque pecorum atque armen- 20 torum gratia vos ipsos venire patiemini; neque ut ergastulis ager vester frequentetur, inter cætera Philippi mancipia Pæonibus et Triballis servietis: nam isti greges et mancipia 21 intueri vos jubent, egregia servitutis præmia; uxores, liberos, parentes, libertatem, famam, fidem denique et fas Græcorum vilia habere: hæc enim profecto perdidistis, Thebani, nisi fraudi violentiæque Philippi una nobiscum resistitis. Quod si alienis laboribus tutos vos fore persuasum 22 habetis, vereor ne magnopere decipiamini: etenim, quod abominor, Philippo victore, cui dubium est quin neque vos, neque quisquam Græcorum libertatem tueri possitis (nam in fide Philippi multum reponere, eorum est qui perire velint); at si nos victoria respexerit, quid ab hominibus, quos 23 in extremo salutis atque dignitatis discrimine deserueritis,

24 exspectandum vobis putetis, considerate: nam quæcunque
vobis sententia sederit, Atheniensibus certe omnia experiri,
neque libertatem prius quam vitam amittere decretum est.
Quamquam etiam viribus non diffidimus, quibus si vestras
sociatis, conjuncti utique superiores erimus hosti, cui sin-
25 guli pares esse possumus. Non ignoramus potentiam ejus
Athenienses, quam olim nascentem augescentemque prævi-
dimus; et, si cæteris Græcorum eadem mens fuisset, præ-
26 caveramus: diu enim bellum cum eo gessimus, non de Am-
phipoli, aut Haloneso, ut plerisque credebatur, sed pro
salute et libertate Græciæ; donec destituti ab omnibus, a
nonnullis etiam oppugnati, pacem necessariam magis quam
27 honestam fecimus; sed nunc, opinor, præses arcis nostræ
Minerva, et Apollo Pythius patrium nobis numen, cæteri-
que Græcorum dii aperuerunt oculos, et in vindictam avitæ
28 libertatis populorum suorum animos excitant. Certe Hercu-
lem non sine indignatione verba legatorum audivisse arbi-
tror, Philippo stirpem ab illo deo repetentium: ille enim
agnoscat deus, omnium religionum contemptorem; Græ-
cus, Macedonem; tyrannum, osor, punitor, exstirpator
29 tyrannidis! nullo enim alio argumento clariora sunt Her-
culis opera. At ille Græciam dominatu premit: quibusdam
etiam civitatibus domesticos tyrannos imposuit, Philistidem
30 Oreo, Hipparchum Eretriæ, Chalcidi Taurosthenem. Ergo
jam Euboei[1], Achæi, Corinthii, Megarenses, Leucadii,
Corcyræi nobis favent: alii fortunam spectant[2], quæ hacte-
nus unicum macedonicæ potentiæ vinculum fuit, quo levi-
31 ter abrupto, ultro dilabetur. Quippe Thessali, unde Phi-
lippo robur equitatus est[3], neminem unquam diu fovere:
Illyrii cæterique Macedoniam accolentes barbari, quorum
et natura ferox est animus, et indignatione recentis servi-
tii irritatus, si principia belli Philippo sequius evenerint,
32 reliqua pro nobis conficient. Vos modo nobiscum acriter
in hanc curam incumbite, sepositis interim contentioni-
bus, quas inter vicinas urbes sæpe levis occasio concitat:

1. Demosth. de Corona. Plutarch. Demosth. 24.

2. Demosth. ad Philipp. epistolæ.

3. Justin. VII, 6.

odia privata, post rem bene gestam, communis lætitia in benevolentiam vertet; aut quum porro insanire vacabit, cum dedecore forte damnoque utrorumque, sed tamen citra exitium resumentur. Neque dolos Philippi timueritis : modo promissis ejus aures occludite; manus continete a muneribus. Si nihil ante libertatem habueritis, calliditas et largi- 33
tiones frustra erunt. Potentiam ut discordiæ Græcorum extulerunt, ita consensus obruet. Quin et ipse, ut est te- 34
merarius, excipi potest : quod si accidat, nihil a cæteris est periculi; nam ipse gloriam atque dominationem, qui sub eo sunt quietem expetunt. Nisi forte Alexandrum ve- 35
remini : quoniam isti quidem ita vos contemnunt, ut idoneos putent, quibus etiam pueri nomen formidinem possit incutere. »

VIII. Crederes alios repente factos Thebanos[1] : qui modo 1
regios legatos attente, atque etiam cum assensu audiverant, adeo in contrarium mutati sunt, ut Philippum hostem judicarent, ni quamprimum suis sociorumque finibus decederet; macedonicæ factionis homines urbe pellerent[2]; et Atheniensium copias eo reciperent. At Phi- 2
lippus inopinata Thebanorum defectione turbatus magis quam territus, insistere destinatis non omisit. Duobus levibus præliis commissis, quum Athenienses successus non pœniteret, tandem utrique ad Chæroneam Bœotiæ oppidum totis viribus consedere. Græcos decora majorum, et 3
cura libertatis accendebant : Philippus egregiis copiis, totque bellorum victoribus fidebat; in se quoque non parum momenti collocabat, quod imperatoriis artibus ipse præcelleret[3]; Græcorum celebratissimi duces jam decesserant. Theagenes Thebanis præerat, modico mili- 4
tiæ usu, neque satis firmus adversus pecuniam : Atheniensium quoque imperatorum virtutem atque peritiam ipse animo usuque rerum longe anteibat; sed duorum poten- 5
tium populorum in unum conversæ vires, quorum auctoritatem Corinthii quoque aliique sequebantur, injecerant

1. Plut. Demosth. 25.
2. Justin. IX, 3.
3. Diodor. Sic. XVI, 85. Dinarch. contr. Demosth.

curam [1], minima unius diei parte, de capite fortunisque om-
6 nibus dimicaturo. Ne Thebanorum quidem principes a pacis consiliis abhorrebant; sed Atheniensium ardor evicit, ut omnes Græciæ spes opesque unius prælii fortunæ permitterentur. Alexander etiam immodicus [2] animi testabatur patrem, ne tantam gloriæ occasionem e manibus elabi sineret: eoque
7 tandem impulso, primus in hostem impetum fecit. Pugnatum est acriter ambigua diu victoria, donec adolescens, quem quum delectis alteri cornuum præfecerat pater, summa animi viriumque contentione connixus, sacra Thebanorum cohorte [3], quæ ex optimis constabat, loco mota, victoriæ
8 viam aperuit: nam et Athenienses sociorum calamitate fracti, æstuque et vulneribus fatigati, non amplius sustinuere Macedonum impetum: quippe Philippus æmulatione, et pudore si filio adolescente deterior videtur, gravis intolerandusque
9 incubuerat. Ita de libertate Græciæ ista pugna decretum est: ceciderunt ex Atheniensibus amplius mille, supra duo millia capti fuere, sociorum quoque multi aut pugnando mortem
10 occubuerunt, aut vivi venerunt in potestatem victoris. Missus post hæc Athenas Alexander [4] veniam delictorum pacemque Atheniensibus Philippum dare pronuntiavit; captivos etiam gratis reddere; nec vetare, quin occisi tumularentur: quippe rex intentus in persicum bellum, Græcorum fidem
11 atque studia, clementia et moderatione provocabat. Imperio tamen maris et insularum Athenienses exuit: in Thebanos immitior [5], quorum subita defectione in summum rerum omnium discrimen se adductum fuisse meminerat; nec judicabat veteribus sociis, post beneficia sua caussam fuisse
12 contra ipsum cum Atheniensibus sentiendi. Ergo quum urbem dedidissent, præsidio Macedonum imposito, interfectisque quos maxime invisos suspectosque habuerat, aliis solum vertere jussis, reductis suæ factionis exsulibus magis-
13 tratus et judicia tradidit. Reliquos deinde populos, qui adversus ipsum arma ceperant, eodem victoriæ impetu per-

1. Plut. Demosth. 25.
2. Dio, pr. orat. 2.
3. Diod. l. l. Plut. Alex. 13.
4. Justin. IX, 4.
5. Justin. l. l. Pausan. IX. Diodor. XVI, 87. Ælian. VI, 1, 8.

domuit. Nec quisquam tota Græcia præter Spartanos[1] et
Arcades dominationis ejus expers mansit: alios armis, alios
impari societate imperiis suis obnoxios habebat. Igitur con- 14
ventu totius Græciæ Corinthum indicto, de bello Persis
inferendo disseruit. Obviam eundum esse barbaris, imperium
orbis immani superbia sibi destinantibus; aut parendum sem-
per, aut mature resistendum esse; nec enim hoc agi, bellum
an pacem habeant Græci; sed utrum in hostiles agros id
transferre malint, an domi accipere: non veteres tantum 15
injurias vindicandas esse; sed præsens dedecus amoliendum,
ereptis ex Persarum servitute græcis civitatibus, quæ Asiam
incolerent: commodissime id fieri posse, dum compositis in
Græcia rebus, universas vires in transmarinum bellum con-
vertere liberum esset: domesticæ etiam quieti ea ratione 16
prospectum iri, amotis occupatisque longinqua militia, qui
otiosi discordiis et audacia res turbare consuevissent. Cons-
tituerent igitur, quo imperatore, quibusque copiis bellum
istud administrandum videretur. Non fallebat plerosque 17
quantum e republica peteretur; sed armis amissam liberta-
tem intempestivum videbatur verbis repetere. Nihil ergo
dubitatum est, quin faustis acclamationibus Philippus im-
perator Græciæ ad liberandum orbem terrarum in Asiam
proficisci juberetur. Descriptæ deinde singulorum opes; et 18
quantum quisque militum, frumentique et pecuniæ mitteret,
in tabulas relatum est. Ducenta peditum, quindecim equitum
millia promissa fuisse reperio; quum in eo numero neque
Macedones, neque parentes Macedonibus barbari cense-
rentur.

IX. Cæterum, ut sine mixtura calamitatis nulla in rebus 1
humanis felicitas est, res foris prosperas domesticæ turbæ
exceperunt. Animum conjugis olim, ut diximus, alieniorem
Olympias morositate et arrogantia in dies magis magisque
avertebat; inde repudiatam nonnulli tradunt[2]: ego in eodem 2
matrimonio manenti Cleopatram[3] superinductam comperio.

1. Justin. IX, 5. Arrian. I, 1. Diod. XVII, 3.

2. Plut. Alex. 14. Justin. IX, 5.

3. Arrian. III, 6, non Cleopatram, sed Eurydicem eam vocat. Vid. notam Schmiederi ad hunc Arriani locum.

Nec enim Alexander in tanto dedecore dulcissimæ [1] matris,
cujus pudor ad ipsum quoque pertineret, nam ob stupri sus-
picionem expulsam addunt, interfuisset novercæ nuptiis:
interfuit autem, et demum post contentionem, quæ in eo
3 convivio exarserat, matrem abduxit. Quippe quum avuncu-
lus sponsæ Attalus, post longam compotationem, spem male
tegens, orandos Macedonibus deos diceret, ut ex nova nupta
legitimum regni successorem Philippus tolleret [2]: Alexan-
der, in iram alioqui præceps, et tunc injuria irritatior; « nos
ergo, sceleste, spurii tibi videmur? » inquit: simul calicem,
quem forte dextra tenebat, in os illius impegit; ille quoque
4 invicem conjecit poculum. Exorto tumultu, Philippus, qui
in alio lecto accubuerat, ejus diei lætitiam turbari moleste
ferens, ense stricto Alexandrum petit; occideratque filium,
nisi claudicantem ex vulnere pridem accepto gressum ira
5 vinumque præpedivissent. Prolapsus amicis subita re exter-
ritis spatium dedit, ut precibus, et utrisque medios inter-
6 ponendo Alexandrum eriperent: nec minoris operæ fuit illum
exorare, ut salvus esse vellet: multiplici injuria affectus sibi
videbatur; et quamquam patris regisque nomina, naturæque
et gentium decreta ingererentur, non abstinuit, quin insul-
tans Philippo juberet intueri Macedonas egregium transmit-
tendi in Asiam belli auctorem, qui ex lecto in lectum tran-
7 siliens procidisset. Inde sibi matrique juxta timens, in Epiro,
cui frater Olympiadis præerat, eam reliquit; ipse ad Illy-
8 riorum regem profectus est. Postea quoque, quum, recon-
ciliatore Demarato corinthio, in Macedoniam reversi essent;
pervicacis ingenii mulier filium, suopte ingenio potentiæ
anxium, incitare non destitit, ut, quos posset, humanitate
aut pecunia in amicitiam illiceret; et adversus iracundiam
9 patris, etiam affinitate potentium hominum se muniret. Sane
olim monuerat Philippus, ut affabilitate sibi conciliaret ho-
minum studia; largitiones autem non usquequaque probave-
rat, etiam per literas increpito instituto ejus [3], quod bene-
volentiam auderet sperare ab hominibus, quos muneribus

1. Curt. V, 2.
2. Plut. l. l. Justin. IX, 7.
3. Cicero, Offic. II, 15. Valer. Max. VII, 2, 16.

corrupisset; falli, qui regium id putaret, ministri et diri-
bitoris officium esse. Verum quum ipse pecuniæ omnia 10
penetrabilia jactaret, eaque [1] haud minus sæpe quam
armis uteretur, non tam recta præcipiendi studio ita scrip-
sisse visus est, quam metu, ne ab adolescente filio suis ar-
tibus oppugnaretur. Idem objurgavit Alexandrum, quod 11
Pexodori filiam [2], quam Aridæo destinaverat pater, ambi-
visset, degenerem, et fortuna, in cujus spem educaretur,
indignum appellando, qui Carem barbarum, barbaroque regi
subjectum, socerum optaret. Sed ipse, ut potentiam suam 12
firmaret [3], nullam conditionem aspernatus erat, quin ex
asperrima barbarie illyrias geticasque mulieres matrimonio
jungeret, quamquam ex aliis etiam uxoribus pellicibusque
complures liberos suscepisset. Quod quum Alexandro mo- 13
lestum accideret, urbane adolescentem corripuit, hortatus,
ut multos imperii æmulos habiturus, operam daret, quo
omnibus melior præstantiorque, non ob Philippum patrem,
sed ex suo merito, rerum potiri videretur [4]. Quum autem 14
ob has similesque caussas crebra inciderent jurgia, nec
abrupta semel benevolentia fido affectu coalesceret, ad
extrema prolapsi sunt; præcipua Olympiadis violentia, in qua
contumaciam sexus ingenium vastum et vehemens virili sce-
lere in vindictam armabat. Stimulaverat ea fratrem Alexan-
drum, ut Philippo bellum faceret. Id ne alieno tempore 15
excipere cogeretur, callidus rex, quamquam viribus plus
poterat, firmata per novam affinitatem gratia prævenire stu-
duit, desponsa epirotæ Alexandri germana, Cleopatra [5]. Ad 16
istas nuptias celebrandas finitimarum gentium reguli, græ-
carumque civitatum legati frequentes Ægas convenerant.
Id oppidum elegerat Philippus, non sine quodam omine
eorum, quæ postea accidere; nam ibi Macedonum reges
sepeliri mos erat [6]. Ferunt etiam Apollinem Delphicum de 17
bello persico consulenti maturum interitum cecinisse; sed

1. Plut. Apophth. 27. Demosth. de Corona. Diod. XVI, 54.
2. Plut. Alex. 16.
3. Athenæus, XIII, 10. Steph. voc. Γετία. Ælian. Var. histor. XIII, 36.
4. Plut. Apophth. 27.
5. Diod. Sic. XVI, 91.
6. Plin. Hist. nat. IV, 17.

ambiguum, ut mos oraculis, responsum Philippus ad barbarorum exitium blanda interpretatione traxerat[1]. Alia quoque præsagia, quæ tum nemo animadverterat, eventus mons-
18 travit. Erat inter custodes regii corporis Pausanias quidam, quem in solatium acceptæ ab Attalo injuriæ, rex in eum dignitatis gradum provexerat: quippe Pausaniam Attalus mero onustum nefariis convivarum ludibriis exposuerat.
19 Hujus ultionem quum a rege peteret, honorem accepit. Etenim Philippus virum spectatæ in bello fortitudinis, ad hoc nuper propinqua affinitate conjunctum punire adeo non sustinuit, ut insuper copiarum parti præfectum cum Parmenione et Amynta in Asiam præmitteret[2], opera ejus usurus
20 in expeditione persica. Pausaniam autem rogatum, ut ipsi temporibusque reipublicæ dolorem suum condonaret, comitate alloquii et honestiore stipendio placare conatus est. Sed adolescens majorem contumeliæ quam beneficii rationem habuit, odiumque ab auctore injuriæ, in negligentem
21 ejus vindicem convertit. Cum iis etiam, quos infensos Attali domui, nec Philippo concordes esse noverat, consilia communicasse non præter rationem creditum est[3], postquam ab Olympiade parricidæ in cruce pendenti coronam auream impositam[4] nemo dubitavit, aliaque facinora perpetrata sunt, ex quibus totius sceleris ordo caussæque haud
22 obscure perspicerentur. Dubia adhuc luce theatrum ingens hominum multitudo impleverat, spectatura ludos, qui superiorum dierum spectacula luxu et magnificentia longe su-
23 peraturi dicebantur[5]. Inter alia, quibus divitiis illudere solent opulenti reges, et fortunæ suæ magnitudinem non capientes, duodecim deorum effigies eminebant, in quibus artificum industria cum materiæ dignitate certaverat. Tertiadecima Philippi thensa accesserat, nulla in re cæteris vi-
24 lior. Id mortalitatis fastidium matura ultio consecuta est: et successu rerum insolescentem, seque diis immortalibus æquantem, priusquam indebito honore frueretur, fatum oc-

1. Diod. loco laudato. Pausan. VIII. Arrian. I, 25.
2. Diod. XVI, 93. Justin. IX, 5.
3. Plut. Alex. 17.
4. Justin. IX, 7.
5. Diod. Sic. XVI, 92.

cupavit. Pausanias theatrum intrare volentem observaverat: 25
utque [1], præmissis amicis, qui eum deduxerant, relictisque
a tergo satellitibus (nam in tanta omnium benevolentia nihil
iis opus esse volebat ostendere), solus ingrediebatur; percus-
sor improvisus adsilit, gladioque barbarico, quem sub veste
habuerat, latus nihil tale exspectantis haurit. Hic fuit exi- 26
tus maximi ætatis suæ regum. Macedoniæ regnum magnum
ex inopi reddiderat: circumjectam barbariem domuerat:
Græciæ imposuerat jugum: tum etiam persico imperio im-
minebat. Jam auxilia Græcorum coibant: jam in Asiam trans- 27
jecerant præmissi ab eo duces; quum in ipso rerum geren-
darum articulo, prolixum victoriæ fructum sibi pollicentem
vita destituit. Ita maxima quæque in lubrico sunt; et auda- 28
cissimas spes hominum quilibet ex improviso casus eludit.
Olympias, comperta morte regis, Cleopatram Attali sorore 29
genitam ad suspendium adegit; [2] natum ex ea paucis ante
patris necem diebus puerum in ænea pelvi torruit: in clientes
etiam propinquosque ejus atrocibus suppliciis sæviit, et oc-
casione vindictæ per muliebrem impotentiam crudelissime
usa est.

X. Sed Alexander, per cujus absentiam mater ista perpe- 1
traverat, [3] tanquam salutare sidus, componendis tantis fluc-
tibus tempestivus affulsit. Quippe, erectis in spem libertatis 2
Græcorum animis, quos Philippus oppresserat, et tumul-
tuantibus in vicinia barbaris, ne Macedoniæ quidem tran-
quillæ res erant. Attalus, haud spernendi exercitus prætor, 3
ambitioso imperio mirum sibi favorem apud militum vulgus
conciliaverat: [4] principibus Macedonum propinquitate in-
nexus, etiam Philotæ sororem sibi desponderat: [5] neque post
tantas utrimque offensas, inviso infestoque fides haberi po-
terat. Amyntas, quem fratre Perdicca genitum, data in ma- 4
trimonium Cyna Philippus generum legerat, ad paterni regni
successionem per Alexandri cædem [6] adspirabat. Populi 5
magna pars Olympiadis tyrannidem exosa, alii rerum nova-

1. Joseph. Antiqq. XIX, 1.
2. Justin. l. l. Pausan. VIII.
3. Plut. Alex. 17.
4. Diod. Sic. XVII, 2. Justin. XII, 6.
5. Curt. VI, 9.
6. Curt. l. l. Plut. de fort. Alex. I, 3.

rum cupidine, varie in hunc aut illum inclinabant studiis:
nec deerant, qui Alexandro Æropi filio restituendum dice-
rent fastigium, [1] quod, excluso legitimo regni herede,
Amyntas prius, deinde Philippus, vi ac fraude invasissent.
6 Exercitus quoque variis ex nationibus compositus, [2] ut cui-
que animus aut spes erat, discordibus consiliis et sermonibus
7 agitabatur. Contra Alexandro novum imperium, ac subito
Philippi casu nihil adversus ingruentes motus provisum erat:
et quamquam indolis haud pœniteret, ætas spernebatur. Vi-
ginti annorum adolescentem [3] tantæ rerum moli humeros
subjecturum, aut, si recepisset, parem futurum non arbi-
8 trabantur. Etiam nervus gerendarum rerum pecunia defece-
rat, qua abundantes Persæ in omnem fere Græciam corrup-
tores miserant [4]: et, ne quid malis deesset, Macedoniæ
9 maritima Tusci [5] piratæ deprædabantur. Convocatis amicis,
quum de præsenti rerum statu deliberatio instituta esset,
non defuerunt, qui censerent, [6] omissa Græciæ cura, quanta
posset lenitate deficientes barbaros in officio continendos
esse: postquam intestini motus consedissent, longinqua fa-
10 cilius compositurum. Verum adolescens insigni animi mag-
nitudine, cauta consilia pro ignavis fastidiebat. Perpetuo
omnium contemptui obnoxium fore, si in principio regni
impune se sperni pateretur. Ad omnem deinceps vitam per-
tinere, qualem de se opinionem in animis hominum inci-
11 piens imperator excitet. Philippi necem haud magis sibi,
quam rebellibus inexspectatam accidisse: trepidantes adhuc,
et consilii incertos nullo negotio opprimi posse: per Mace-
donum cunctationem erigi seditionis auctores; et qui nunc
12 etiam nutarent animis, tumultuantibus accessuros. Ita con-
tra paratos confirmatosque anceps discrimen subeundum:
nunc celeritatis magis, quam virium certamen esse. Quod
si adversus singulos audacia non esset, quid deinde futurum,
si metum confesso omnes uno impetu superfunderentur?

1. Plut. l. l. Arrian. I, 25.
2. Justin. XI, 1.
3. Justin. l. l. Arrian. I, 1. Suidas voc. Ἀλέξανδρος.
4. Plut. Demosth. 26. Justin. XI, 2. Diod. Sic. XVII, 4.
5. Strab. V.
6. Plut. Alex. 18. Justin. l. l.

His deinde congruentia ad populum locutus, adjecit, effec- 13
turum se, ut cives hostesque fateri cogerentur, erepto patre,
corpus nomenque regis mutatum esse, [1] consilium animum-
que non desiderari. Eam rerum conversionem nonnullos oc- 14
casionem tumultuandi putavisse; sed brevi pœnas daturos,
modo Macedones eosdem animos, eosdem lacertos sibi com- 15
modarent, quos tanta cum ipsorum gloria, tantoque victo-
riæ fructu, patri suo per tot annos præstitissent. Id quo 16
promptius alacriusque facerent, omnium præter militiæ va-
cationem ipsis concedere. Consilium regis fortuna compro- 17
bavit: non segnius quam locutus fuerat, singula aggressum
felicissimus omnium exitus secutus est. Et Amyntam qui-
dem, patefactis quas ille struxerat insidiis, occupavit: Atta-
lum per Hecatæum et Parmenionem sustulit [2]. Ex iis, quos 18
in Philippi necem consensisse rumor arguebat, unum Alexan-
drum Lyncestem exemit supplicio, [3] quod imperium susci-
pienti adfuisset, primusque regem salutasset: cæteros occi-
dit. Ea severitate suam salutem in vindicta Philippi muniri 19
credebat; simul aboleri famam, qua, ut conscius paternæ
cædis notabatur. Crebræ inter eos discordiæ fidem suspicioni 20
fecerant; et questum injurias Pausaniam ad facinus confir-
masse ferebatur, prolato ex tragœdia carmine, [4] quo Medea
pariter pellici suæ, quique eam in matrimonium Jasoni tra-
didisset, et cujus in manum convenisset, idem exitium mi-
nabatur. Verum ipse, quum aliquando Darii epistolæ respon- 21
deret, invidiam in Persas transferre conatus est; [5] illorum
auro percussores Philippo comparatos fuisse: quoque magis 22
omnem culpæ suspicionem extergeret, postremo vitæ tem-
pore magnificum Philippo templum [6] exstruere cogitaverat:
id, inter alia in commentariis ejus reperta, successores ne-
glexere.

XI. Quum autem ad perficienda quæ animo agitabat, 1
maximum in eo momentum positum arbitraretur, ut Græ-

1. Diod. Sic. XVII, 2. Justin. l. l.
2. Diod. XVII, 5. Curt. VII, 1.
3. Arrian. I, 25. Curt. VII, 1. Just. XI, 2.
4. Plutarchus in Alexandro, c. 17.
5. Arrian. II, 14. Curt. IV, 1.
6. Diod. Sicil. XVIII, 4; ubi vid. cætera quæ jusserat Alexander.

ciæ principatum, quem Philippus comparaverat, retineret;
2 raptim exercitu ducto Thessaliam improvisus irrupit. Sustulerant animos Thessalorum quidam, et insessis ad Tempe
3 angustiis iter ex Macedonia venienti occludebant. Quippe eas regiones Olympus atque Ossa celebrati montes [1] dirimunt: per quorum convalles Penêus amnis labitur, mira amœnitate solemnia gentis sacrificia meritus: lætis utrimque nemoribus obumbratus incedit; multoque cum fremitu ruenti, ex vi-
4 cinis arboribus avicularum garritus obstrepit. Angusta semita per quinque fere millia passuum [2] protenditur, vix onusto jumento sufficiens iter præbens, quod adversus quem-
5 cunque numerum hominum vel decem armati sepiant. Sed ille, qua minime perviæ rupes existimabantur, scalarum in modum exciso [3] montis Ossæ latere, circumitu penetravit; adeoque celeritate sua cunctos exterruit, ut omnia ei vectigalia reditusque, simul universæ gentis imperium, quibus id legibus Philippus habuisset, nullo jam repugnante decer-
6 nerentur [4]. Phthiam, [5] quæ generis sui auctorem Achillem protulisset, immunem esse jussit, eumque heroem expeditionis adversus Persas socium atque commilitonem eligere
7 se dixit. Ex Thessalia Thermopylas petiit, publicum Græciæ
8 concilium; *Pylaicum* [6] appellant. Ibi quum frequens per eos dies conventus esset, in locum patris Amphictyonum decreto summus Græcorum imperator creatus, [7] Ambraciotis ratam esse libertatem jussit, quam nuper expulso Macedonum præsidio receperant: ultro redditurum fuisse dictitans,
9 ni paucis diebus ipsum antevertissent. Exinde Thebis admoto exercitu, fractaque Bœotorum et Atheniensium contumacia, qui populi maxime suis consiliis obstiterant, apud
10 Corinthum Græcorum legatos occurrere sibi jussit. [8] Ibi confirmato Amphictyonum decreto, communi omnium sententia, in Philippi patris locum imperator Græciæ suffectus est,
11 et in bellum persicum auxilia decreta. Forte in eadem urbe

1. Maxim. Tyr. orat. 38.
2. Plin. H. n. IV, 15. Liv. XLIV, 6.
3. Polyæn. Stratag. IV, 3, 23.
4. Diod. XVII, 4. Justin. XI, 3.
5. Philostratus in Heroicis.
6. Liv. XXXI, 32.
7. Diod. Sic. l. l.
8. Diod. Sic. l. l. Justin. XI, 2.

Diogenes degebat, qui cynico instituto spontaneam pau-
pertatem amplexus, liberum et sui juris animum opibus
curisque prætulerat: apricabatur ille in Craneo, [1] Corinthi 12
suburbio, ubi cupressorum lucus est. Eo quum Alexander
videndi ejus desiderio venisset, [2] optionemque faceret, quæ
vellet, ab ipso petendi; parumper discedere jussit regem,
ne solem interciperet. Inopinatum responsum, hominem- 13
que, in quem in tanta sua fortuna ne beneficii quidem jus
haberet, admiratus Macedo dixisse fertur, Diogenem esse
voluisse, ni Alexander esset. Scilicet magnitudo animi, qui 14
ex alto despiceret omnia, quorum caussa reliqui mortales
semetipsos cupide perdunt, non plane fallebat mentem acer-
rimi juvenis; sed obcæcata cupiditatibus pervidere non po-
terat, quanto melius esset carere supervacuis opibus quam
habere necessarias. Ex Peloponneso Delphos invisit, Apol- 15
linem de eventu belli, quod moliebatur, consulturus [3]; sed
virgo fatidica negabat per eos dies adiri deum fas esse: do-
nec ipse eo profectus, vi corripuit virginem, et ad templum
traxit. Sed quum, inter eundum, illa patrium morem per- 16
tinacia regis victum reputans, exclamasset, « invictus es,
fili; » accipere omen dixit, nec alio oraculo sibi opus esse.
His rebus celeriter confectis, in regnum regressus, summo 17
studio in vindictam spretæ Macedonum majestatis incubuit.
Jamque præparatis omnibus, vere novo ex Amphipoli mo-
vens, adversus liberas Thraciæ gentes, decimis castris ad
montem Æmum pervenit. Magna Thracum manus jugum 18
occupaverat, transitu [4] prohibitura regem. Castra plaustris in
modum valli circumdederant; propulsuri in hostem, si vis
inferretur. Alexander, barbarorum astu cognito, edixit mi- 19
litibus, ut [5], plaustris irruentibus, diducta phalange innoxia
dilabi paterentur; aut, si deprehensi essent, humi strati,
clypeis arcte commissis, testudine se protegerent. Ita hos- 20
tium dolus irritus fuit: magna plaustrorum pars per inter-

1. Pausan. II.
2. Plut. Alex. 22, et ad pr. indoct. c. 7. Valer. Max. IV, 18. Juv. XIV, 309. Senec. de Benefic. V, 4. Arrian. VII, 2. Dio, orat. 4. Laertius in Diog.
3. Plut. Alex. 23.
4. Arrian. I, 1.
5. Polyæn. Stratag. IV, 2, 11.

valla ordinum devoluta est; quæ armatis incidere, clypeis
impacta, suoque impetu subsilientia nihil ponderis ad ob-
terendum habuere : omnisque illa tempestas citra noxam
21 detonuit. Quo metu liberati Macedones, alacri clamore
edito, impressionem faciunt. Procurrentes barbaros præ-
gressi a dextro cornu sagittarii frequentibus telis incessebant.
Ita sine periculo phalanx in verticem enisa, ut primum æquo
loco consistere potuit, haud ambigua victoria hostem nu-
22 dum aut leviter armatum disjecit; sed eadem res, quæ bar-
baros in prælio prodiderat, in fuga adjuvit. Armis haud
sane onerati per nota loca facile dilapsi sunt : ita deside-
ratis ex omni numero mille quingentis, cæteros fuga ab-
stulit : mulierum puerorumque ingenti multitudine, præ-
daque pro locorum conditione satis ampla, victor potitus
23 est. Sic aperto montis Æmi transitu, in interiora Thraciæ
penetratum [1] est. Lucus est in iis gentibus, quem Libero
24 patri dicatum prisca religione colunt; ibi, quum Alexander
barbaro ritu sacrificans, vinum aris infunderet, tanta flammæ
vis erupit, ut superato ædis [2] culmine, in cælum emicare
videretur. Eosdem gloriæ fines regi ostendi omnes credi-
25 dere. Alia subinde res nuntiata prioris prodigii fidem affir-
mavit. In Thracibus, qui *Odrysæ* appellantur, Libethrus
mons et civitas est, Orphei natalibus inclyta : ejus sacram
effigiem ex cupresso fabricatam multo sudore [3] manasse,
26 qui viderant, ad regem retulere. De interpretatione sollici-
tis Aristander exemit metum, ad res Alexandri pertinere
asseverans, quibus decantandis alumni filiique Musarum
multum desudaturi essent. Triballi, valida natio, trans
27 montem Æmum colunt. In eos quum descenderet Alexan-
der, rex gentis Syrmus in Peucen Istri insulam confugerat,
expeditione [4] Macedonis multo ante comperta, seque et
quidquid ætate vel sexu invalidum erat, objecto amnis mu-
28 nimento tuebatur. Quippe Alexandro paucæ naves erant,
et in aspera præruptaque ripa difficilis exscensio, ab hoste
29 intento validoque haud ægre impediebatur. Ita Macedones

1. Macrob. Saturn. I, 18.
2. Sueton. Octav. 94.
3. Plut. Alexand. 23. Arrian. I, 2.
4. Arrian. I, 2. Strab. VII.

re infecta discesserunt, contenti illata paucis ante diebus
clade: nam priusquam eo processissent, alium Triballorum
exercitum adorti, vix quinquaginta suorum amissis, tria
hominum millia occiderant.

XII. Syrmo rege nequidquam oppugnato, in Getas con- 1
vertit impetum, qui in ulteriore ripa quatuor equitum,
decem peditum millia instruxerant. Id periculum non tam 2
ex usu belli sumpsit, quam cupidine famæ, ut maximum
Europæ flumen[1], defendentibus ferocissimis gentibus, trans-
ivisse gloriari posset. Igitur equitibus, quotquot capere 3
navigia poterant, impositis, pedestrium copiarum partem
lintribus, quarum ibi magna erat copia, alios utribus trans-
duxit. Improvisa Macedonum impressione (quippe trans- 4
mittentes nox, et in ripa, quam petebant, densa frumenti
seges texerat) territi Getæ, vix primum emissi equitatus im-
petum tulere. Ut deinde cum phalange Nicanor successit, 5
effuso cursu urbem quatuor ferme passuum millibus a flu-
mine distantem petiverunt; mox, instante Alexandro, avec-
tis conjugibus liberisque, quot eorum equis eripere potue-
rant, cæteros reliquere victori. Eos rex Meleagro et Philippo 6
abducendos dedit; excisaque urbe, et in ripa fluminis Jovi
Herculique et ipsi Istro, qui transeunti propitius fuisset, aris
consecratis, eodem die reduxit exercitum, incruenta victo-
ria potitus. Venerunt deinde finitimarum gentium Syrmique 7
regis oratores cum donis, quæ apud ipsos in pretio haben-
tur. Germani quoque, qui usque a fontibus Istri terras ad
sinum Adriaticum spectantes habitant, legatos miserant:
nam Ister in Germania oritur: ipsi patrio vocabulo *Danu-
bium* appellant[2]. Magnitudinem corporum animorumque 8
alacritatem admiratus Alexander, interrogavit, quidnam om-
nium maxime vererentur, putans suam potentiam formida-
bilem ipsis esse, eamque se confessionem expressuros[3]. Illi,
nihil se magnopere vereri responderunt, nisi forte, ne cæ-
lum in ipsos rueret: cæterum virorum fortium amicitiam
plurimi facere. Perculsus improviso responso paulo reticuit; 9

1. Arrian. I, 4.
2. Tacit. Germ. 1.
3. Tac. l. l. Strab. VII; vid. quoque Jo. Magnum hist. Goth. III, 12.

deinde hoc unum effatus, Germanos arrogantes esse, fœdus,
ut petiere, junxit; Syrmoque et reliquis pacem dedit : satis
gloriæ ea expeditione partum existimans, et in persicum
bellum animo conversus, unde cum leviori discrimine longe
10 majus operæ pretium exspectabatur. Taxasse id avunculum
ejus Alexandrum constat[1], quum paullo post bello in Italia
gerendo fatigaretur : nam inæqualem utriusque sortem
questus, sibi cum viris pugnam evenisse dixit, Macedoni
11 cum mulieribus. Cæterum regulos Thracum, quique alii
ad res novandas opibus aut animis idonei videbantur, spe-
cie honoris, tanquam commilitones adversus Persas adscis-
ceret, abduxit[2], capitaque ademit factionibus, sine princi-
12 pibus nihil ausuris[3]. Per Agrianos et Pæonas Macedoniam
repetenti[4] Illyriorum motus nuntiatur. Bardylis[5], ex car-
bonario multarum in eo tractu nationum rex, etiam Ma-
cedoniæ gravis incubuerat, donec magno prælio a Philippo
victus, atque instaurato deinde bello fractis omnino viribus,
13 in ditionem victoris concederet[6]. Atque ille jam obierat,
vita ad nonagesimum ætatis annum producta : cæterum
filius ejus Clitus opportunum recuperandæ libertatis tem-
pus advenisse dictitans, dum asperrimarum gentium armis
Alexander trans Istrum attineretur, populares ad arma ca-
pienda impulit, inita societate cum Glaucia, rege Illyriorum,
14 qui Taulantii vocantur[7]. Autariatæ, alia natio, iter facientes
Macedonas aggressuri fuerant; sed Langarus, Agrianorum
rex, Alexandro fidus, petiit, ut sibi curam eam permitteret:
sese domi eorum tantum negotii ipsis comparaturum, ut
animum a vexandis Macedonibus ad sua tuenda conversuri
15 essent. Collaudatum donisque magnifice cultum juvenem
dimisit rex; etiam sororis Cynæ nuptias pollicitus, quam
ex Illyria muliere susceptam Amyntæ in matrimonium de-
16 derat pater. Et Agrianus quidem promissam operam præ-
stitit; sed morbo correptum, ne pacta mercede frueretur,

1. Liv. IX, 19. A. Gell. XVII, 21.
2. Frontin. Stratag. II, 11, 3.
3. Justin. XI, 5.
4. Arrian. I, 5.
5. Diod. Sic. XVI, 4. Hellad apud Photium. Lucian. in Macrob.
6. Diod. Sic. XVI, 22.
7. Arrian. I, 5.

brevi consecuta mors prævenit. Ita cohibitis Autariatis, 17
sine certamine Pelium perventum est, [1] Dessaretiæ oppi-
dum, Eordaico flumini imminens. Speciem pugnam expe- 18
tentium præbebant hostes, ut velut manus conserturi extra
præsidia sua ferociter procurrerant; sed priusquam prælium
committi posset, refugerunt; licet opportuna loca, silvis- 19
que et collibus impedita præcepissent. Fœdum ibi specta-
culum Macedonum oculis objectum est: tres pueri, toti-
demque puellæ cum tribus nigris arietibus confusa strage
jacebant, quos barbari sacrilegio sacro diis suis immolave-
rant, quo pugnaturis audaciam inspirarent; sed vindex
numen scelestis mentibus pro virtute vecordiam injecit. Rex 20
intra mœnia compulsos ducto exteriore muro intercludere
statuerat; quum postridie cum magnis Taulantiorum copiis
Glaucias advenit. Ita spe capiendæ urbis abjecta, quomodo
tuto discederet, cogitabat. Interim Philota cum jumentis 21
castrensibus et præsidio equitum frumentatum misso, com-
perit suos in discrimine versari; quippe Glaucias colles
campo circumdatos occupaverat, in occasionem gerendæ
rei intentus. Igitur adversus oppidanorum eruptionem, 22
parte exercitus in castris relicta, cum cæteris copiis im-
pigre profectus est; territisque Illyriis, suos recepit incolu-
mes. Cæterum iter facturo maximum periculum imminebat.
Hinc flumen, inde prærupti arduique colles viam coarcta- 23
bant, relicto itinere, quod multis locis vix quaternos arma-
tos caperet: montium jugis Clitus atque Glaucias sagittario-
rum et funditorum cohortes, magnamque gravis armaturæ
manum imposuerant. Alexander, ducentis equitibus ante 24
utrumque phalangis cornu collocatis, imperat, ut erigerent
hastas; mox, signo dato, versus hostes, tanquam impetum
facturi, infestas protenderent, modo in dextrum, modo in
sinistrum latus invicem conversi. Suspensis eo commento 25
hostibus, phalangem raptim progressam nunc in plures
acies diducit, nunc divisam colligit; ad extremum cuneo
facto, in læva Illyriorum præsidia strenue infert. Illi cele- 26
ritate et peritia Macedonum in stuporem versi, desertis

1. Arrian. lib. I, capp. 5 et 6. Titus Livius, lib. XXXI, cap. 40.

27 quos tenuerant montibus, versus urbem refugerunt. Pauci restiterant in edito colle, qua jam transierat Macedonum agmen : iis dejectis, Alexander duobus fere millibus Agrianorum sagittariorumque locum capit; phalangi, quam flu-
28 men transmittere jusserat, præsidio futurus. Ea re conspecta, universa hostium multitudo iter ad montes arripuit; eo consilio, ut transjecta gravi armatura, extremum agmen,
29 in quo ipse rex transiturus erat, adorirentur. Ille nihil territus, venientes fortiter excipit : simul phalanx, sublato clamore, quasi iterum transmisso amne subsidio suis itura,
30 metum incussit hosti : nam rex quæ evenerunt futura ratus, præceperat, ut in adversam ripam delati statim aciem instruerent, lævum cornu, quod a flumine hostibusque propius aberat, in speciem multitudinis quantum possent explicantes. Itaque quum universum exercitum incumbere sibi pu-
31 tarent Taulantii, paulisper retrocesserunt. Id spatium nactus Alexander, suos raptim ad flumen ducit : quo ubi ventum est, ipse inter primos transgreditur; et quum eos, qui agmen claudebant, reversus hostis urgeret, machinis dispositis, quæ trans amnem missilia spargerent, eum submovit : simul, qui jam ingressi flumen erant, e mediis aquis tela conjecere.
32 Ita nemine desiderato ceterum iter quietum habuit. Triduum intercesserat, quum hostes, tanquam fugato Macedone metu vacuos, passim nullo ordine tendere, neque more militari vallum fossamve pro castris habere, neque
33 vigilias et stationes obire nuntiatur. Igitur assumptis sagittariis Agrianisque, et ea Macedonum militum manu, quam Perdiccas et Cœnos ducebant, noctu superato flumine, celeriter ad eos contendit, reliquo exercitu sequi jusso.
34 Nec exspectato eo, ne occasionem mora consumeret, levis armaturæ militem præmittit : mox ipse cum cæteris impetu facto, semisomnos et inermes magna strage afficiunt, multos vivos capiunt, reliquos conjiciunt in fugam, et ad
35 Taulantiorum usque montes persequuntur. Clitus in ea consternatione in oppidum Pelium se recepit ; deinde sive munimentis urbis, sive suorum animis diffisus, incensa urbe, in Taulantios exsulatum abiit.

XIII. Interea per universam Græciam diffusus rumor, 1
Alexandrum in Triballis cecidisse [1], omnes Macedonicis
opibus adversos in spem rerum novandarum erexit. Ea 2
quoque in rebus humanis haud postrema calamitas est,
quod utcumque levi auctori, quæ facta optamus, tam enixe
creduntur, quasi veritati vim afferre possit pertinax et im-
patiens rationis opinio. Repertus est qui se inspiciente cir- 3
cumventum regem, et, quo minus ambigeretur, se in ea
pugna vulneratum esse affirmaret : id pronis auribus ac-
ceptum vulgatumque, civitati Thebanorum extremæ cala-
mitatis initium exstitit. Quippe eo nuntio exciti quidam 4
exsulum, quos a Philippo ejectos diximus, ducibus Phœnice
et Prothyte, præfectos Macedonum, qui Cadmeam obtine-
bant, quum nulla doli suspicione extra arcem progressi es-
sent, obtruncant : civibus ad speciosum liberandæ patriæ
titulum strenue concurrentibus, præsidium obsident [2]; et
duplici vallo fossaque, ne commeatus aut auxilia submitti
possent, circumdant. Legatis deinde supplicum habitu cir- 5
cum civitates Græciæ missis orabant, ne deesse vellent in-
digne ereptam libertatem repetentibus. Et Demosthenes
quidem veteri in Macedonas odio Athenienses permovit, ut
auxilia prompte decernerent: missa tamen non sunt, quia
subito Alexandri adventu perculsis exspectanda fortunæ
inclinatio videbatur. Demosthenes privatis copiis Thebanos 6
adjuvit, magnumque armorum numerum gratis subminis-
travit [3], quibus perarmati qui Philippo adimente sua amise-
rant, Cadmeæ præsidariis acriter institerunt. Peloponnesio- 7
rum haud invalida manus ad Isthmum convenerat [4]; ad
quos quum Antipater, quem interim, dum abesset, Mace-
doniæ præfecerat rex, misisset petitum, ne contra commune
Græciæ decretum cum professis Alexandri hostibus consilia
miscerent; nihilominus Thebanorum oratores admiserunt.
Quumque vulgus militum misericordia permoveretur, dux 8
eorum Astylus, Arcas genere, moras nectebat; non tam
incæpti difficultate territus, quam per avaritiam, ut a festi-

1. Arrian. I, 7. Justin. XI, 2.
2. Diod. Sic. XVII, 8.
3. Plut. Demosth. 32. Diod. l. l.
4. Dinarch. contr. Demosth.

nantibus et necessitate anxiis majus stipendium acciperet.
9 Decem talenta poscebantur : ea quum Thebani non conficerent, a macedonicæ factionis hominibus oblata sunt, ut quiesceret. Ita de Arcadum auxiliis Thebanorum spes in ni-
10 hilum recidit. Alias tamen ex Peloponneso copias, ne adversus Thebas militarent, pecunia Demosthenes avertit. Namque trecenta talenta a Persis accepisse dicebatur [1], quibus ad
11 facessendum Alexandro negotium uteretur. His ita nuntiatis, Alexander præter Eordæam et Elymiotin, rupesque Stymphæas et Paryæas rapit exercitum; septimoque post die quam a Pelio movisset, Pellenen Thessaliæ oppidum pervenit. Post sextum deinde diem in Bœotiam venit; mox Onchestum, sex circiter passuum millibus a Thebis distantem, processit.
12 Inter hæc Thebani majore animo quam consilio administratis rebus, omnium ignari agebant; nec dum intra Pylas esse credebant Macedonum copias : ipsum vero regem adventare adeo fidem superabat, ut potius alium Alexandrum Æropi
13 filium exercitui præesse contenderent [2]. Rex ad fanum Iolai positis castris, quod ante Prœtidem portam est, pœnitentiæ eorum locum dare constituerat; quum illi, eruptione facta, in stationes Macedonum invecti, quosdam interficiunt, alios loco pellunt, donec ad ipsa jam castra suggressos emissa
14 regis jussu levis armatura rejecit. Postero die ad portas, quibus in Atticam euntibus iter est, promoto exercitu, ut suis in arce conclusis præsto esset, adhuc cunctabatur, et, si
15 pœniteret, erroris veniam ostentabat. Sed quibus pax placebat, potentia exsulum, eorumque per quos revocati fuerant, opprimebantur : qui, nulla spe salutis reliqua si Macedones urbe potirentur, patriæ ruinis obrui malebant, quam illius incolumitatem suo interitu emere, et ex Bœotarchis non-
16 nullos in consilium traxerant. Quantaque hominum vecordia fuerit, vel hinc cognosci potest, quod, Alexandro postulante ut defectionis auctores dederent, duobus capitibus
17 omnem civitatis noxam expiaturi; ipsi vicissim Philotam et Antipatrum principes amicorum regis deposcere sint ausi,

1. Plut. Demosth. 32. Id. in X orat. XI, 2. Dinarch. contr. Demosth. Just. lib. XI, cap. 2. Pausanias, lib. IX.

2. Arrian. I, 7.




ESSAI
Chemin de Thessalie
Portes Homoloïdes



et per præconem pronuntiare[1], si qui cum magno rege et
Thebanis Græcorum libertatem adversus tyrannum adse-
rere vellent, eos apud Thebas perfugium habituros. Nec 15
tamen Alexandri imperio oppugnata urbs est; sed, ut Pto-
lemæus tradidit[2] (nam quidam aliter narrant), Perdiccas,
qui in ea castrorum parte curabat, quæ vallo hostium, quo
Cadmeam incluserant, obversa erat, non exspectato signo
impetum in eos fecit; superatoque munimento, manus cum
hoste conserere cœpit, et Amyntam, qui cum sua cohorte 19
juxta ipsum tendebat, ut idem auderet, exemplo permovit.
Mox Alexander, suis timens, cum tota copiarum mole ad- 20
fuit, et leviter armatis perrumpere, suisque auxilio ire jus-
sis, ipse cum reliquis pro vallo substitit. Acri conserto 21
prælio, Perdiccas, dum interius vallum molitur, graviter
saucius pugna effertur; et Cretensium sagittariorum multi,
cum Eurybota duce suo cadunt. Thebani perculsis instant,
et ad Alexandrum refugientes insequuntur. Ibi quum rex 22
instructa phalange dispersos et turbatos hostium ordines
invaderet, statim, versa pugnæ fortuna, tanta Thebanorum
trepidatio fuit, ut ne ad portas quidem, per quas in urbem
se receperant, occludendas mente competerent: simul qui
Cadmeam tenebant, in subjectos arci vicos excurrerunt. Ita 23
nobilissima Græciæ urbs intra eumdem diem oppugnata et
capta est. Nullum in ea crudelitatis exemplum prætermissum
constat: viros feminasque promiscua strages hausit; nec ab
impuberum cæde temperatum est. Phocensium Platæen- 24
siumque et Orchomeniorum et Thespiensium ea infamia
fuit[3]; quibus olim, dum Thebana res valebat, vicinæ civi-
tatis opulentia exitiosa fuerat: Macedones ultra fas belli non
sæviere. Tandem, ut cædibus abstineretur, proclamatum 25
est, quum jam sex hominum millia periissent: cæteris cap-
tis, ad triginta millia liberorum capitum venierunt. Ex omni 26
præda quadringenta et quadraginta talenta redacta fuisse
Clitarchus tradidit[4]: alii, ex pretio captivorum id pecuniæ

1. Plutarch. Alex. 19. Diodor. Sic. XVII, 9.
2. Arrian. I, 8. Polyæn. Strat. IV, 3, 12. Diodor. Sic. XVII, 13 et 14.
3. Arrian. loc. laud.
4. Athenæus, IV.

effectum. Centum talenta, quæ Thebanis Thessali debebant,
27 Alexander sociis accepto tulit. Pauci quos bellum dissuasisse
constabat, servitutem effugerunt: item sacerdotes [1], et quo-
28 rum hospitio rex paterve ejus usus esset. Ex reliquis Timo-
clea [2] nobilis facinoris mercedem, cum præsenti libertate,
famam apud posteros tulit. Inter Thracas, qui Alexandro
militabant, quidam equitum ductor post vim mulieri illa-
tam, ubi pretiosissima quæque occuluisset, minitabundus in-
29 terrogabat. Illa non tam opum quam pudoris damno mœsta,
avaritiam barbari in occasionem vindictæ convertit: osten-
soque puteo, in quem mundum suum conjecisse simulabat,
hominem cupide eo despicientem subductis pedibus impu-
lit; conjectisque desuper saxis, quum ex angusto profundo-
30 que loco adscensum frustra moliretur, obruit. Comprehensa
a turmalibus occisi, ad Alexandrum trahitur, ut interfecti
31 ducis pœnas daret. Ibi interrogante rege, quænam esset, et
ob quod delictum adduceretur, intrepido vultu et voce,
« Theagenis, inquit, soror sum; ejus, qui pro libertate Græ-
32 ciæ Thebanorum imperator occubuit. Injuriam meam ulta
castitatis meæ prædonem interemi; cui si meo supplicio pa-
rentari jubeas, scies honestæ mulieri post extortam pudici-
tiam spiritu nihil vilius esse, quem utcunque expellere festina-
33 veris, sero moriar, pudori patriæque superstes. » Alexander,
cognita caussa, Thracem jure cæsum pronuntiavit; neque
sibi placere ingenuis mulieribus vim fieri; collaudatamque
feminam, cum omnibus qui cognatione ipsam attingerent,
liberam esse jussit; et quo quisque vellet discedendi potes-
34 tatem fecit. Pepercit et Pindari posteris [3], in honorem vatis,
qui proavum regis Alexandrum carminibus suis inseruerat,
35 ipsiusque domum cremari vetuit. Non enim præsentem tan-
tum virtutem adamavit, verum etiam memoriam magnorum
virorum reverentia, et progeniem illorum beneficiis prose-
36 cutus est: nam et postea quum postremo prælio Darium vi-

1. Plut. Alex. 19. Ælianus var. hist. XIII, 7.

2. Plut. Alex. l. l. Id. de virt. mulierum, 46. Arrianus, I, 9. Polyæn. Strat. VIII, 39. Dio Chrysostom. oratio 4.

3. Arrian. l. l. Ælian. var. histor. XIII, 7.

cisset, Crotoniatis [1] prædæ partem misit, quod Xerxis bello, cæteris Græcorum coloniis de Græcia desperantibus, [2] Phayllo duce triremem unam ad Salaminem misissent: et Platæenses honore donisque affecit [3], quia majores eorum Græcis adversus Mardonium præliantibus agrum suum dono dederant.

XIV. Hanc Thebanorum cladem multa ostenta præcesse- 1
runt [4]. Tribus ante mensibus quam Alexander advenisset, in fano Cereris, quæ *Thesmophoros* appellatur, conspecta est araneæ tela nigra, quum circa tempus Leuctricæ pugnæ, qua res Thebana ad summum felicitatis evecta fuit, candida
comparuisset. Ad hæc sub adventum Macedonum sudantes 2
in foro statuæ, eque lacu apud Onchestum tristis mugitus, et prodigioso sanguine fluens Dirce, terrere obstinatos pote-
rant, nisi destinatos sorti suæ superbia perdidisset. Quippe 3
majorum gloriam intuentes, a quorum moribus longe recesserant, et in disparibus artibus eamdem sibi fortunam polliciti, patriæ ruinam acceleraverunt; quum adversus triginta peditum [5], tria equitum millia, eumque veteranum et toties victorem exercitum paulo plus decem armatorum millibus
opponere non essent veriti. Cæterum Alexander urbe capta 4
ad concilium [6] sociorum retulit, quomodo ea utendum videretur. Erant inter eos Phocenses, multique ex Bœotis, quibus antiquissimæ cum Thebanis discordiæ gravibus sæpe damnis constiterant: neque, dum Thebæ starent, aut odiis
suis satisfactum, aut securitati prospectum rebantur. Horum 5
auctoritas valuit, ut muri atque ædificia diruerentur; ager arbitrio regis inter victores divideretur. Ita nobilissimam urbem, non hominum modo clarissimorum, verum etiam deorum natales asserentem sibi [7], e media Græcia una dies eripuit, postquam octingentos fere annos post oraculum de
corvis [8], eosdem incolas habuisset. Olim enim pulsis a gente 6
Thracum atque Pelasgorum Bœotis edita sors fuerat, post

1. Plut. Alex. 64.
2. Herodot. VIII, 47.
3. Plut. Aristid. 25.
4. Diod. Sic. XVII, 10. Pausan. IX.
5. Diod. XVII, 9.
6. Arrian. I, 9. Justin. XI, 3. Diod. XVII, 14. Plut. Alex. 19. Æsch. cont. Ctesiph. Dinarchus cont. Demosth.
7. Justin. XI, 4.
8. Diod. XIX, 53.

quartam demum ætatem patrias sedes recepturi, conside-
7 rent interim, quo loco corvos albos conspicati forent. Ita
quum ad Arnen Thessaliæ oppidum venissent, corvis cons-
pectis, quos pueri gypso illeverant, ibi substiterunt. Diruta
urbs est ad tibiæ cantum; quomodo sexagesimum ante an-
8 num Athenas Lysander deleverat [1]. Templis tamen aliisque
sacris ædificiis abstineri jussit Alexander; etiam ne quod per
incuriam damnum iis daretur [2], sollicitus. Præter insitam in
deos venerationem recens religio permoverat [3]: quia mili-
tum quosdam Cabirorum fanum, quod ante urbem est,
spoliare aggressos, subita tempestas fulminibus et flamma
9 cælesti consumpserat. Relictæ sunt etiam effigies statuæque,
diis, vel hominibus virtute præcellentibus, per loca publica
positæ: proditumque est memoriæ, fuisse qui inter conster-
nationem captæ direptæque urbis aurum in sinus aut ami-
cula statuarum abdiderint; idque salvum repererint, quum
vigesimo post anno Cassander Antipatri filius Thebas instau-
10 raret. Quod quidem non tam misericordia in profugos fe-
cisse creditur, quam ut Alexandri, quem oderat, gloriam
detrectaret. Quamquam autem veterem murorum ambitum
urbi restituisset, neque mores antiquos, neque fortunam
reddere potuit: nunquam postea resurrexit, ut convalesce-
ret, sed multis subinde calamitatibus vexata, vix tenuis op-
11 pidi speciem ad memoriam nostram retinuit. Pœnituisse pos-
tea ferunt Alexandrum [4], quod excisis Thebis velut alterum
Græciæ oculum eruisset. Utique postquam Cliti cædem, et
Macedonum ignaviam, expeditionem in penitiores Indos
pertinaciter recusantium, iram Liberi patris interpretatus
12 est, ob afflictam patriam ejusmodi pœnas repetentis: et re-
perti sunt, qui ipsam regis mortem, non sine vindicta Bacchi,
13 ab ebrietate et vino profectam crederent [5]. His ita perpetratis,
Athenas misit, nuntiatum [6], ut oratores, qui populum ad-
versus Macedonas concitare non desinerent, traderentur;

1. Plut. Lysand. 28.
2. Suid. ex Polyb. V, 10.
3. Pausan. IX. Athenæus, I, 15.
4. Plutarch. Alex. 21; vid. quoque fragmenta Agatharch. apud Photium.
5. Athenæus, X, 9.
6. Diod. XVII, 15. Arrian. I, 10. Plut. Phocion, 21.

aut, si illos amittere gravarentur, eadem contumaciæ præmia
exspectarent, quorum exemplum in Thebanorum calamitate
conspicerent. Ibi quum Phocion, cujus ob integritatem vitæ 14
maxima ad populum auctoritas erat, non irritandum ado-
lescentis victorisque animum diceret, hortareturque eos, ad
quos periculum maxime pertinebat, ut Lei et Erechtei filias
imitati, spiritum pro patriæ salute profundere ne dubita-
rent; Demosthenes, qui nominatim petebatur, surrexit, do-
cuitque falli Athenienses, si paucorum deditione periculo
defungi posse crederent: callidos Macedonas eos exposcere, 15
quorum vigilantiam atque virtutem maxime invisam suspec-
tamque haberent: amotis publicæ libertatis custodibus, in
orbam indefensamque civitatem, tanquam lupos in oves ca-
nibus destitutas[1] impetum facturos esse. Multa commiserat 16
in Macedonas Demosthenes, ob quæ haud injuria nullum
apud eos veniæ locum relictum arbitrabatur. Philippo occiso, 17
auctor exstiterat, ut Pausaniæ sacellum exstrueretur[2], apud
pulvinaria deum supplicationes haberentur, aliaque ob in-
signem lætitiam decerni solita curarentur. Alexandrum alias 18
puerum[3], alias prodigiosæ vecordiæ vocabulo *Margiten* ap-
pellaverat: persico auro corruptus, omnium fere bellorum,
quæ contra Alexandrum patremque ejus Philippum Græci
depugnaverunt, fax atque concitor fuerat. Attalum, quo
graviorem adversarium non habuerat Alexander[4], Athenien-
sium societatem pollicitus[5], ad bellum regi palam inferen-
dum exstimulaverat. Neque civitas Atheniensium mediocri- 19
ter deliquerat, detractis Philippi statuis[6], earumque materia
in fœdos usus conversa; aliisque admissis, quæ vulgus im-
peritum et mobile, nulla futuri cura, ex arbitrio suasuque
paucorum animose perpetrat. Sed nihil ex iis, quæ præfracte 20
et contumaciter fecerant, æque commovit regem, quam in
Thebanos humanitas[7], quos inter patriæ ruinam elapsos,

1. Plut. Demosth. 33.
2. Æschines cont. Ctesiph.
3. Plutarch. Demosthen. loc. laud. Suid. voc. Μαργίτης. Erasmi adagia in *Margites*.
4. Curt. VI, 9. Diod. Sic. XVII, 2.
5. Diod. Sic. XVII, 4 et 5.
6. Dio orat. 38.
7. Æschin. contr. Ctesiph. Pausan. IX. Justin. XI, 4.

contra ipsius edictum receperant, tantum ob eorum vicem doloris præ se ferentes, ut etiam mysteriorum solemnia, quæ in honorem Liberi Patris præcipua religione quotannis cele-
21 brant, ob publicam mœstitiam intermitterent. Verum cupidine belli persici, condonare Græcis injurias suas quam exsequi malebat. Igitur quum Demades [1], qui Philippo quoque gratus acceptusque fuerat, preces civitatis ad eum detulisset, Atheniensibus indulsit, ut, Demosthene, Lycurgoque, et aliis quos depoposcerat retentis, unum Charidemum in
22 exsilium mitterent [2]. Ille ad Persas se contulit, magnoque ipsis usui fuit, donec ob libertatem linguæ, Darii jussu interfectus est [3]. Alii quoque non postremi nominis viri, odio regis urbe deserta [4], ad hostes illius profecti, multum ne-
23 gotii Macedonibus exhibuerunt. Post eum rerum impetum cursumque, nemo supererat in Græcia, qui aut viribus suis post Thebanos, quorum gravis armatura celebris olim fuerat,
24 aut, occupata Leucadia, munimentis confideret. Namque Leucadios situ oppidi, et proviso in longam obsidionem commeatu feroces fame domuit; quum, expugnatis quæ circa erant castellis, homines Leucadiam abire passus [5], adaucta per singulos dies multitudine, omnem eorum penum exhau-
25 sisset. Igitur ex Peloponneso quoque legationes venerunt gratulatum, quod, confectis ex animi sententia barbaricis bellis, etiam Græcorum quorumdam insolentiam et temeri-
26 tatem castigasset. Arcades, qui Thebanis auxilio futuri se commoverant, duces, quorum instinctu ad eum furorem
27 prolapsi essent, capitis se condemnavisse exponebant. Elei exsulibus suis reditum concessisse, non ob aliud, nisi quod
28 Alexandro caros accepissent. Et Ætoli excusaverunt, quod in tantis Græciæ turbis, ipsorum quoque gens novorum con-
29 siliorum expers non fuisset [6]. Megarenses novi generis honore risum regi, quique circa eum erant, commoverant [7],

1. Plutarch. Demosthen. 33. Diod. XVII, 15.
2. Arrian. I, 10. Plut. in X orat. 7. Dinarch. contr. Demosth.
3. Curt. III, 2. Diod. XVII, 30.
4. Curt. III, 13. Diod. XVII, 25.
5. Frontin. III, 4.
6. Arrian. I, 10.
7. Plut. de Monarch. II. Seneca, de Benefic. I, 13.

referentes ob studium et beneficia Alexandri in Græcos,
megarensis populi scito civitatem illi decretam esse: donec
intellecto, nemini ad eum diem, excepto Hercule, id honoris
habitum, lætus accepit. Cæteris respondit, nihil sibi quiete 30
et incolumitate Græciæ antiquius esse; modo in posterum
novis rebus abstinerent, præteritorum veniam facile conce-
dere. Verum Spartanis maxime diffisus[1], Philiadæ liberos 31
Messenen, unde pulsi fuerant, restituit: Pellenen Achæorum
Chæroni tradidit: Sicyonem, aliaque Peloponnesi oppida
per clientes suos habuit, qui consilia Lacedæmoniorum ex
propinquo specularentur. Tot tantisque rebus perficiendis 32
pauci menses suffecerunt, intra quos tam grave atque mul-
tiplex bellum leviore negotio confecit, quam alius paravisset.
Ipse quidem eam victoriam celeritati[2] se debere confessus, 33
interroganti, quonam maxime modo Græciam subegisset,
Nihil cunctando, respondit.

1. Demosthen. de Alexandr. fœd. 2. Schol. ad Homerum, Iliad. β.

4.

J. FREINSHEMII

SUPPLEMENTORUM

IN

Q. CURTIUM

LIBER SECUNDUS.

---

1 CAP. I. PERSARUM ea tempestate Darius rex erat, paullo ante Philippi necem evectus in id fastigium a Bagoa spadone, qui, Ocho rege[1], et deinde filio ejus Arse, cum tota eorum domo exstinctis, imperium, quod sibi vindicare non poterat, sui beneficii fecit; perennem sibi gratiam pollicitus apud
2 eum, quem tanto munere devinxisset. Nec tamen indignus ea fortuna Darius apud populares habebatur; nam etiam a gente regia non alienus erat: quippe Ostanes Ochi patruus Arsanen genuerat, Arsanes Codmannum. Sic enim vocabatur, dum privatus esset; sed in Cyri solium collocatus, more quodam Persarum, ejurato veteri nomine[2], Darius appellari
3 voluit. Bello quoque spectatus[3], cæso ex provocatione hoste, quum adversus Cadusios bellum gereret Ochus, magnam virtutis opinionem pepererat. Hic a conditore regni Cyro
4 decimus imperio Persarum præfuit. Nam Ochus Artaxerxem patrem; ille Darium exceperat. Huic Artaxerxes regnum reliquit, Xerxis filius. Xerxes Dario patri successit, qui, Hys-

1. Diod. Sic. XVII, 5, sqq. Arrian. II, 14. Strab. XV, fin. Curt. VI, 3.

2. Justin. X, 3. Herodot. VI, 98.

3. Diodor. l. l. Justin. X, 3.

taspe genitus, post exstinctum in Cambyse Cyri sanguinem,
illustri septem Persarum conspiratione [1], imperium Magis
extorsit. Sub his regibus per ducentos et triginta ferme an- 5
nos res Persarum mira felicitate floruit: acribus initiis, dum
rudis ad voluptates natio pro libertate [2] gloriaque, et opibus
animose dimicabat. Procedente tempore, postquam præmia 6
virtutis adepti videbantur, ipsam posthabuere; non tam suis
viribus tuti, quam fama potentiæ a majoribus partæ, usuque
divitiarum [3], quibus haud paullo felicius contra Græcos,
quam armis decertavere. Ad postremum itaque, quum ad- 7
versus Alexandri vim auro parum proficeretur, omnique ex-
terna ope abscedente, sibimet ipsis innitendum esset, animi
deliciis et mollitie fracti effeminatique, fortunæ ruentis im-
petum non sustinuerunt. Quippe industriam egestas acuit; 8
affluentiam rerum luxus et inertia sequitur. Igitur audito
fine Philippi, cujus fortuna et apparatibus exterriti fuerant,
metu soluti [4], Alexandri adolescentiam despiciebant; con-
tentum fore arbitrati, si securo Pellæ obambulare liceret.
Verum quum de bellis ipsius victoriisque alia super alia nun- 9
tiarentur, contemptum hactenus juvenem impensius formi-
dantes, summa cura, ut in bellum atrox atque diuturnum,
auxilia comparabant. Et quoniam superiorum præliorum 10
experimentis imparem asiaticum militem europæo didice-
rant, missis in Græciam conquisitoribus, ad quinquaginta
millia [5] egregiæ juventutis mercede conduxerunt. His copiis
Memnon Rhodius prætor datus est, qui multis ante bellis
fidem virtutemque suam Persis abunde probaverat. Is ad 11
occupandam Cyzicum missus, citatis itineribus, per Phry-
giam, qua Troadi committitur, ad Idam montem pervenit,
ipso nomine naturam situs sui præferentem, nam condensa
arboribus loca *Idas* antiqui dixere [6]. Exsurgit iste celsiore 12
cacumine quam cæteri ad Hellespontum montes [7]. In medio 13

1. Herodot. III, 70. Justin. I, 9.
2. Arrian. V, 4, fin. Xenophon. Cyropæd. I.
3. Plutarch. in Agesilao, 24, et Artaxerxe, 30.
4. Diod. XVII, 7. Æsch. cont. Ctes.
5. Curt. V, 11; et III, 2, quo triginta tantum millia fuisse dicit.
6. Pausan. X.
7. Diod. l. l. Apollod. II.

specum habet religioso horrore famam in fabulis nactum, ut ibi dearum formas arbiter Trojanus spectasse prædicetur, quum imperio patris expositus, in Ida monte adolevisset.
14 Eadem Idæorum Dactylorum[1] patria esse fertur, qui primi, Magna Matre docente, ambiguum ferri usum, neque minus utile necessitatis laborisque solatium quam acerrimum furoris instrumentum, invexerint vitæ. Illud etiam admiratione dignum proditur, quod circa Canis exortum, ventis depressiora turbantibus in summo Idæi jugi cacumine quietus aer
15 est: quodque, multa adhuc nocte terris incubante[2], solem aiunt conspici, non globi figura, sed in amplissimam latitudinem sparsum, et velut diversis ignium agminibus utrumque montis latus amplexum[3], coire paulatim, et propinquante jam luce, jugero paullo majus spatium implere; paulloque post in solitum orbem collectum destinatum iter percurrere.
16 Credo per aerem nocturno gelu adstrictum, nullisque ventorum flatibus disjectum, solis orientis, adhuc imperfecta imagine late sparsa, fallax oculis miraculum apparere, donec eo paulatim vi caloris absumpto dissipatoque, liber ad ipsum sideris orbem adspectus permittatur. Nam sereno liquido-
17 que cœlo radii transmittuntur: ubi coactus aer est, sistit exceptos, et tanquam in speculum incidentes cum incre-
18 mento splendoris diffundit. Sub Idæ radicibus Cyzicenus ager in Propontidem excurrit[4]: ipsum oppidum in mediocri insula situm gemino ponte continenti adnectitur. Sed id opus paullo post Alexander molitus est: sub Memnonis expeditio-
19 nem navibus commeabatur. Qui quum Cyzicenos improviso impetu nequidquam terruisset, muros graviter tuentibus oppidanis, eorum regionem hostiliter populatus, magnam
20 inde prædam coegit. Nec a Macedonum ducibus cessabatur: Parmenio Grynium Æolidis oppidum expugnat; incolas servituti addicit. Deinde Caicum amnem transgressus, Pitanen adoritur, urbem opulentam, et duplici portu accipiendis ab Europa copiis opportunam; sed propero adventu Memnonis

1. Diodor. l. l. Plin. Histor. natur. XXXIV, 14.
2. Diodor. Sicul. XVII, 7. Lucret. V, v. 662. Pomponius Mela, I, 18.
3. Plin. Histor. natur. II, 11.
4. Strab. XIII.

statim soluta obsidio est. Calas deinde, qui cum modicis 21
Macedonum atque mercenariorum copiis in Troade res ge-
rebat, cum Persis prælio certavit: et impar hostium mul-
titudini in Rhœteum se recepit.

II. Interea Alexander, constitutis in Græcia rebus, in 1
Macedoniam reversus, quæ tantam belli molem aggressuro
cavenda vel administranda essent, cum amicis [1] deliberabat.
Antipater ac Parmenio ætate et dignitate præcipui obtesta- 2
bantur, ne in uno corpore totius imperii salutem fortunæ
insidiis exponeret: quin prius operam daret liberis; et in-
columitate patriæ firmata, ita demum de incremento ejus
cogitaret. Quippe præter Alexandrum nemo ex Philippi san- 3
guine dignus imperio supererat, Cleopatræ sobole per Olym-
piadem intercepta [2]; Aridæus sordibus materni generis [3], et
turbata mente Macedoniam dedecere putabatur. Verum ille 4
quietis impatiens, nihil nisi bellum, et ex victoria gloriam
assidua cogitatione volvebat. Igitur, « Vos quidem, inquit,
ut probos et amantes patriæ viros decet, de commodis adver-
sisque illius haud sine caussa solliciti estis. Arduum enim, 5
quis neget? opus ordimur, quod semel temere cœptum, si
eventus arguat, sera pœnitentia nequaquam emendaverit.
Nam antequam vela solvamus, navigare velimus, an quies- 6
cere, nostra consultatio est: quum ventis fluctibusque nos
crediderimus, in ipsorum arbitrio omnis noster cursus erit.
Itaque non moleste fero vestram opinionem a sententia mea 7
dissidere; quin potius simplicitatem laudo, vosque precor,
ut in iis etiam de quibus porro referetur, eodem instituto
utamini. Amici regum, si qui eo nomine digni sunt, non 8
tam gratiam eorum, quam utilitatem atque decus in consilio
habent. Qui aliter fieri censet, quam ipse facturus erat, non
instruit consultorem, sed decipit. Cæterum, ut et vobis con- 9
silii mei ratio pateat, certum habeo nihil minus convenire
rebus meis quam dilationem. Omni quæ circa Macedoniam 10
colit barbarie pacata, exstinctisque Græcorum motibus, for-
tissimum florentissimumque exercitum otio et desidia dilabi

1. Diod. XVII, 16.
2. Vid. supra, I, 9, 29.
3. Athenæus in hist. de Philopatre. Plut. Alex. 124. Just. XIII, 2.

patimur : an potius in opulentissimas Asiæ regiones indu-
cimus, olim possessionem ejus spe complexum, et præmia
laborum, quos diu sub patre meo, deinde nobis imperan-
tibus tertium jam annum exhausit, ex Persarum spoliis ex-
11 petentem? Novum adhuc imperium Darii est, et, interfecto
Bagoa [1], cujus beneficio regnat, crudelitatis et ingratitudinis
suspicionem apud suos incurrit : quæ res optimos eorum
qui parent, odio adversus imperantes implent, et ad obse-
12 quia segniores, aut etiam præfractos reddunt. Numquid se-
debimus, dum auctoritas ejus confirmetur, et, rebus domi
per otium compositis, ultro bellum in Macedoniam trans-
ferat? Multa celeritatis præmia sunt, quæ nobis cessantibus
13 ad hostem pertinebunt. Magnum in ejusmodi negotiis mo-
mentum post se trahit prima animorum inclinatio : at illa
semper occupanti parata est : quippe nemo cunctanter ap-
petit fortioris gratiam : porro fortior habetur, qui infert bel-
14 lum, quam qui excipit. Quanto autem existimationis nostræ
periculo fallemus spem eorum, qui adolescentibus nobis eum
honorem deferendum judicaverunt, quem maximus impe-
rator, pater meus, post tot virtutis experimenta paullo ante
15 obitum obtinuit? Non enim ideo Græcorum concilium im-
perium nobis decrevit, ut in Macedonia desides et ignavis
voluptatibus addicti, injurias olim et nuper græco nomini
illatas negligeremus; sed ut eorum [2], quæ per summam su-
perbiam improbe et petulanter in nos commiserunt, pœnas
16 penderent. Quid dicam de iis Græcorum nationibus, quas
late per Asiam diffusas impotentium barbarorum intoleranda
servitus premit? Equidem quibus nuper precibus [3], quibus-
que argumentis caussam eorum Delius Ephesius egerit, quum
17 ipsi memineritis, non repetam. Id sane constat, eos omnes,
ut primum signa nostra conspexerint, protinus ad nos esse
transituros, et pro liberatoribus assertoribusque suis adversus
graves iniquosque dominos quodlibet periculum impigre sus-
18 cepturos. Quamquam quid nostri pariter hostiumque obliti
auxilia circumspicimus adversus gentes, quas etiam paullo

1. Curt. VI, 4.
2. Diodor. XVII, 5.
3. Diodor. Sic. XVII, 16. Plutarch. adv. Colotem, cap. 50.

lentius vicisse a pudore quam gloria propius adfuerit? Pa- 19
trum ævo in Asiam profectis Lacedæmoniorum[1] paucis ingentes hostium exercitus frustra restiterunt: Phrygiam, Lydiam, Paphlagoniam, agi ferrique passi; aut quoties vetare voluerunt, ad hostium satietatem cæsi sunt, donec a suis revocatus Agesilaus, ob exortos in Græcia tumultus, trepidantibus et consilii incertis animi ex tanto terrore recipiendi
spatium concederet. Paucis ante istum annis, vix decem Græ- 20
corum millia[2], sine ducibus, sine commeatu, ex intimis persici imperii partibus, per tot infestas nationes iter in patriam ferro aperuerunt, quum eos persequeretur universus regis exercitus, quo modo cum Cyro fratre de regno dimicaverat, victorque exstiterat: quem illi quidem ubicunque
congressum fuderunt fugaveruntque. Nos igitur, quibus uni- 21
versa Græcia tot victoriis edomita paret, qui eorum fortissimos aut in acie cecidimus, aut habemus in castris, timebimus scilicet Asiam, quam eorum, quos vicimus, pauci
pudendis cladibus affecerunt? » Aliis deinde in eamdem sen- 22
tentiam adjectis, adeo permovit animos, ut, omnibus assentientibus, etiam Parmenio, qui maxime bellum differri voluerat, maxime accelerandum censeret, ultroque[3] jam
Alexandrum hortaretur. Itaque omni cura ad maturandam 23
profectionem conversa, ad Dium Macedoniæ[4] urbem Jovi olympio sacrum fecit, institutum ab Archelao, qui post Perdiccam Alexandri filium regnavit. Musis quoque ludos
scenicos fecit, per novem dies, pro numero dearum. Post 24
hæc convivium summa magnificentia celebratum est, tabernaculo, quod centum lectos caperet, adornato: ibi cum
amicis ducibusque, et civitatum legatis accubuit. Per exer- 25
citum quoque victimas dividi jussit, aliaque præberi, quibus destinatus hilaritati dies, festivis epulis et faustis instantis belli ominibus transigeretur.

III. Vere novo[5], contractis undique copiis, in Asiam 1
transjecit, exercitum robore quam numeró validiorem du-

1. Plut. Agesilaus, 8 sqq.
2. Xenoph. Ἀναβάσ. II sqq.
3. Plut. Alex. 85.
4. Diod. XVII, 16. Arrian. I, 11. Justin. XI, 5.
5. Arrian. I, 11.

cens. Triginta peditum millia Parmenio ducebat, quorum Macedones tredecim expleverant; quinque erant mercede militantium [1]; cæteram multitudinem socii fœderatique miserant. Has copias Illyrii Thracesque et Triballi, ad quinque hominum millia sequebantur, additis mille Agrianorum sa-
2 gittariis. Equitatum Macedonum mille octingentorum Philotas ducebat [2]; et totidem ex Thessalia Calas: a reliqua Græcia sexcenti omnino equites venerunt, quibus Erigyium præposuit: agmen ducebat Cassander cum nongentis Thra-
3 cum atque Pæonum antecursoribus. Hunc exercitum, non ultra quam in triginta dies proviso commeatu, infinitis barbarorum copiis opponere non dubitavit; virtute suorum fretus, qui vincendo senes facti, robore animorum armorumque
4 usu cuilibet multitudini hostium insuperabiles erant. Antipatro [3], quem cum duodecim millibus peditum, et mille quingentis equitibus Macedoniæ Græciæque rebus præfecerat, injunctum, ut continuos in Europa delectus ageret, quibus adversus præliorum fatique detrimenta exercitus subinde novaretur. Hoc unum sibi exceperat, quum cætera ami-
5 cis largiretur. Quidquid enim salva majestate regni abesse poterat, priusquam naves conscenderet, inter suos distribuit [4]. Perdiccas prædium quod dabatur non accepit, interrogato rege quid tandem sibi ipsi reliqui faceret, atque illo subjiciente, «spes»: «Earumdem ergo, inquit, et nos parti-
6 cipes erimus, qui tuis auspiciis militamus.» Pauci hunc secuti sunt: per cæteros non stetit, quin interrogatus ubi
7 thesauri ipsius essent [5], vere responderet, apud amicos. Sane de summa rerum alea jacta, non absurde collocasse videtur opes quas habebat: quippe aut victor multo majores adepturus erat, aut, si victus esset, ista quoque amissurus; atque
8 interim alacrioribus ministris utebatur. Neque multum abscedebat præsentibus necessitatibus, quum agros et prædia et reditus, quorum dies multo post venturi erant, donaret:

1. Arrian. l. l. Plut. Alex. 24; de Fort. Alex. I, 3; II, 24. Diod. XVII, 17. Polyb. XII, 10. Justin. XI, 6. Liv. IX, 19; XLII, 51.

2. Curt. VI, 9. Diodor. Sic. l. l.

3. Diod. l. l. Arrian. I, 11.

4. Plut. Alex. 24. Justin. XI, 5.

5. Ammian. Marc. XXV, 14.

pecunia in belli usum seposita, cujus quanto minor copia
erat, diligentius administrabatur. Quippe Philippo inter- 9
fecto, minus sexaginta talentis pecuniæ signatæ, paucaque
ex auro et argento pocula in thesauris ejus reperta [1] sunt;
quum æris alieni quingenta ferme talenta relinqueret. Quam- 10
quam enim iste rem macedonicam insignibus incrementis
auxisset, auri quoque metallis apud Crenidas [2] (ipse Phi-
lippos appellavit), ita excultis, ut inde mille talenta annui
proventus cogerentur, continuis bellis, neque minus largi- 11
tionibus, ærarium exhauserat. Macedoniæ etiam instaurandæ
ornandæque magnos sumptus fecerat, quum pauperrimam
accepisset. Ipsum inter initia regni tenuem fuisse, et quum
ex quinquaginta drachmis auri poculum haberet [3], id cubi-
tum euntem capiti subjecisse plerique meminerant. Hujus 12
ergo filius bello lacessivit regem Persarum, cui somnum
capienti quinque talentorum auri millia pro cervicali [4], tria
argenti pro scabello, sub capite pedibusque lectuli, peculia-
ribus cubiculis servabantur: quamquam ad paternum æs
alienum octingenta insuper talenta [5], quæ ipse mutuo sump-
serat, adjecisset, ex quibus vix decima portio supererat.
Solvisse autem dicitur, Timotheo tibiis concinente [6], sum- 13
maque militum alacritate, opes barbarorum quos oppugna-
tum irent, certa fiducia sibi destinantium [7]. Hoc modo per 14
lacum [8], quem a vicini montis nomine *Cerciniten* vocant, ubi
classem habebat, in Strymonem invectus, Amphipolin, et
deinde ad ostia Strymonis processit: quo trajecto, præter
montem Pangæum, viam ingressus est, quæ Abderam et
Maroneam ducit. Nam in litore iter facere instituerat, ut 15
navibus suis, quæ juxta ducebantur, præsidio esset, si Persæ
forte occurrissent; quippe isti tum etiam maris imperium ob-
tinebant. Ipsi enim modica classis; at apud hostes Cypriæ
Phœniciæque naves, assuetique maritimis rebus classiarii,
et exercitatissimi remiges erant. Nam Macedonia, nuper ten- 16

1. Arrian. VII, 9.
2. Diod. XVI, 8.
3. Athenæus, IV, 14; et VI, 4
4. Athenæus, XII, 2.
5. Arrian. l. l. Plut. Alexand. 24.
6. Himerius apud Photium.
7. Justin. XI, 5.
8. Arrian. I, 11. Oros. III, 16.

tato maris imperio, nondum abundabat navibus; et a sociis
maligne præbebantur. Etiam Athenienses, quum ab ipsis tri-
remes peterentur, tantum xx miserunt : suggerentibus eo-
rum oratoribus [1], periculum esse, ne classe accepta, contra
17 eos, qui misissent, uteretur. Ex iis locis ad Hebrum fluvium
contendit: quo haud difficulter transmisso, in Pæticam Thra-
ciæ regionem pervenit : inde superato amne, quem *Melanem*
appellant, vigesimo postquam a domo profectus fuerat die,
Seston attigit in extremis continentis finibus Hellesponto im-
minentem, qua angustis fluctibus insinuatum mare Asiam
18 ab Europa dirimit. Quippe Macedonia Thraciam conjunctam
habet; quæ procurrens in ortum duobus capitibus Asiam
tangeret, nisi intercedente pelago submoveretur : dextra
Hellespontus arcet; ulterius Bosphorus, quem Thracium
19 appellant, Byzantium a Chalcedone separat. Inter has angus-
tias intercepta Propontis jam laxiore spatio juxta Bithyniam
et Ponticas regiones diffunditur. Infra Bithyniam Mysia est;
deinde Phrygia, Phrygiamque contingens Lydia, longius a
mari remotæ. Interius spatiosas regiones celebratæ fecundi-
20 tatis et opulentiæ gentes habitant. Litora quæ Thraciæ Græ-
ciæque obversa sunt, Hellespontii; deinde Troes colunt,
calamitatibus inclyti. Infra hos Æolis et Ionia per longa li-
torum spatia Lydiæ prætenduntur. Caria deinde cum annexa
Doride, magna ex parte mari circumfusa, non minus amplo
21 tractu introrsum recedit. His terris nobilissimæ insulæ adja-
cent : Lesbus Æolica, Chius et Samus Ioniæ, et Dorica Rho-
dus, aliæque multæ, quarum nomina Græcorum monumen-
tis inclaruerunt: nam antiquis temporibus omnem hanc oram
Græcia frequentibus coloniis insederat, quæ tum quoque
manebant, sed Persarum regi satrapisque subjectæ, priscam
22 gentis libertatem barbarica servitute mutaverant. Alexander
ubi Seston pervenit, maximam copiarum partem, Parme-
nione duce, Abydum in adverso litore sitam petere jubet,
attributis ad hoc centum sexaginta triremibus, multisque
operariis : ipse cum reliquis Eleuntem proficiscitur [2], Pro-

1. Plutarc. in X orat. VIII, 9, et IX, 1.

2. Arrian. l. l. Herodot. IX, 115. Pausan. I et III.

tesilao sacrum, cujus ibi sepulchrum aggesto tumulo tegitur. Circa tumulum crebræ ulmi sunt, quarum mira natura est: 23
quippe ramis [1], qui Ilium spectant, matutino diei tempore 24
enata folia statim defluunt; quum cæteris stabilis viriditas sit: ita acerbum herois fatum exprimere creduntur, qui in ipso ætatis flore cum Græcis in Asiam profectus, prima trojani belli victima fuit. Huic tum Alexander inferias dedit, 25
precatus, ut melioribus auspiciis hostile litus tangeret. Inde cum quinquaginta longis navibus Sigeum petiit, portumque, nomen ab Achivis nactum, quorum classem trojanis temporibus exceperat. Quum jam in mediis Hellesponti fluc- 26
tibus navigaret, namque suæ navis ipse gubernator erat, taurum Neptuno ac Nereidibus immolat, aureamque phialam, ex qua libaverat, diis marinis donum in pelagus abjicit. Jam in portu erat classis, quum rex conjecta in litus hasta, 27
primus e navi librato corpore terram saltu contigit; testatus, se possessionem Asiæ diis bene juvantibus justo pioque bello sibi asserere [2]. Aræ deinde constitutæ sunt, ubi 28
exscensionem fecerat, Jovi descensori, Minervæque et Herculi: eo quoque loco, unde ex Europa solverat, aras exstrui jussit.

IV. Inde processit in campos, ubi veteris Ilii sedes mons- 1
trabatur. Ibi dum heroicorum operum monumenta avide perlustrat, quidam ex incolis, Paridis ei lyram pollicitus [3] est.
At ille, « nihil, inquit, moror imbellium deliciarum vile ins- 2
trumentum: at Achillis lyram cedo, fortium virorum laudes eadem personantis manu, qua facta superabat. » Nam Achil- 3
lem, cujus origine gloriabatur, inprimis mirari solitus, etiam circum cippum ejus cum amicis nudus decucurrit, unctoque coronam imposuit [4]. Hephæstion Patrocli tumulum co- 4
ronavit; eumdem amicitiæ locum apud Alexandrum sibi esse significans, quem is apud Achillem habuisset. Inter multos de Achille sermones duplici nomine beatum sibi videri dixit [5] rex,

1. Philostrat. Heroica.
2. Justin. XI, 5. Plin. V, 30.
3. Plut. Alex. 25. Id. de Fort. Alex. I, 14. Ælian. Var. hist. IX, 38.
4. Plut. Alex. l. l. Arrian. I, 12. Ælian. XII, 7.
5. Plut. l. l. Arrian. l. l. Cicero, pro Archia, 10.

quod vivus fidum amicum nactus esset, exstinctus magnum præconem. Cæteris etiam heroibus, quorum iis in terris se-
5 pulcra ostenduntur, parentavit. Sacrificavit et Priamo [1] ad Hercii aram, sive ut placaret manes ab Æacida interempti; sive ob cognationem [2], quam sibi cum Iliensibus intercedere arbitrabatur, quia viduam Hectoris Andromachen Neoptolemus in matrimonio habuerat. Minervæ, quam præcipua religione venerabatur, studiose sacrum fecit: suspensisque in templo armis suis, alia detraxit, quæ a trojani belli tem-
6 poribus duravisse dicebantur. Hæc ab armigeris præferri jubebat, tanquam a propitio numine ad subigendam Asiam commodata: iisque indutum ferunt ad Granicum cum sa-
7 trapis decertasse [3]. Alioquin elegantibus armis gaudebat; nullius munditiei studiosior. Cetra usum reperio [4] splendida, galea eleganter cristata, utrimque dependentibus pinnis candore et magnitudine insignibus, thorace lineo duplici; galeam habebat ferream quidem, sed in purissimi argenti spe-
8 ciem splendoremque politam, Theophili opus [5]; collare ferreum internitentes gemmæ distinguebant; gladio cingebatur acumine et duritie in paucis notabili; augebatque pretium ejus, quod in tanto ferri robore, levis et tractanti habilis erat. Huic armaturæ interdum amiculum militare
9 injiciebat, quod genus tum *Siculum* appellabatur. Cæterum quibusdam horum post id tempus potitus est: nam thorax, quem diximus, inter spolia pugnati ad Issum prælii fuit; gladium Citieorum rex Cyprius dono dedit; Rhodii balteum, quem incomparabili industria conspicuum Helicon fecerat,
10 egregius inter priscos artifices. Neque pœnitet talia memorare, quæ veteribus scriptoribus digna relatu videbantur; et alioqui magnorum regum dicta factaque, etiam quæ leviora haberi solent, non sine fructu aut voluptate recoluntur.
11 Certe arma Alexandri sequens ætas diu venerata est: quibus adeo pepercit vetustas, ut ex romanis imperatoribus alius, post subacta pontica [6] regna, chlamyde illius triumphum

1. Justin. XI, 5. Arrian. I, 11.
2. Justin. XVII, 3.
3. Diodor. XVII, 18.
4. Plutarchus in Alexandro, 27.
5. Plutarch. Alex. 62.
6. Appian. de Bellis Mithridaticis.

suum ornaret; alius thoracem Alexandri indutus percurreret pontem, quem æmulatione Darii Xerxisque in pelago
struxerat. Post hæc Alexander a Minervæ fano digressus 12
Arisben [1] processit, ubi castra habebant Macedones, qui
cum Parmenione transierant. Postero die præter Perco- 13
ten et Lampsacon ad Practium flumen contendit; quod ex Idæis montibus ortum, lampsacenum abydenumque agrum interfluit [2], deinde paulisper ad septentrionem flexum, in
Propontidem exit. Inde Hermotum prætergressus rex, ad 14
Colonas duxit, in mediterraneis Lampsacenorum situm oppidum. Omnibus istis in deditionem acceptis (nam et Lampsacenis ignoverat), Panegorum misit, qui Priapenorum urbem, quam incolæ dedebant, reciperet: Amyntas Arabæi 15
filius cum quatuor antecursorum turmis, una Apolloniatum, quam Socrates ducebat, speculatum ire jussus; quippe hostes in propinquo versabantur, summa sollicitudine curaque bellum instruentes. Inter eos rei militaris peritia longe 16
eminebat Memnon. Is magnopere suadebat [3], ut retrocedentes, omne quod usui hostibus esse posset, longe lateque corrumperent; quidquid in campo herbidum esset, equitatu conculcarent; vicos urbesque incenderent, nihil præter nudum solum relicturi. Vix unius mensis commeatu instruc- 17
tum venisse Macedonem, deinceps rapto victurum. Ea copia si eripiatur, brevi recessurum esse. Ita parvo impendio toti
Asiæ salutem quæri. Triste id quidem: sed in omni nego- 18
tio, ubi periculum immineat, id spectare prudentes, ut quam minimo damno defungantur. Ita medicos, si correpta parte corporis morbum in cæteras transjici videant, unius membri jactura pro reliqui corporis incolumitate pacisci. Neque 19
id sine exemplo facturos Persas. Sic olim Darium regem ipsas illas regiones urbesque vastavisse, ne Scythis isthac
transituris receptus esset. At si prælio contenderent, de 20
summa rerum aleam jaci: pulsis semel Persis, omnem eam
oram Alexandri fore: victores, nihil amplius habituros. Ne- 21
que, hercule, parvum discrimen impendere ob vim macedo-

1. Arrian. I, 12.
2. Strab. XIII, init.
3. Arrian. I, 12. Diodor. Sic. lib. XVII, cap. 18.

nicæ phalangis, cui suum peditatum, quamquam numero
22 superiorem, frustra oppositituri essent. Ipsius deinde regis
præsentiam haud parum valere ad victoriam; stimulari mi-
lites spe, pudore, gloria, in conspectu imperatoris dimican-
tes: quæ omnia haberent Macedones; ipsis abesse Darium.
23 Neminem ambigere, quin bellum in aliena terra gerere præs-
tet, quam in sua: id commodum adepturos, si consilium
suum secuti de invadenda Macedonia cogitarent. Nulli cæ-
24 terorum ducum grata oratio fuit. Id fortasse Memnôni Rho-
dio probari posse, cui expediat bellum trahi, quo diutius
honoribus, stipendiisque regiis perfrueretur; Persis com-
missos fidei suæ populos prodere pudendum videri: neque
apud regem excusari posse, qui longe aliam belli gerendi
25 rationem præscripsisset. Quippe Darius, audito Alexandrum
ex Macedonia movisse, literas ad præfectos suos miserat,
imperans, ut insanientem Philippi adolescentulum puerili
verbere ætatis et conditionis admonitum, deinde purpurea
veste indutum, quamprimum sibi vinctum adducerent: na-
ves ipsius una cum nautis mari demergerent: milites om-
26 nes ad ultima maris Erythræi loca deportarent. Adeo præ
superbia futuri securus, et ignarus sortis suæ, omnem hu-
manæ imbecillitatis sensum exuerat, consanguineum deum
se ferens, magis quod potentia non dispar ipsis videretur,
quam ob veterem fabulam [1], qua Persarum reges a Perseo
27 Jovis filio nomen atque genus traxisse ferebatur. Eodem
fastu plenam epistolam ad Athenienses paullo ante scribi
jusserat, addideratque [2], quando Macedonis amicitiam præ-
tulissent, a se deinceps aurum ne peterent; non enim mis-
surum esse, etiam rogantibus.

1 V. At Alexander quum, inter progrediendum, agrum a
rege Persarum Memnoni dono datum attigisset, maleficio
abstineri jubet, colonisque et fructibus parci [3]: callido com-
mento suspectum facturus hominem industrium, et quem
ex omnibus hostium ducibus unum non contemneret [4], si
2 in suas partes transducere nequivisset. Quumque lenitatem

1. Herod. VII, 150. Plut. Alcib.
2. Æschin. contr. Ctesiph.
3. Polyæn. Stratagem. IV, 3, 15.
4. Curt. III, 1.

regis admirati quidam[1], acerrimum callidissimumque Ma-
cedonum hostem, quamprimum in potestatem redactus es-
set, interficiendum; atque interim quibus posset cladibus
vexandum esse dicerent: « quin, inquit, potius beneficiis
supplantamus hominem, et amicum ex inimico facimus,
eadem virtute et solertia pro nobis staturum. » Ventum erat 3
in campos Adrasteæ[2], per quos Granicus amnis præcipiti
cursu volvitur. Ibi quidam ex speculatoribus, quos cum
Hegelocho præmiserat[3], reversi nuntiant, Persas instructis
ad prælium ordinibus in ulteriore ripa consistere. Paulisper 4
commoratus, dum de transitu consilium caperet, duces con-
vocari jubet. Plerisque præcipitis et irriti conatus[4] videbatur,
fluvium profundum perrumpere, ripam sua natura arduam
atque impeditam obtinentibus tot equitum peditumque mil-
libus. Nec deerant, qui ingererent, Dæsium mensem (is enim
agebatur Junio respondens) infaustum res gerentibus apud
Macedonas haberi. De periculo non anxius, superstitionem 5
haud contempsit; gnarus quantum in rudibus animis valeret
etiam vanæ religionis opinio. Igitur edixit, ut repetito prio-
ris mensis nomine, pro Dæsio alter Artemisius[5] haberetur:
et quo efficacius confirmarentur attonitæ mentes, Aristan- 6
drum (nam is forte pro transitu sacrificabat) secreto moneri
jubet[6], ut excepturam exta manum inscriberet medicamento,
literis inversis, quas impositum jecur recenti adhuc calore
attraheret, rectasque exprimeret: iis significabatur, Alexan-
dro victoriam concedere deos. Vulgatum id miraculum tanta 7
futuri spe omnes implevit, ut post hæc tam certa cælestis
favoris pignora nihil dubitandum conclamarent. Ita in maxi-
mam bene gerendæ rei fiduciam astu inducti, victoriam, quia
suam esse arbitrabantur, rapuerunt. Rex impetu animorum 8
utendum ratus, quamquam monente Parmenione, ut saltem
proximam lucem opperiretur (jam enim major diei pars ef-
fluxerat), statim transduxit copias, Parmenionis sollicitu-
dinem joco prosecutus, erubescendum Hellesponto fore, si,

1. Themist. orat. 9.
2. Strab. XIII.
3. Arrian. I, 14.
4. Plut. Alex. 26. Arrian. loc. laud.
5. Scalig. de emend. temp. I.
6. Frontin. Stratag. I, 11, 14.

9 illo superato, rivum hunc transire cunctarentur. Tredecim equitum turmæ, cum ipso rege per obluctantes undas vix enisæ, priusquam stabile certumque solum attigissent, aut ordines inter transeundum luxatos instaurassent, circumfuso
10 Persarum equitatu urgebantur. Quippe quum, repudiato Memnonis consilio, pugnare placuisset (nam Arsites, Phrygiæ satrapa, ne unum quidem tugurium eorum, qui sibi subessent, incendi se passurum affirmaverat, inque ejus sententiam a cæteris itum erat); ad Granicum amnem cum centum peditum millibus, viginti equitum [1] consederant, flumine pro munimento usuri, et vicissim eam velut Asiæ portam ve
11 nienti Alexandro obseraturi. Cujus adventu cognito, equitatum, in quo robur erat virium, ita collocant, ut contra dextrum Macedonum cornu, quod ipse rex ducebat, nam sinistrum Parmenioni commiserat, Memnon [2] cum filiis et Arsane Persa consisterent: in eadem parte Arsites curabat cum Paphlagonum equitum auxiliis: in subsidiis Spithridates erat, gener regis, Lydiæ Ioniæque satrapa, Rhœsace fratre,
12 et Hyrcanis equitibus comitatus. In dextra acie Rheomitrem duo Medorum millia, totidemque Bactriani sequebantur: medium agmen Pharnaces reginæ frater, Arbupalesque Artaxerxis ex Dario nepos, et Mithrobarzanes Cappadociæ prætor regebant: iis Niphates Petanesque, cum Arsace et Atizye
13 variarum gentium turmas applicuerant. Ii tum multitudine et loco potiores graviter premebant hostem, acrisque pugna conserebatur; maximo omnium regis periculo, quem armis
14 manuque et imperiis conspicuum plures petebant. Sed tragula quidem, quæ in promiscuo pugnæ ardore desinentis loricæ plicis inciderat, vulnus haud intulit: cæterum a Rhœsace et Spithridate [3], fortissimis ducum, simul impetitus
15 extremum discrimen adiit. Dum enim lancea in thorace Spithridatis confracta, conatumque destituente, gladium stringit; frater illius a latere adequitans acinacem incauto impingit, tanto nisu, ut cristam galeæ et pinnarum alteram

1. Diod. Sic. XVII, 19. Arrian. I, 15. Justin. XI, 6.

2. Arrian. et Diodor. loc. laud.

3. Plutarch. Alex. 27. Arrian. I, 16. Diod. XVII, 20, eos Rosacen et Spithrobaten nominat.

decuteret, aciesque gladii summos regis capillos perstringeret: jamque repetito ictu, qua discussa cassis nudum caput 16
ostendebat, descendere parabat; quum illum Clitus[1] occupat, qui, animadverso regis periculo, amenti similis advolaverat, interceptumque barbari brachium cum ipso gladio dejicit: simul Alexandri ense Spithridates occubuit. Nihilo 17
tamen segnius repugnabant Persæ; donec interitu ducum, quorum plerique jam ceciderant, consternati, et quia jam etiam phalanx Macedonum transierat amnem, equos in fugam averterunt: neque pedestris acies diu restitit: equita- 18
tum suum ad obterendum hostem satis superque validum arbitrati, potius de præda, quam de discrimine cogitabant. Ita subito eventu deprehensorum cædes magis quam prælium fuit. Mercenarii tamen[2], quibus Omares præerat, occupato 19
quodam tumulo strenue se tuebantur, quia conditionibus in fidem venturos ille non receperat. Ergo Macedonum plu- 20
res in eo conflictu desiderati sunt, quam equestri prælio ceciderant: ipse quoque rex, dum inter primos impetum in eos facit, tam propinquus discrimini fuit, ut equum, cui tum insidebat, ictu gladii per latus adacto confossum amiserit. Quibus rebus vehementer irritatus, equitatu simul et 21
phalange circumdatos occidione occidit, exceptis duobus fere millibus, qui in deditionem venerunt. In universum 22
cæsa sunt ex hostibus viginti peditum millia, duo equitum: captorum par ferme numerus fuit. Ex ducibus Memnon effugit, cum Arsace, Rheomithre et Atizye; cæteri honestis vulneribus occubuerunt. Arsites, quum in Phrygiam se recepisset, pudore et pœnitentia, quod hujus cladis caussa non immerito haberetur, sibi manus intulit. Alexander paucos 23
quidem, sed promptissimos eo prælio perdidit: triginta admodum pedites, septuaginta quinque equites [3]ceciderant. Igitur ut ostenderet, omnibus in utraque fortuna apud se virtuti præmium fore, superstites Persarum spoliis ditat: occisorum corpora cum armis cæteroque cultu magnifice sepelit: parentibus eorum liberisque vacationem munerum

1. Curt. VIII, 1.
2. Plut. Alex. l. l. Arrian. I, 16.
3. Arrian. l. l. Plutarch. Alex. 28. Justin. XI, 6.

24 concedit. Vulneratorum etiam cura ambitiose acta est; quum
ipse rex obeundo tentoria et inspiciendo singulos, sollicitudi-
nem suam pro gregariis etiam militibus ostentaret, ac gravem
cujusque casum munificentia, laudibusque, aut promissis
25 solaretur. Quæ comitas in omnia deinceps pericula fidissimos
ei præstitit: nec quisquam recusavit spiritum pro eo rege
profundere, qui neque vitam suorum inopem, neque mor-
26 tem inhonoratam pateretur. Insignis præ cæteris honor fuit
viginti quinque equitum ex turma amicorum, quos primo
statim congressu ex iniquo loco pugnantes multitudo Per-
27 sarum oppresserat. Nam Lysippo, a quo uno, propter ho-
minis peritiam, in ære fingi voluerat, imperavit, ut eques-
tres ipsis statuas faceret[1]: quas apud Dium Macedoniæ
oppidum collocatas, post longam ætatem, abolito Macedo-
28 num regno, Q. Metellus Romam transtulit[2]. Primum hujus
victoriæ decus penes ipsum regem fuit[3]: aciem optime ins-
truxerat, observataque loci natura, obliquos[4] per flumen
ordines duxerat, ne statim, quum ex aqua evasissent, a
Persis invaderentur: turbatos deinde territosque excitavit,
hortatus, ut saltem semel adhuc strenue adorirentur hos-
29 tes. Neque minus manu fortiter usus erat; multos lancea,
alios ense confecerat: primique ex hostibus fugam arripue-
30 runt, qui contra ipsum constiterant. Consilium quoque ip-
sius audaci specie, plus tamen rationis quam temeritatis ha-
buit. Pugnaturos adversus hostem novum, numeroque longe
superiorem, etiam desperatione armare voluerat, ut præci-
sam objectu fluminis fugam conspicati, omnem salutis spem
31 in victoria collocarent. Thessalorum etiam, nam id robur
equitatus erat, insignis eo die opera exstitit; neque cæteri
officio suo defuerunt, præsertim equites; nam equestri potis-
simum prælio transacta res est: pedites e vestigio cesserunt.
32 Cæterum Alexander Persarum etiam nobilissimos sepulturæ
tradidit[5]; et quotquot ex Græcis mercenariis hostibus me-

1. Arrian. l. l. Plutarch. l. l. Valer. Maxim. VIII, 11.
2. Vell. Paterc. I, 11. Plin. Histor. natur. XXX, 8. Liv. XLIV, 7.
3. Diodor. Sic. XVII, 21. Polyæn. IV, 3.
4. Arrian. I, 15.
5. Arrian. I, 16.

rentes ceciderant : qui autem eorum vivi in potestatem re-
dacti fuerant, eos per Macedoniam in ergastula distribui
jussit, quod, contra commune Græcorum decretum, pro
barbarorum dominatione adversus patriam pugnavissent.
Thebanos tamen dimisit[1], qui, excisa urbe, ademptis agris, 33
necessitate magis quam sponte peccassent : jam enim tot il-
lorum calamitatibus expleta odia misericordiæ locum fece-
rant. Post hæc de manubiis trecentos clypeos selegit, qui 34
Minervæ Atheniensi dedicarentur[2], superbo cum titulo :
« Alexandrum Philippi F. Græcosque, exceptis Lacedæmo-
niis, de barbaris Asiam incolentibus suspendisse. » Id eo 35
fecerat, ut, communicata victoriæ laude, Græcis ad cæteras
belli necessitates obsequentioribus uteretur : simul Lacedæ-
moniorum contumaciam traducebat, qui, seorsum initis
consiliis, a cætero Græciæ corpore abrupti, tantique decoris
expertes mansissent. Neque matris, quam eximia pietate 36
semper coluit, oblitus, pocula, purpuram, aliaque id genus
pretiosa spolia, paucis demptis, ad illam transmisit.

VI. Post hoc prælium denuo ad Ilium profectus Alexan- 1
der[3], deæ gratias egit, quæ gravissimi belli discrimen aditu-
rum, armis et ominibus juvisset. Quippe superiori tempore 2
quum statim post transmissum Hellespontum eo contendis-
set, uti supra retulimus, ante fanum Minervæ statuam
equestrem humi prostratam vidit[4], Ariobarzanis ora refe-
rentem, qui Phrygiæ quondam satrapa fuerat. Idque omen 3
interpretatus Aristander, illustrem ex equestri pugna victo-
riam promiserat Alexandro, maxime, si haud procul Phrygia
dimicaretur : ipsius etiam dextra nobilem hostium ducem
casurum. Neque fefellit spem vatis eventus prælii, stratus- 4
que regis ense Spithridates prædictionis fidem implevit. Igi-
tur et templum donariis exquisite coluit, et Ilio, quod tum
haud multum supra modici pagi speciem eminebat, nomen
urbis addidit : utque id cum dignitate tueretur, reliquit,
qui instaurandæ ejus ampliandæque curam agerent, libe-
ramque et immunem esse jussit : quumque delubrum deæ 5

1. Plut. Apophth. 40.
2. Arrian. l. l. Plut. Alex. 28.
3. Strabonis Geograph. lib. XIII.
4. Diod. Sic. XVII, 18.

pro religione loci nimis angustum neglectumque videret, eximium illi templum exstruere postea statuit[1]. Sed hoc aliaque magnifica meditantem, fatum occupavit: neque suc-
6 cessores executi sunt. Cæterum illa victoria totam Asiam cis Taurum et Euphraten aperuit regi. Attoniti insperata clade, non copiis modo, sed et ducibus amissis, nullam præterquam in clementia victoris spem habebant; eamque festinata
7 deditione certatim promereri satagebant. Phrygiam Arsites voluntario exitu vacuam fecerat; ei Calas Thessalorum ductor præponitur[2]. Ex montanis quoque locis plerique descenderunt, seque et sua dedentes Alexandro: eos in fidem acceptos domum remisit; Zelitisque ignovit, quos a Persis
8 coactos adversus ipsum militasse cognoverat. Tributum omnibus impositum est, quod Dario pendere consuevissent: idque postea constanter servavit, quum cæteras Asiæ regiones subigeret. Omne peregrinum imperium invidiæ subjectum esse noverat, etiam quum domestico mitius est; at si vetera subditorum onera novis cumulentur, intolerandum
9 haberi. Igitur monenti cuidam, longe plus tributorum vectigaliumque ex tanto imperio redigi posse, respondit, etiam olitorem se odisse, qui radicitus exscinderet olera,
10 quæ carpere debuisset. Dascyleum præsidio Persarum teneri audiverat. Eo Parmenionem misit, quem oppidani statim receperunt, quum, audito Macedonum adventu, Persæ excessissent. Ipse Sardes processit[3], caput omnium, quæ præfectis oræ maritimæ Persarum reges parere jusserant.
11 Jamque haud amplius septuaginta stadiis ab urbe aberat, quum ad eum Mithrenes venit, cui tutelam arcis Sardianæ Darius crediderat, cum principibus Sardianorum, urbem arcemque, et pecuniam, quæ in ea custodiebatur, udituri.
12 Quibus benigne exceptis, ad Hermum fluvium progreditur, viginti fere stadiis ab urbe distantem. Ibi, castris positis, Amyntam Andromenis filium ad recipiendam arcem præ-
13 mittit. Ea præcelso loco sita, difficili undequaque aditu, adversus quamcunque vim teneri potuerat, etiamsi murus,

1. Diod. Sic. XVIII, 4.
2. Arrian. I, 17.
3. Arrian. l. l. Plut. Alex. c. 29. Pausan. III.

qui triplici munimento illam circumibat, abfuisset. Ergo
felicitati suæ gratulatus, quod amplissimas res animo vol-
ventem, arx munitissima longa obsidione non implicasset,
Jovi Olympio templum ibi ponere decrevit. Quumque sol- 14
licite circumspiceret, quinam locus accipiendæ ædi maxime
opportunus foret, confestim exorta vehemens tempestas
multo imbre partem arcis perfudit, ubi vetus Lydorum re-
gia fuerat. Eam itaque sedem nutu deorum destinari cre-
dens, templum ibi constitui jussit. Arci deinde Pausaniam 15
ex amicorum cohorte præponit, attributis Argivorum auxi-
liis; cæteras sociorum copias cum Cala et Alexandro Æropi
filio in Memnonis præfecturam immittit. Vectigalibus tribu-
tisque colligendis Niciam quemdam præficit; Asandrum Phi-
lotæ filium Lydiæ, quibus finibus Spithridates tenuisset.
Dati ad id equites cum expeditis cohortibus, quot in præ-
sentia suffecturi putabantur. Lydos omnes suis legibus libere 16
uti permisit; et, quia Sardianos Dianæ, quam *Colœnem* vo-
cant [1] cultui deditos cognoverat, illius templo jus asyli gra-
tificatus est. Mithrenen honorifice secum habuit, ut ejus
exemplo et alios ad proditionem illiceret: procedente tem-
pore et Armeniam homini regendam commisit [2]. Cæterum, 17
repertis in arce libellis, in quibus inter cætera perscriptæ
erant largitiones ob bellum Macedonibus in Græcia con-
flandum a satrapis factæ, cognovit Demosthenem eam ob
caussam magnum auri pondus accepisse [3]; cujus etiam epis-
tolæ ibi servabantur. Sed quia, pace cum Atheniensibus 18
inita, transacta res erat, nihil ea de re palam conquestus
est; cæterum intentiore cura agitandum censuit, quomodo
adversus efficacem viri eloquentiam Athenæ in officio con-
tinerentur, sua defectione universam Græciam in partes
tracturæ. Nemo occurrebat Phocione dignior, cujus mira
innocentia, et ob constantiam virtutis honorata paupertas
erat: eum ergo, primum ob usum, deinde, ut hominis magna- 19
nimitatem multis experimentis cognovit, admiratione virtu-
tis ita coluit, ut quum, post eversum Darii imperium, animo

1. Strab. XIII. Tacit. Ann. III, 63.
2. Curt. V, 1.
3. Diod. Sic. XVII, 4. Plutarch. Demosth. 28.

elatus, neminem jam salute dignaretur, ad quem scribebat, eximium eum honorem duobus tantum, Antipatro et Pho-
20 cioni habuerit[1]. Constat huic aliquando centum talenta dono misisse regem[2]: deinde optionem fecisse inter quatuor haud ignobiles Asiæ urbes unam eligendi. Cius, Elæa, Mylassaque et Gergetho fuere[3]: quidam ultimo loco Patara nomi-
21 nant. At ille nihil horum accepit: sed, ne tanti regis amicitiam fastidiose sprevisse videretur, petiit, ut Echecratides sophista, et Athenodorus Imbrius, cum Demarato et Spartone Rhodiis, qui in arce sardiana captivi tenebantur, cus-
22 todia liberarentur. Sed hæc in sequens tempus excurrere. Tum ad Ephesum itum est[4], quam, accepto cladis persicæ nuntio, præsidiarii deseruerant, duabus Ephesiorum triremibus avecti. Erat inter eos Amyntas Antiochi filius[5], qui ex Macedonia profugerat, nulla quidem injuria affectus, sed quod periculum a rege metueret: quem quia invisum exo-
23 sumque habebat, illius animum ex suo metiebatur. Quarto postquam Sardibus movisset die, Ephesum introiit Alexander; restitutisque exsulibus, qui paucorum dominatione pulsi fuerant, rempublicam populo tradidit. Ille libertatis diu desideratæ compos, eos qui Memnonem advocavissent, quique templum Dianæ spoliassent, inque eo Philippi statuam dejecissent, aut Heropythi monumentum effodissent, quod liberatori civitatis in foro positum fuerat, ad suppli-
24 cium poscit. Ex quibus Pelagon cum fratre Syrphace et patruelibus, ex ipsa æde in quam confugerant, rapti sunt, statimque lapidibus obruti. Jamque in cædes et injurias ibatur; quum Alexander, inhibita vulgi licentia, ulterius eo de negotio inquiri, aut cuique molestiam exhiberi vetuit. Id optimis quibusque saluti fuit; quos per caussam veri fictive criminis, ipsorum dignitas aut opulentia, furibundæ plebis
25 odiis avaritiæque objecisset. Inter hæc Magnetes et Tralliani legatos mittunt, imperium accepturi[6]. Eo Parmenione cum quinque peditum millibus, equitibusque ducentis ire jusso,

1. Plutarch. Phocion. 22.
2. Plut. Phocion. capp: 23 et 24.
3. Ælian. Var. hist. I, 25.
4. Arrian. I, 17. Vid. not. Schmied.
5. Arrian. l. l. Curt. III, 11.
6. Arrian. I, 19.

Alcimalum cum paribus fere copiis circum æolicas ionicasque persici juris urbes mittit. Utrique injunctum, ut 26
abolito paucorum dominatu, popularem ubique statum introducerent: quippe multitudinem suis rebus studere compererat, obque eam rem tyrannos a barbaris impositos, per quos coerceretur. Per eos dies, dum Ephesi commoratur 27
Alexander, ut ex instantibus curis recrearet animum, frequenter in officinam Apellis ventitavit [1], a quo uno effigiem suam penicillo exprimi volebat: tanto favore complexus, ut dilectissimam pellicum, amore ejus deperire sentiens artificem, dono dederit. Pancasta vocabatur, ex Larissa nobili 28
Thessaliæ urbe genus ducens: amabatque eam rex ardenti affectu, ob formæ pulchritudinem, et quoniam adolescenti prima mulierum ad libidinem placuerat. Hoc ut magnani- 29
mitatem Alexandri non dedecet, ita non crediderim, in officina imperite multa disserentem ab Apelle mordaci dicterio repressum fuisse [2]: nam id neque majestati tanti regis, neque modestiæ pictoris, hominis non stupidi nec indocti, convenisset; et Alexander liberalibus studiis ab extrema ætate imbutus, etiam de artibus quas non calleret, haud inepte judicare didicerat. Illud propius vero est, quod alii 30
tradiderunt, quemdam ex Ephesiæ Dianæ sacerdotibus, quos *Megabyzos* appellari mos erat, reprehensum; quum quidem ei diceret Apelles: « quoad tacuisti, aurum hoc atque purpura venerabilem te faciebant imperitis; at nunc de rebus quas non intelligis incipientem loqui, etiam pueri rident, qui colores terunt. » In ea urbe longe celeberrimam ædem, 31
ut supra relatum est [3], Herostratus incenderat. Ea tum summa Ephesiorum cura maximisque impensis instaurabatur [4]. Quorum studiis juvandis Alexander tributa quæ 32
Persis dare consueverant [5], Dianæ pendi jussit: confirmavitque jus asyli, quod antiquitus etiam Liberum patrem Herculemque servavisse cognoverat [6]; addito etiam spatio,

1. Plin. Hist. nat. XXXV, 10; I,
2. Ælian. Var. hist. XII, 34.
2. Ælian. l. l. II, 3.
3. Vide supra l. I, c. 1. Plutarch. de Animi tranq. 21. Laert. in Xenoph.
4. Strab. XIV. Quintil. V, 12.
5. Arrian. I, 17.
6. Tacil. Ann. III, 61.

ut quaquaversum in unius stadii amplitudinem extendere-
33 tur. Postea quoque, quum Asiam perpacasset, scripsit Ephe-
siis, se omnes sumptus, qui in id ædificium facti essent,
restituturum; quique porro requirerentur, præbiturum de
suo: ita tamen ut ipsius nomen instaurato operi inscribe-
34 retur[1]. Idque deprecati sunt Ephesii. Quo tempore, quia
Alexandro petenti aliquid denegare arduum erat, legatus
eorum ad adulationem confugit, qua maxime expugnabilem
norat, dixitque dedecere culmen ipsius, si diis aliquid con-
secraret, quum ipse deus esset: nam eum honorem ab homi-
35 nibus haberi potiori naturæ. Ea gloriæ contentio inter maxi-
mum regem, et unam civitatem fuit. Obtinuerunt Ephesii;
et maluerunt ingenti pecunia carere, quam instaurati templi
36 titulo regi cedere. Nam quantos in id opus sumptus contu-
lerint, vel ex una tabula æstimare licet, quam ibi dedica-
verunt, viginti talentis auri redemptam. Alexander erat,
fulmen tenens, quem inimitabili dexteritate Apelles expres-
serat; quatuor tantum coloribus usus, quo majus peritis
miraculum esset.

1 VII. Sub idem tempus antiqui splendoris sedem Smyrnæi
receperunt, postquam Lydorum armis excisa vetere Smyrna[2],
quadringentos per annos vicatim habitavissent. Restituit
eam rex viginti ferme stadiis a solo antiquæ urbis, somnio
2 monitus[3]. Solebat Alexander, quum a majoribus negotiis
vacaret, otium venando eximere. Forte exercito corpore
fessus in Pago monte obdormiverat: ibi per quietem visus
est audire Nemeses (quarum in proximo fanum erat) impe-
rantes, ut eo ipso loco urbem conderet, inque eam Smyrnæos
3 deduceret. Id insomnium mox clarii Apollinis oraculum
confirmavit, Smyrnæis consulentibus prospere cessuram mi-
grationem promittens. Ita fundamenta novæ urbis imperio
regis jacta sunt; absolutæ gloriam Antigonus tulit, quum
ipsum paullo post Alexander Lydiæ Phrygiæque, et vicinis
4 regionibus præposuisset. In smyrnæo sinu Clazomenii ha-
bitant, qua angustissimum est solum, quod procurrentes in

1. Strab. l. l. Pausan. VII.
2. Strab. XIV.
3. Pausan. VII. Aristid. orat. Conf. et Strab. l. l. Ælian. Var. hist. V, 27.

mare terras per sexaginta ferme stadia continenti adnectens,
peninsulæ speciem efficit [1]. Alterum isthmi latus ex adverso 5
Clazomeniorum Teos occupat. In extremo peninsulæ cornu
Erythræ sunt, tum quoque fatidicis mulieribus [2] inclytæ;
juxta quas mons altissimus Mimas, insulæ Chiorum oppositus,
mare prospectat; deinde paulatim depressior, haud
procul angustiis Clazomeniorum in æquales campos desinit.
Eam loci naturam contemplatus Alexander, faucibus inter- 6
cisis auferre continenti decrevit, ut Erythris et Mimanti
mare circumfunderet, ac superiorem inferioremque sinum
conjungeret. Id unum regi ex sententia successisse [3] negant, 7
quum cæteros ejus conatus fortuna enixe juvaret; abiitque
res in religionem, nec fas esse mortalibus existimatum est,
mutare faciem, quam natura locis indiderit: utique post-
quam alios similia molitos ubique successus destituit. Cla- 8
zomenas tamen, mole duorum stadiorum aggesta continenti
junxit, quas olim metu Persarum Clazomenii in insulam
transtulerant. Sed hæc quidem opera regiis præfectis com-
missa sunt. Ipse sacrificiis Ephesi magnifice celebratis, in 9
honorem deæ cum universo exercitu qui aderat, in armis
decurrit [4]; postero deinde die cum peditatu quem secum
habebat, assumptis Thracum equitibus, et quatuor amico-
rum turmis, inter quas et regia erat, Miletum contendit.
Quippe Hegesistratus præsidii præfectus, literis ad eum mis- 10
sis, spem deditionis fecerat: sed postquam Persarum clas-
sem in propinquo versari cognoverat, mutata sententia op-
pidum Dario conservare nitebatur. Nam et commeatuum 11
telorumque, et si qua alia ad tolerandam obsidionem re-
quiruntur, magnam habebat copiam, et propugnatorum
multitudine abundabat, quia Memnon [5], quum ex prælio
Miletum perfugisset, multis ibi suorum relictis præsidium
firmaverat. Igitur infesto agmine suggressus, exteriorem ur- 12
bem, ut ipsi vocabant, ex itinere cepit: nam oppidani mili-
tesque, ne vires spargerent, in interiorem urbem concesse-

1. Plin. l. l. V, 29.
2. Pausan. VII.
3. Pausan. II. Herod. I, 174. Conf. quoque Ælian. Var. histor. l. V, c. 27.
4. Arrian. I, 18.
5. Diod. Sic. XVII, 22.

rant, auxilium suorum, quod haud procul abesse rebantur,
13 opperituri. Verum vanam exspectationem fecit macedonicæ classis adventus, quæ Nicanore duce Laden insulam supra Miletum sitam occupavit: deinde, quum jam hostium classis ad Mycalen montem hæreret, ipsum Milesiorum portum
14 ingressa, persici auxilii spem oppidanis ademit. Neque prohibebant barbari, quamquam numero navium longe præstarent: quippe paullo minus quadringentis habebant, quum
15 Nicanor tantum sexaginta supra centum adduxisset. Interea Glaucippus princeps civitatis ad Alexandrum missus, petito, ut urbem et portus Macedonibus Persisque communes esse pateretur[1], triste responsum retulerat, non se venisse in Asiam, ut acciperet, quod alii concederent, sed ut quisque haberet, quod ipse reliquisset: itaque scirent omnium fortunarum arbitrium meliori permittendum; aut in proximam
16 lucem de eo certandum esse. Sed qui in civitate erant, primum invadentium impetum fortiter retuderunt, cæsis inter alios duobus Hellanicæ filiis, quæ nutrix Alexandri fuerat, et Clitum[2], qui rege servato eximium decus meruit, fratrem
17 habebat. Sed quum dolore iraque incensi hostes machinis admotis magnam murorum partem dejecissent, jamque in oppidum irrupturi viderentur, conspectisque in portu Macedonum triremibus, novus terror ingrueret; pars [3] scutis incubantes in parvam insulam urbi objacentem enataverunt, alii, scaphis conscensis, quum idem molirentur, in ipso por-
18 tus aditu ab hostium navigiis intercepti sunt. Alexander, oppido in potestatem redacto, contra eos qui insulam tenebant, naves expediri jussit, quibus impositæ proris scalæ ferebantur, ut in abruptam insulæ oram, velut in muros
19 hostilis oppidi, transcenderet miles. At quum mercenarios græcos, qui eo confugerant, quamvis haud plures trecentis essent, ultima pati paratos conspiceret, misertus virorum fortium, et qui pro fide in eos, a quibus conducti erant, haud procul exitio abessent, iis pepercit, et secum militare
20 jussit. Barbaros in urbe deprehensos in servitutem redegit;

1. Arrian. I, 20. Senec. epist. 53, 10.
2. Curt. VIII, 2.
3. Arrian. I, 19, et not. Schmied. ad hunc locum.

Milesiis, qui superfuerant, libertatem restituit, ob veterem
urbis gloriam [1]. Tantum enim aliquando opibus gloriaque
Miletus floruerat, ut per vicina maria supra septuaginta co-
lonias deduxerit [2]; multis quoque civibus nobilis, qui in 21
sacris certaminibus palmam adepti, patriæ celebritatem
auxerant : nam ejusmodi victoriæ, more quodam Græco-
rum, inter prima virtutis decora censentur. In quem jocatus 22
Alexander, magna multitudine statuarum conspecta [3], « ubi
erant istorum lacerti, inquit, quum Persarum jugum rece-
pistis? » quippe vir strenuus, et ad bellandi usum cuncta
referens, ignominiosum ducebat, debitum seriis certamini-
bus robur, ad voluptatem inertis vulgi, inani ostentatione
consumere. Interea milites, quia vi introitum erat, obvia 23
quæque diripientes, ad fanum Cereris pervenerant [4]: quod
quum exspoliaturi quidam irrupissent, ignis ex penetralibus
ædis repente emicans, sacrilegorum oculos exstinxit. Hic 24
etiam progenitorum suorum monumenta Alexander reperit,
inspecto fonte, cujus aqua ex ipso scaturiginis labro hausta
salsum saporem habet, eadem dulcissima, quum profluxit in
rivulos [5]. *Achilleum* Milesii nominant, inque eo lustratum
heroem rumor tenuit, quum Strambelum Telamonis filium
Lesbiis auxilium ferentem oppressisset. Apud Milesios Di- 25
dymei Apollinis oraculum erat [6], divitiis famaque celebre. Id
tum Seleucus, cujus maximæ post Alexandrum opes fuere,
de reditu in Macedoniam consuluisse dicitur [7], et responsum
accepisse, ut Europa valere jussa, Asiam complecteretur.
Aliud subinde miraculum attentum habuit regem, cujus cu- 26
riosum ingenium et cognoscendi avidum, novitate rerum
mire afficiebatur. Amatum a delphine puerum ex [8] Iasso,
quod haud procul Mileto in insula situm oppidum est, ac-
ceperat, ejusque vocem agnovisse piscem, et quoties evo-
caretur, vehi cupientem excepisse dorso. Igitur gratum ac-

1. Arrian. loc. laud. Diodor. Sicul. lib. XVII, cap. 22.

2. Strabon. Geograph. XIV. Plin. Histor. natural. I, 29. Senec. ad Helviam, VI, 14.

3. Plut. Apophth. 37.

4. Valer. Maximus, I, 1, 5, extern.

5. Athenæus, II, 6. Parthenius in Eroticis.

6. Strab. XIV.

7. Appian. Syriac. fin.

8. Plin. l. l. IX, 8.

ceptumque Neptuno hominem interpretatus rex, sacerdotio ejus dei illum præfecit.

1 VIII. Occupata hunc in modum Mileto, quum adhuc barbarorum numerosa classis in mari vagaretur, et fiducia multitudinis suæ, quodque peritia rei nauticæ Macedonas anteiret, hostem ad navale prælium provocaret, obque ipsum urbis portum, in quem naves suas abduxerat rex, frequen-
2 ter obversaretur; Alexander Philotam cum equitatu et tribus peditum cohortibus ad Mycalen montem mittit, ubi persicarum navium statio erat, ut exscendere volentes submoveret, neque aquari lignarive, aut cætera necessaria e
3 terra petere permitteret. Ea res barbaros in maximas angustias conjecit: obsessis similes hærebant in portu, neque terram ubi volebant capere, aut necessariis rebus refici poterant. Itaque concilio habito, Samum averterunt cursum [1], petitoque inde commeatu, Miletum revecti ante ostium
4 portus instructa acie constiterunt. Inter hæc, quinque Persarum naves in portu quodam, qui inter parvam illam insulam, de qua supra dictum est, et stationem macedonicæ classis medius erat, multa hostium navigia conspicati, plenis velis eo ferebantur: nam maximam sociorum navalium partem ob varios usus abesse conjecerant; vacuarumque navium haud difficilem occupationem fore arbitrabantur.
5 At rex iis qui aderant celeriter in decem triremes impositis, obviam ire hostibus jubet. Illi tum numero navium, tum inopinata re perterriti, quum ultro se peti conspicerent ab iis, quos imparatos oppressuri venerant, terga vertunt: una tamen navis, quæ Iassios vehebat, deprehensa est; cæteræ velociores ad suam classem effugerunt. Ita nullo eorum quæ
6 intenderant effecto, Mileto discessum est. Alexander, quum suam classem neque hostili parem, et ad alios usus supervacuam sibi cerneret, multique et graves ad eam sumptus requirerentur, dimittere eam statuit; paucis navium retentis [2], quibus ad obsidiones urbium machinæ tormentaque
7 portarentur [3]. Dissuaserat illud Parmenio, monueratque, ut

1. Arrian. I, 19.
2. Vid. infra, cap. 9, 1.
3. Arrian. l. I, c. 20. Diodor. Sicul. l. XVII, c. 23.

navali prælio contenderetur [1]. Macedonibus enim victoribus magnum ad cætera emolumentum accessurum esse : at victos nihil sane amissuros, nam imperium maris jam tum esse penes Persas, et litora facile tutaturos, qui pedestribus copiis plus possent : quoque expeditius quod videbatur obti- 8
neret, idem qui consilium dederat, exsequi illud paratum ostendebat, conscensisque navibus quam rex jussisset discriminis partem capessere. Confirmabatur etiam augurio, quod superioribus diebus a tergo regiæ classis aquila in litore consistens apparuisset. Contra Alexander falli Parme- 9
nionem asseverabat, qui paucas suorum naves tantæ hostium multitudini, imperitosque remiges et rudes classiarios, exercitatissimis hominibus, reique nauticæ peritissimis objiciendos duceret. Se quidem virtuti suorum non diffidere, 10
cæterum scire illam in navalibus pugnis minimum conferre ad victoriam. Multo enim plura ventorum fluctuumque ludibriis permitti, quæ gubernatorum atque remigum peritia vitaret, aut suis partibus opportuna redigeret. Nec in ipsarum navium constructione nihil aut parum situm : ita 11
Macedonum conatus vanos fore, quum eos barbari impune aut eludere, aut etiam, si casui daretur, opprimere possent. Neque vero exiguum id detrimentum futurum. Totam Asiam 12
arrecturam animos, si inter initia belli clades accepta foret. Plerosque mortalium ita comparatos esse, ut eum rerum eventum exspectandum putent, quem ex principio successuum spe aut formidine præceperunt. « Et ne de Asia dubitemus, inquit, quis mihi præstabit Græcos in fide mansuros, si felicitatem illam exspiravisse credant, quam, si verum amamus, unam in nobis reverentur ? Plane ad for- 13
tunam meam pertinere arbitror, quod aquila pone classem conspecta est, idque boni successus omen accipio : sed hoc manifesto promittit augurium, nos hostium naves e continenti expugnaturos esse ; nam præsaga victoriæ ales, non in navibus, sed in litore constitit ; nec magis eventum, quam locum ostendit belli. Nam si, ut cœpimus, maritimas 14
urbes nostri juris efficimus, Persarum classis ultro dilabe-

1. Arrian. lib. I, capp. 18, 19, 20. Diodor. Sicul. lib. XVII, cap. 23.

tur; neque enim supplementum, aut commeatus, aut se-
curæ etiam stationes in promptu erunt; et, si hæc adimas,
quo plus in mari habent virium, eo celerius consumentur.
Atque sic implebimus fidem vaticinii, quod æreæ tabulæ
inscriptum nuper ex quodam in Lycia fonte ebullivisse
15 comperimus[1], instare terminum persici imperii.» Ita dis-
soluta classe, Pontum adjacentesque Ponto regiones præ-
toribus suis subjugandas reliquit; ipse institutum iter pro-
secutus, in Cariam movit[2]: nam eo magnam vim hostium
16 confluxisse cognoverat. Quippe Halicarnassus natura loci
munitissima, duplicique arce tuta[3], spem præbebat Mace-
donem, torrentis more ruentem, ea urbe tanquam crepidine
opposita coerceri posse. Maxima in Memnone spes erat,
qui omnia ad ferendam obsidionem opportuna summa cura
17 præparabat[4]. Nuper enim a Dario maritimæ oræ totiusque
classis prætor creatus erat. Nam homo callidus temporum-
que prudens, quum se omnes persicos duces bellicis artibus
superantem, unam ob caussam infra meritum honorari in-
telligeret, quod Græcus genere, et olim macedonicæ regiæ
hospes de proditione suspectus haberi poterat, uxorem suam
liberosque ad Darium misit, quasi de securitate illorum
sollicitus, revera ut his velut obsidibus fiduciam regis obli-
18 garet. Cæterum Alexander Cariam introgressus, omnia inter
Miletum et Halicarnassum oppida brevi in potestatem re-
degit. Pleraque enim græcis incolis habitabantur, quibus
immunitatem suasque leges restituere consueverat, ob li-
19 berandos eos in Asiam venisse professus. Neque minorem
mox a barbaris iniit gratiam, comiter excepta Ada[5], regii
generis muliere, quæ iter per ea loca facientem convenerat,
illiusque fidem implorans in regnum restitui oraverat. Nam
Hecatomnus Cariæ rex tres filios habuit, duas filias, ex
quibus maximus natu Mausolus Artemisiam duxerat; minor
20 ex sororibus Ada fratri Hidrieo nupsit. Sed Mausolo qui-

1. Plutarch. Alex. 30.

2. Arrian. I, 20. Diod. XVII, 23.

3. Strab. XIV. Vitruv. II, 8. Diod. XVII, 24, sqq.

4. Diod. l. l. Arrian. I, 20. Justin. lib. XXXVIII, cap. 7.

5. Strab. l. l. Arrian. I, 23. Diod. XVII, 24.

dem soror eademque conjux successit, more gentis, quo
in matrimonium regnumque sociari fas est iisdem parentibus genitos : at postquam Artemisia desiderio defuncti
extabuit, Hidrieus regno potitus, et sine sobole mortuus,
Adæ reliquit imperium. Hanc Pexodarus expulit, qui unus 21
de Hecatomni filiis supererat : et quamquam is decessisset,
exclusa manebat, quia Orontobaten nobilem Persam Pexodarus generum adsciverat, ut in novo et vi parto imperio
illius opibus et gratia protegeretur : atque ille, exstincto
socero, velut dotale regnum retinebat. Eam injuriam de- 22
plorans mulier, simul Alindis deditis (munitissimum id
castellum erat), impetravit, ut nomen filii quod deferebat,
lubens acciperet; strenuamque ei operam ad antiquæ dignitatis decus mature recipiendum polliceretur. Neque promisso fides defuit : expugnataque deinde Halicarnasso, totam
illi Cariam parere jussit. Interim fama benigne exceptæ re- 23
ginæ per omnem illum tractum diffusa, multas civitates
Alexandro conciliavit; nam pleræque a necessariis aut familiaribus Adæ tenebantur : ii per legatos obtulerunt aureas
coronas, futurosque in fide ac potestate regis, et imperata
facturos promiserunt. Dum hæc ita geruntur, exquisitæ ar- 24
tis saporisque cibos, atque bellaria sollicite confici curabat
Ada, eaque cum ipsis coquis et cupediariis regi dono mittebat, tanquam bene merenti gratiam relatura, si muniis
armorum fessum fatigatumque Asiatici luxus deliciis exciperet [1]. At ille prudens intemperantiam gulæ seria tractanti 25
intempestivam esse, benevolentiæ quidem muliebri comiter
gratias egit; cæterum non attinuisse respondit, ut pro ipso
sollicita esset, meliores habente coquos, quibus ipsum olim
pædagogus suus Leonidas instruxisset : ad prandium iter
antelucanum, ad cœnam frugale prandium.

IX. Jam tota ferme Caria in ditionem Alexandri conces- 1
serat, sed caput regni Halicarnassus firmo præsidio tenebatur. Itaque diuturnam obsidionem fore conjectans, commeatum, et machinas quæ ad oppugnationem pertinerent,
navibus eo deportari jubet; ipse cum pedestri exercitu

1. Plutarch. Alexand. cap. 40. Apophthegm. 37, et contra Epicur. cap. 40.

2 quinto ab urbe stadio castra communit. Deinde muros
adortum juxta portam qua Mylassa iter est, improvisa op-
pidanorum eruptio excepit : sed Macedonibus fortiter con-
serentibus manum, quibusdam suorum amissis haud magno
3 negotio rejecti sunt. Pauci deinde dies intercesserant, quum
Alexander, objecta spe Myndensium oppido per proditionem
potiundi, nocte intempesta cum parte copiarum proficiscitur.
Sed nihil quoquam movente, admota gravi armatura murum
suffodi imperat : neque enim scalas aut machinas attulerat,
4 quum oppugnandi consilio urbem non accessisset. Et illi qui-
dem una turrium dejecta, nihil tamen aperuerunt loci, quo
intra perrumperent. Nam forte ita prociderat turris, ut quam
murorum partem stans protexerat, non minus ruina sepiret;
5 civesque summa ope resistebant; et ab Halicarnassensibus
adjuvabantur, quos, audito vicinæ civitatis periculo, mari-
timo itinere Memnon submiserat. Ita conatus Macedonum
6 irritus fuit. Alexander ad obsidionem Halicarnassi reversus,
ante omnia fossam triginta maxime cubitos latam, altam
quindecim, quam hostes pro urbe duxerant, expleturus,
tres testudines apparat [1], quibus protectus miles materiam
7 terramque sine noxa congereret. Æquata fossa, turres ma-
chinasque, quibus muri sternuntur, admoveri jussit. Jam-
que strata mœnium parte, qua ruinæ viam aperiebant, in
urbem penetrare nitebantur; sed hostes, quum ob mul-
titudinem integri subinde fessis succederent, ducumque
præsentia ad omnia audenda confirmarentur, strenue re-
8 pugnabant. Luce per varia certamina consumpta, quum
diurno labore fatigatos hostes Memnon segnius custodias
agere crederet, cum valida manu prorumpit oppido, ignem-
que operibus injicit. Sed Macedonibus ad incendium con-
currentibus, quum hi exstinguere flammas conarentur, illi
augerent, et prohibentibus vim intentarent, acre prælium
9 coortum est. Quippe Macedones robore virtutis et assuetu-
dine periculorum longe præstantes hostibus, numero appa-
ratuque Persarum urgebantur : et quia haud procul muris
res gerebatur, ballistis catapultisque per mœnia dispositis

1. Diodorus Siculus, loco laudato. Vitruvius, lib. X, capp. 20 et 21.

eminus impetiti, inulta vulnera accipiebant. Atrox inter 10
hæc utrimque clamor, hortantium suos, increpantium ad-
versos; tum sauciorum et morientium gemitus, inter noc-
turnas tenebras omnia terrore tumultuque impleverant:
augebantur hæc vocibus cæteræ multitudinis, quæ, dum
alii pugnant, operi intenta, muris qui pulsu machinarum
corruerant, reparandis occupabatur. Tandem acrius adnisi 11
Macedones hostem intra mœnia redegerunt, centum sep-
tuaginta interfectis, inter quos et Neoptolemus [1], qui cum
Amynta fratre ad Darium perfugerat, occubuit. Macedonum 12
non quidem ultra sexdecim perierunt, sed trecenti ferme
vulnerati sunt, quia nocturna pugna fuerat, neque advers-
sus cæcos ictus et incidentia temere tela quidquam satis pro-
videri potuerat. Post aliquot deinde dies, levis et ludicra 13
res ingenti certamini caussam præbuit, orto initio a duobus
veteranis ex Perdiccæ agmine [2]: ii contubernales quum es-
sent, unaque genio indulsissent, ut fit inter sermones fami-
liares, jactantia militari sua fortia facta vicissim extollentes,
altercari cœperant, uter alteri anteferretur; quum alter eo-
rum: « quid inani strepitu verborum fœdamus honestissi- 14
mam contentionem? inquit: non cui lingua, sed cui dextra
sit melior, hoc agitur; et adest occasio: ea optime de con-
troversiis nostris judicabit: age, si vir es, exeuntem sequere. »
Vino et ambitione incaluerant; itaque privato consilio arma 15
capiunt, et ad muros juxta arcem quæ Mylassis obversa est,
excurrunt. Horum temeritate animadversa, statim ex op-
pido globus hostium effunditur. Illi firmato gradu certamen
conserunt, propius incurrentes gladiis excipiunt, in rece-
dentes tela conjiciunt: sed adversus multos, et ex superiore 16
loco dimicantes haud diu impunita duorum audacia fuis-
set, nisi, conspecto ipsorum periculo, commilitonum pauci
primo, deinde alii atque alii laborantibus subvenissent: eo-
dem modo et oppidanis subinde ad locum ubi pugnabatur
confluentibus. Ita nunc his, nunc illis robore numeroque 17
superioribus, varie pugnatum est; donec Alexander cum

1. Arr. l. l. Diod. XVII, 25, 26, sqq. 2. Arrianus, lib. prim. cap. 21.

manu quæ circa ipsum erat progressus, metum hostibus incussit, statimque intra munimenta compulsi sunt: nec
18 multum abfuit, quin hostes simul irrumperent. Forte enim intentis omnibus in ea quæ ante urbem gerebantur, mœnia negligenter servari contigerat, et duæ turres cum continenti murorum parte crebris arietum ictibus cesserant; tertia quoque, laxata jam et concussa compage, fodientibus
19 haud in longum resistere potuisset. At quia tumultuarium id prælium, neque universus exercitus instructus fuerat;
20 opportunitas ejus rei e manibus amissa est. Alexander, quamquam ea res opinione Græcorum de victoria concedentis videretur [1], corpora suorum, qui sub ipsis mœnibus oppetierant, induciis postulatis ab hoste repetere, quam inhumata
21 dimittere maluit. At qui cum Persis erant, Ephialtes et Thrasybulus, Athenienses, quum plus apud ipsos odium adversus Macedonas, quam humanitatis ratio valeret, negabant
22 indulgendum hoc esse infestissimis hostibus. Non tamen permoverunt Memnonem, quin Græcorum moribus indignum esse diceret, sepulturam invidere cæsis hostibus: armis et viribus in adversos et obsistentes utendum: neque contumeliis pugnandum in eos, quos bonis malisque nostris sua
23 dies exemisset. Sane præter alias Memnonis virtutes, etiam moderatio ejus insignis fuit: neque enim per vecordiam conviciis insectari hostem pulchrum ducebat; sed virtute
24 et consiliis vires illius animosque contundere. Igitur quum aliquando in agmine quemdam ex mercenariis nonnulla contumeliose et petulanter in Alexandrum jacientem [2] audisset, conversa hasta hominem pulsans: « non te conduxi, inquit, ut malediceres Alexandro, sed ut adversus illum dimicares. »


1 X. Interea obsessi summo studio securitati suæ providentes, pro diruto muro alium interiorem ex cocto latere eduxerunt, non recta regione, sed in nascentis lunæ figuram sinuatum: eaque res, quum inter multos distributum
2 munus esset, celerrime confecta est. Hunc murum Alexander postero statim die machinis quassare cœpit, quo minore

1. Justin. VI, 6. 2. Plutarch. Apophthegm. 12.

negotio recens adhuc opus labefactaret. In eo labore occupatis Macedonibus, iterum ex urbe valida eruptio facta est: cratiumque, quibus opera tegebantur, nonnihil, et unius turris ligneæ partem flamma comprehendit. Ne ad cætera 3
opera transiret incendium Philotas et Hellanicus obstiterunt, quibus in eam diem machinarum custodia cesserat: et Alexander mature conspectus, tantum trepidationis injecit hostium animis, ut omissis facibus, quibus armati procurrerant, quidam etiam arma jacientes, effusa fuga oppidum repeterent. Inde vim facile propellebant, adjuti com- 4
moditate loci, quem multo æquiorem obtinebant; et quia murus, sicut diximus, ita constructus erat, ut quamcunque partem invasisset hostis, non a fronte tantum, sed ex utroque laterum missilibus appeti posset. Posthæc Persarum 5
duces, quum omnia sibi in dies arctiora esse viderent, constaretque non abscessurum Macedonem, donec urbis potiretur; de summa rerum consilium habebant. Ibi Ephialtes vir animi corporisque robore in paucis conspicuus, incommoda longa obsidionis disseruit: negabatque exspectandum, 6
donec paullatim accisis viribus exhausti fractique cum ipsa urbe in victoris arbitrium concederent; sed dum aliquid virium superesset, cum robore conductitii militis erumpendum, et alacribus animis cum hoste confligendum esse: consilium suum, quo in speciem audacius esset, eo plus in exsequendo facilitatis habiturum: hostibus enim alia omnia exspectantibus, et adversus casum de quo nihil dubitarent imparatis, superfusum iri suos. Neque Memnon, quam- 8
quam cauta consilia speciosis præferre solitus, restitit: nam etiamsi nihil novaretur, nulla propinqua auxilii spe, tristem obsidionis exitum fore prospiciebat; et, ut in tanto discrimine, non inconsultum rebatur, experiri virum acrem, et qui velut instinctu quodam ad extrema audenda ageretur. Igitur Ephialtes, duobus millibus ex omni mercenariorum 9
numero delectis, faces mille parare jubet, primaque luce adesse, et armatos exspectare imperium. Cœpta die quum Alexander iterum muro lateritio machinas [1] admovisset.

1. Arrian. I, 22.

instarentque Macedones operi, Ephialtes, porta subito patefacta, dimidium suorum immittit cum facibus; ipse cum
ceteris denso agmine subsequitur, ut hostes incendium
10 prohibituros submoveret. Alexander, intellecto quid ageretur, aciem celeriter instruit, subsidia delecto milite firmat; quumque alios ad exstinguendum ire jussisset, in eos
11 qui cum Ephialte advenerant impetum facit. At ille insigni corporis robore, quotquot conferre pedem audebant, obtruncans, suos voce, nutu, et inprimis exemplo ad virtutem animabat. Neque parum molestiæ e muris exhibebatur hosti: quippe turrem centum cubitorum obsessi erexerant, tormentisque commode dispositis hastas et saxa jaculabantur.
12 Inter hæc ex diversa parte urbis (ipsi *Tripylon* vocabant), duce Memnone, alius oppidanorum globus, qua minime exspectabatur, erupit; tantusque tumultus incessit castris, ut ipse etiam rex consilii incertus efficeretur. Sed animi magnitudine, et opportunis imperiis omnia pericula pro-
13 pulsabat; et fortuna in tempore subvenit. Igitur et qui machinas incenderant, a Macedonibus qui ibi curabant, quippe a rege missi subsidio venerant, cum magna clade repulsi sunt; et Memnonem Ptolemæus excepit Philippi filius, regii corporis custos, præter propriam manum Addæi Timan-
14 drique cohortibus stipatus: eaque parte egregie vicerunt Macedones, quamquam Ptolemæum Addæumque, et sagittariorum ducem Clearchum cum quadraginta ferme manipularibus amisissent; et hostes cum tanta trepidatione recesserunt, ut angustum pontem, quem ad fossam superandam construxerant, multitudo festinantium ruperit, iis qui su-
15 perstiterant, in præceps devolutis. Ex quibus nonnulli a suis conculcati interierunt; alios Macedones ex superiore loco telis confixere: multi, quibus ista calamitas pepercerat, sub ipsa urbis porta necem invenerunt: quippe exterritis omnibus, metuentibusque ne una Macedones irrumperent, porta præpropere occlusa, magnam oppidanorum partem ad
16 exitium hosti tradidit. Inter hæc Ephialtes, non spe magis quam desperatione formidabilis, cum regiis ferociter dimicabat: et ancipitem fecisset victoriam, ni laborantibus


PLASSE
Chemin de Myndus
Porte de Mylasa
Chemin de Mylasa
Temple de Mars
CITADELLE
Fossé
Murs
profond
Porte Tripylon
Murs
de
de
la
Porte de Pédasus
Chemin de Pédasus
gauxe
Ville
CITADELLE DE S
et Temple de Ve
et de Mercu
Porte de Telmisus
Chemin de Telmisus
Pieds G
Toises de
Mètre

RE.

suis seniores Macedonum mature succurrissent[1]: ii in cas-
tris habebantur immunes operum periculorumque, nisi ubi
necessitas exigeret, cum stipendiis præmiisque nihilominus
perfruerentur : meruerant eum honorem fortibus factis, et
sub superioribus regibus ipsoque Alexandro bellicis labori-
bus ætate exacta. Ii quum suos periculis territos detrectare 17
pugnam, et receptui locum circumspicere intelligerent,
Atharia quodam duce[2], in primam aciem provolant; accen-
soque quod elanguerat prælio, juniores conviciis et pudore
flagitii ad resumendos animos compellunt. Ita simul acer- 18
rimo nisu incumbentibus omnibus, quum æmulationem suam
hostium damnis exercerent, momento temporis inclinata
fortuna; Ephialtes cum plurimis fortissimisque suorum cæ-
sus; reliqui in urbem repulsi sunt. Introierant etiam Mace- 19
donum multi, et oppidum vi capiebatur, quum receptui
cani rex jussit; sive ut urbi parceret, sive præcipiti jam in
vesperam die, noctem et occultas ignotis locis insidias me-
tuebat. Hoc prælium præcipuas obsessorum vires consump-
sit. Igitur Memnon, re cum Orontobate qui urbem tenebat, 20
cæterisque ducibus deliberata[3], nocte intempesta turrim
ligneam, et porticus, ubi tela servabantur, incendunt, ædi-
ficiisque muro vicinis ignem supponunt : quo celeriter con-
cepto, quum et ex porticibus turrique flamma vento agitata
accederet, late fuderunt incendium. Oppidanorum militum- 21
que validissima pars arcem in insula sitam occupavit; alii in
Salmacidem se contulere[4] : alterius arcis id nomen inditum
a fonte, qui ibi est, vulgatissimæ famæ. Reliquam multitu-
dinem resque pretiosas duces avexerunt in Con insulam.
Alexander indicio transfugarum, et objecta oculis specie, 22
quæ in urbe gesta fuissent cognitis, quamquam media nocte,
Macedonas in urbem irruere, et quos incendium augentes
deprehendissent, interficere; si qui domi se continerent,
ab eorum cæde temperare jubet. Luce oborta arces a Persis 23
et mercenariis insessas contemplatus, quum obsidionem ea-
rum longi operis futuram suspicaretur, neque pretium pu-

1. Diodor. Sicul. XVII, 27.
2. Curt. V, 2, et VIII, 1.
3. Arrian. lib. I, cap. 23. Diod. l. l.
4. Vitruv. II, 8.

taret capite gentis expugnato, duabus arcibus assidentem,
24 agendi tempus per otium et inertiam terere; urbem ipsam exscindit, arces muro fossaque circumseptas Ptolemæum observare jubet, quem cum tribus millibus peregrinorum militum, et equitibus ducentis ad Cariam tuendam relinquebat. Is non longo post tempore, copiis cum Asandro Lydiæ prætore conjunctis Orontobaten acie vicit[1]: et Macedonibus ira tædioque diuturnioris moræ, oppugnationi acriter incumbentibus, arces in potestatem redactæ sunt.
25 At rex Phrygiam continentesque provincias animo complexus[2], Parmenionem cum amicorum turmis et auxiliariis equitibus, Thessalisque quibus Alexander Lyncestes præerat, Sardes mittit; ut inde in Phrygiam irrueret, venturoque exercitui commeatum et pabulum ex hostico para-
26 ret. Data ad hoc plaustra, quæ simul ducerentur. Quum deinde multos Macedonum paullo ante eam expeditionem ductis uxoribus, desiderium earum impatienter ferre cognovisset, Ptolemæum Seleuci filium corporis custodem iis præfecit, domumque deducere jussit, cum uxoribus hibernaturos. Duo quoque ex ducibus Cœnos atque Meleager ob
27 eamdem caussam una profecti sunt. Id regi magnæ apud milites commendationi fuit, promptioresque deinde eos ad longinquam militiam reddidit, quum sui rationem habitam viderent, sperarentque deinceps etiam ad suos visendos
28 subinde commeatum impetraturos esse. Ducibus injunctum est, ut interim, dum in Macedonia morarentur, strenue delectus agerent; quantasque maximas possent equitum peditumque copias, cum iis qui tum abibant, sub initium
29 veris adducerent. Animadverso autem exercitum Asiaticis moribus infici, magnamque vulgo per castra impudicorum multitudinem haberi, probrosos omnes conquiri jussit, et in parvam quandam Ceramici sinus insulam seposuit, hæsitque infamia loco, et ob ejus rei memoriam Cinædopolis appellatur[3].

1 XI. His ita gestis, insistens consilio suo, ut omni maritima

1. Curt. III, 7. Arrian. II, 5. Strab. XIV.
2. Arrianus, lib. I, cap. 24.
3. Plin. Hist. Nat. V, 31.

ora sui juris effecta, classem hostium inutilem [1] redderet, Hyparnis receptis, quæ arcem tenentes mercenarii dediderant, in Lyciam contendit. Ibi pacta cum Telmissensibus
2 amicitia, Xanthoque flumine transmisso, cognominem amni urbem, Pinaraque et Patara, nobilia iis regionibus oppida, cum aliis minoribus circiter triginta, in fidem accipit: rebusque satis in præsens compositis, in Myliada procedit.
3 Phrygiæ majoris portio Mylias est; sed Persarum regibus placuerat Lyciæ eam contribui. Eam dum recipit, adfuere Phaselitarum legati, amicitiam orantes, auream que coronam hospitale donum afferebant: idem petebant multarum
4 urbium oratores ex inferiore Lycia. Itaque rex præmissis, quibus oppida sua Phaselitæ Lyciique traderent, paucis post diebus, Phaselin profectus est. Oppugnabant illi tum maxime validum præsidium, quod in ipsorum ditione Pisidæ construxerant, multasque inde injurias intulerant accolis. Id
5 adventu Alexàndri brevi captum fuit. Apud Phaselitas plusculos dies, ut seque et exercitum reficeret, quieti dedit. Invitabat etiam tempus anni; quippe media jam hyems dif-
6 ficiles progredienti vias effecerat. Ibi per hilaritatem et epulas laxato animo, quum statuam Theodecti a civibus suis in foro positam vidisset, ut a cœna temulentus surrexerat, saltabundus eo processit, frequentesque ei coronas [2] injecit: nam Theodecten, quum Aristotelem una audiret, familia-
7 rem gratumque habuerat. Sed otiosos juvenilis animi lusus atrox a Parmenione nuntius cito discussit. Comprehenderat ille Persam quemdam Asisinem nomine, a rege Dario palam quidem ad Atyziem Phrygiæ satrapam missum [3], sed cum occultis mandatis, ut Alexandrum Lyncesten captata occasione secreto conveniret, eique, si destinata effecisset, Macedoniæ regnum et mille insuper auri talenta polliceretur.
8 Nam is cum Amynta transfuga, scelesto consilio inito, occidendi regis partes sibi sumpserat. Oderat eum tum aliis de caussis, tum quod Heromenem et Arrabæum, fratres hujus Alexandri, inter paternæ necis conscios supplicio af-

1. Arrian. I, 24. Vid. quoque Suidam voc. Θεοδέκτης.
2. Plutarch. in Alexand. vita, c. 30. 3. Arrian. I, 25.

9 fecisset. Et quamquam ipse pœna exemptus, multisque pos-
tea honoribus ornatus, non simplex beneficium regi debe-
ret, insita animo ferocia et dominandi cupidine nihil nefas
10 putabat, per quod ad regnum via sterneretur. Re in con-
silium deducta, facilitatem regis arguebant amici, quod
hominem in manifesto maleficio deprehensum, non modo
punire non sustinuisset, verum etiam præmiis et honoribus
auctum optimæ equitatus parti præposuisset. Quem deinceps
ei fidum futurum, si præter impunitatem propior amicitiæ
gradus, maximæ dignitates, honorificæ præfecturæ, parri-
11 cidii merces essent? Igitur mature emendandum, quod ni-
mia lenitate peccatum esset: priusquam ille, consilium
emanasse sentiens, Thessalorum mobiles animos ad res no-
vandas induceret. Non contemnendum esse periculum, quo
majus ne excogitari quidem possit, neque spernenda deo-
rum ostenta, qui regem de cavendis insidiis evidenter mo-
12 nuissent. Nuper enim, dum Halicarnassum obsidens, post
longos magnosque labores meridiatione reficitur, hirundo,
nota auspiciis avis[1], magno cum garritu, circum caput
quiescentis volitaverat, et modo in hoc, modo illud lectuli
latus se demiserat, turbulentiorem solito cantum exorsa.
13 Et rex quidem defatigato corpore non penitus excussit som-
num, sed tamen avem continuo strepitu molestam sentiens,
manu obiter repulit. Illa adeo non exterrita est, ut etiam
in ipsius capite consederit, neque prius strepere desierit,
14 quam ab experrecto demum abacta est. Idque sic interpre-
tatus fuerat Aristander, ut instare periculum diceret, ab
amico regis; sed insidias in occulto non mansuras: hoc enim
monere naturam avis, quæ præ cæteris homini familiaris,
15 eademque supra modum garrula esset. His itaque diligenter
expensis, quum indicium Asisinis cum vatis responso con-
venire cerneret, meminissetque se matris literis anxie mo-
nitum, ut ab hoc homine sibi caveret[2]; nihil ultra diffe-
rendum ratus, quid fieri vellet, Parmenioni significat: nam,
ut diximus, cum ipso in Phrygiam iverat Lyncestes Alexan-
16 der. Sed ne quo casu consilium regis parum in tempore pro-

1. Ælian. Hist. anim. X, 34.

2. Diod. Sicul. lib. XVII, cap. 32.

deretur, literas scribi non placuit; sed per hominem fidum
atque honoratum mandata perferri. Electus est Amphoterus
Crateri frater [1], qui quum macedonicum habitum phrygio
mutasset, assumptis Pergensibus aliquot itineris gnaris, ad
Parmenionem occultus penetrat. Ita Alexander comprehen- 17
ditur: et quum ob veterem suam familiæque dignitatem et
gratiam diu dilatus esset; tertio post anno, dum a Philotæ
consciis supplicium sumitur, societate criminis, et pœna
sontium in exitium abreptus periit [2]. Regi ex Phaselide 18
moventi, supra detectas insidias propitius numinis favor
alio statim beneficio patuit [3]. Parte exercitus ad Pergensium
urbem per montes præmissa, cæteros ipse per litus duce-
bat, qua Climax mons pamphylio mari imminens [4], angus-
tam euntibus semitam relinquit, quoties mare tranquillum
est; at quum æstus incubuit, fluctibus operitur, idque hyeme
frequens et prope perpetuum est. At Alexander nihil æque 19
ac moram metuens, exercitum per æqua, per iniqua, eo-
dem ardore atque impetu rapiebat. Continui per eos dies
austri flaverant, qui mare in litus propellentes, omnia iti-
neris vestigia altis paludibus opplent: assiduæ etiam magnæ-
que pluviæ, ut ventis istis spirantibus solet, ruebant. Sed 20
adventante Alexandro, subito exortus aquilo cælum purgavit
imbribus, undas rejecit in mare, et Macedonibus transitum
aperuit. Sic quoque unius diei itinere per incerta vada emer-
gendum fuit, aqua ad umbilicum ferme pertingente [5]. Tan- 21
tam in periculis Alexandri fiduciam, ut ab ipsius ingenio
profectam non dubito, ita frequentibus prodigiis et omini-
bus auctam confirmatamque fuisse crediderim, postquam
decreto numinis, clarissimis maximisque rebus se destinari
conjecit. Adhuc in Macedonia degenti species humana au- 22
gustior apparuisse dicitur [6], monentis ut ad evertendum
imperium persicum quamprimum in Asiam sequeretur: at-
que in memoriam insomnii revocatum esse regem, quum in

1. Arrian. I, 25.
2. Diodor. XVII, 80. Curt. VII, 1.
3. Arrian. I, 26.
4. Strab. XIV. Curt. lib. V, cap. 3; lib. VI, cap. 3. App. II, de Bello civ.
5. Strab. XIV.
6. Joseph. Antiquit. XI, 8. Sulp. Sev. II.

Phœnice res gereret; obvio Judæorum sacerdote in quo re-
cognovit ornatum, quem pridem in objecta imagine per
23 quietem viderat. Nam inter obsidionem Tyri vicinis regibus
populisque deditionem et delectus imperaverat: sed Judæi,
qui Hierosolyma famosam urbem tenebant, fœdus cum
24 Dario caussati, Macedonum amicitiam detrectabant. Eam
gentis contumaciam puniturus, in Judæam infesto agmine
perrexit. At Hierosolymitani ut regis iram lenirent, cum
uxoribus liberisque supplices in occursum venientis effun-
duntur. Sacerdotes primi ibant tenuissima bysso amicti: hos
deinde populus candido et ipse vestitu sequebatur. Agmen
ducebat Jaddus summus sacrorum antistes cum solenni
25 ornatu. Appropinquantis pompæ venustatem speciemque
miratus rex, equo desiliens, solus processit, adoratoque
dei nomine, quod aureæ laminæ insculptum cidaris ponti-
26 ficia præferebat, ipsum quoque reverenter salutavit. Im-
provisa res omnium qui cum eo advenerant animos in stu-
porem dedit. Judæi ex propinqui exitii metu non in spem
incolumitatis modo, sed inopinatæ gratiæ fiduciam erecti
circumibant regem, laudes gratulationemque et vota mis-
27 centes. Contra Syrorum reguli, qui ob crebras acerbasque
cum Judæis simultates Alexandrum secuti fuerant, inimi-
corum suppliciis, ut rebantur, infesti animi libidinem
expleturi, stupebant, dubii verane essent quæ intueren-
tur, an aliquod oculorum ludibrium vana imagine sopitos
28 sensus falleret. Neque minus Macedonas insolentia specta-
culi suspensos habuit: donec propius accedens Parmenion
interrogare ausus est, quid ita externis cæremoniis honorem
deferret, quem a tam fœda gente etiam recipere vix tanto
rege dignum esset. Atque ille insomnium suum retulit.
29 Deinde urbem ingressus in pulcherrima æde ritu recepto
sacrum deo fecit, et dona templo intulit. Inspexit etiam
sacros gentis codices, quibus continebantur diu ante per-
scripta vaticinia; inter quæ Tyrum Macedonibus [1] cessuram,
et Persas a Græco quodam debellatum iri clare significa-
30 batur [2]. Eum se fore interpretatus, Judæis concessit, ut

1. Isaias, XI, 5. 2. Daniel. prophet. VIII, 21.

domi forisque suis legibus ritibusque libere uterentur; et quia septimum quemque annum agriculturæ exsortem agunt, etiam tributorum ista portione solverentur. Naturam quo- 31
que regionis admiratus, quæ aliis fructibus inter præstantissimas dives, opobalsamum sola producit, Andromachum iis regionibus præposuit: quem Samaritani, perpetui Judæorum hostes, paullo post atrociter necaverunt[1]. Sed hæc quidem post Tyrum Gazamque expugnatas gesta sunt: nos per occasionem præcepimus.

XII. Cæterum angustiis ad mare Pamphylium superatis, 1
Alexander Pergis profectus in itinere obvios habuit Aspendiorum legatos[2], ex principibus civitatis. Ii petentes, ne præsidium recipere cogerentur, quinquaginta talenta in stipendium militum, et quantum equorum tributi nomine regi Persarum alere consueverant, promiserunt. Inde rex 2
ad Sidetas, qui Melanem amnem accolunt, progressus est; Cumæorum ex Æolide genus, sed sermone barbaro: nam Græcus exoleverat, non diuturnitate temporis, ut accidit; verum majores suos, ut in eas regiones venerunt, repente oblitos patriæ linguæ, novam et antea inauditam sonuisse memorabant. Side recepta, quæ Pamphyliæ metropolis erat, 3
Syllium ibatur, tutum natura situs oppidum, et tam peregrino milite, quam barbarorum accolentium firma manu egregie munitum. Ea res, et quia Aspendios rebellare nuntiabatur, avertit iter: Aspendumque ductus est exercitus. Illi subita Macedonum irruptione territi, desertis quæ in 4
plano erant ædificiis, in arcem concessere. Alexander vacua urbe potitus, sub ipsa arce castra communit; et quum peritissimos architectos haberet, apparatu oppugnationis obsessos ad pacem prioribus conditionibus repetendam compulit. Nihil ad majora properanti optatius accidere potuisset, 5
quam loci haud contemnendi longa obsidione non detineretur; ne tamen impunita defectorum temeritas esset, potissimos civium obsides tradi, pecuniæque imperatæ nec exsolutæ summam duplicari præcepit: adjectum est, ut

1. Curt. IV, 8. Vid. quoque Joseph. XI, 8.

2. Arrian. I, 27. Pausanias, VIII. Suid. voc. Σίδη.

satrapæ, quem Alexander præfecisset, obedirent, annua
Macedonibus tributa solverent, et de agro, unde vicinos
6 vi ejecisse arguebantur, judicio contenderent. His ita gestis
remensus iter, quod ad Pergensium oppidum ferebat, inde
perrexit in Phrygiam. Sed per ista loca ducenti superandæ
erant angustiæ, quas juxta Telmissum urbem Pisidarum,
duo montes ex adverso concurrentes efficiunt[1], ita strictis
faucibus, ut portarum similitudinem referant: easque bar-
7 bari armata manu utrimque insederant. Alexander in ipso
aditu castra poni jubet, ratus, quod evenit, Telmissenses
castris locatis periculum differri credentes, non diu hæsuros
in angustiis, sed modico in illis relicto præsidio cæteros in
8 urbem recessuros esse. Igitur occasione haud segniter usus,
protinus sagittarios et funditores, quodque ex gravi arma-
tura maxime expeditum erat, inducit; et, præsidio barba-
9 rorum deturbato, ante ipsam urbem castra collocat. Ibi
legatos Selgensium audit, qui ob vetustas cum vicinis Tel-
missensibus simultates, quamquam ejusdem nationis es-
sent, amicitiam ac auxilia offerebant regi. Quibus perbe-
nigne exceptis, ne in obsidione unius urbis tempus tereret,
Sagalassum castra movit, validam urbem et juventutis ro-
bore firmatam. Quum enim omnes Pisidæ bellicosi sint, Sa-
10 galessenses præ cæteris pugnaces habentur. Ii, quum etiam
a Telmisso fœderatæ sociæque copiæ venissent, viris magis
quam mœnibus confisi, in vicino colle instruxerant aciem,
et præmissos ab Alexandro velites opportunitate loci adjuti
repulerant: sed Agriani resistebant, quis propinqua jam
Macedonum phalanx, et ante prima signa rex conspectus
11 audaciam addiderat. Maximus militi labor fuit per ardua
conniti: postquam æquioribus paullo locis consistere datum
est, semermum montanorum vulgus haud ægre disjecere.
Ex Macedonum ducibus Cleander desideratus est, cum vi-
ginti ferme militibus; barbarorum ad quingentos cecidere:
12 cæteros expedita fuga, et locorum notitia protexit. Fugien-
tibus tamen institit rex contentione quanta poterat tam grave
agmen: eodemque impetu urbs eorum capta est. Per cætera

1. Arrian. I, 28.

deinde Pisidiæ munita loca circumtulit bellum : quorum
nonnulla pugnando cepit ; alia conditionibus in fidem ve-
nerunt. Telmissum expugnatam, ob pertinaciam civium, 13
solo æquavit [1]; populo libertatem ademit ; et paullo post
cum aliis quibusdam Pisidiæ civitatibus, Celænarum præ-
fecturæ contribuit. Pacatis hunc in modum asperrimis na- 14
tionibus, in Phrygiam processit [2], qua Ascanius lacus est,
cujus aqua sua sponte concrescens, necessitate salis e lon-
ginquo petendi solvit accolas. Dum ea geruntur, Memnon 15
suarum partium reliquiis undique collectis, ut inhærentem
Asiæ Alexandrum extorqueret, ad bellum Græciæ Macedo-
niæque inferendum cogitationes convertit [3]. Quippe Darius 16
in hoc uno spem reponens, qui victoris impetum sua vir-
tute suaque prudentia diutissime ad Halicarnassum moratus
esset, summæ rerum præfecerat eum, magnamque pecuniæ
vim transmiserat. Itaque mercenariorum manu quanta pote- 17
rat conducta, cum trecentarum navium classe libero mari
vagabatur [4]; et quæ tantis conatibus adversa vel æqua futura
essent, solerti æstimatione pensabat. Interea locis quæ mi- 18
nus anxie custodiebantur occupatis (inter quæ et Lampsacus
fuerat), insulas aggressus est, quibus Macedones, quamquam
utrimque continenti potirentur, ob inopiam navium auxi-
lium ferre non poterant. Juvit consilium ducis animorum 19
mira ubique dissensio ; quum, aliis ad Alexandrum liber-
tatis auctorem res trahentibus, non deessent qui persicis
opibus aucti, propriam sub veteribus dominis potentiam,
quam liberata republica eamdem omnium æqualitatem mal-
lent. Igitur Athenagoras et Apollonides ex Chiorum opti- 20
matibus [5], re cum Phisino Megareoque, et aliis suæ factionis
hominibus communicata, Memnonem arcessunt. Ita Chius
proditione capitur, et, præsidio ibi collocato, urbanarum
rerum administratio Apollonidi sociisque traditur. Inde 21
Lesbum petens, Antissam, Pyrrham et Eressum nullo ne-
gotio capit ; Methymnæ Aristonicum tyrannum imponit,

1. Suidas voc. Τελμισσεύς.
2. Arr. I, 29. Plin. V, 29. Strab. XIV.
3. Arrian. II, 1.
4. Diodor. Sicul. lib. XVII, c. 29.
5. Arrian. II, 1, et III, 2. Curt. IV, 5.

totamque insulam, excepta Mitylene nobilissima urbe, in
potestatem redigit. Ea multis diebus obsidionem constanter
22 pertulit : nec ab ipso Memnone capta est. Ille enim quum
jam magnis operibus urbem circumvallasset, et occluso
portu, naviumque stationibus per opportuna loca disposi-
tis, ne qua subsidio venientibus aditus pateret, providisset;
pestilenti morbo correptus, præclaram Persarum spem,
irreparabili cum ipsorum damno, deseruit. Sed quum se
23 jam morti vicinum intelligeret, Pharnabazo sororis suæ
filio, quem Artabazo pepererat, imperium suum tradidit,
donec Darius, re comperta, aliter statueret. Hic cum Au-
24 tophradate classis præfecto munia partitus, eo tandem ob-
sessos adegit, ut securo præsidii discessu pacto, columnas
quîs fœderis cum Alexandro leges insculptæ erant, sub-
verterent; Darioque fidem polliciti, dimidiam exsulum suo-
rum partem reciperent. At Persæ non integra fide pactis
25 stetere; sed introductis in urbem militibus, Lycomedem
Rhodium præesse jusserunt : Diogeni, qui ob studia in Per-
sas exsulaverat, patriæ tyrannis tradita est. Pecunia dein-
ceps privatim ab opulentissimo quoque per vim ablata :
neque eo minus imperatum tributum, quod commune Mi-
tylenæorum penderet.

Q. CURTII RUFI

DE REBUS GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

CAP. I. Celænarum urbe et arce recepta, Gordium Phrygiæ caput Alexander ingreditur, fataliqne nodo Gordii solnto, obviam Dario ire statuit. — II. Exercitns persici lustratio; de quo quum Darii jussu Charidemus Atheniensis verum liberumque protulisset judicium, capite multatus est. — III. Pharnabazus Memnoni, oræ maritimæ præfecto, succedit. Darii somnium; ejusque varia interpretatio. Ordo Persarum agminis, orto sole demum procedentis: tum copiarum Alexandri descriptio. — IV. Desertas ab Arsane, Darii præfecto, Ciliciæ fauces Alexander opportune occupat. — V. Quum in Cydnum Alexander abluendi corporis gratia intempestive descendisset, gravissimo morbo corripitur. — VI. Philippus medicus, quum Alexandrum in pristinam valetudinem mox restituisset, divinis fere honoribus ab exercitu afficitur. — VII. Rex vegetior factus, Cilicia omni subacta, Darium, Euphraten transgressum, aggredi cogitat, Sisinemque Persam imprudentia delinquentem, occidi jubet. — VIII. Darii ante pugnam consilia et ingressus in Ciliciam; tum exercitus persici consternatio, proximæ internecionis præsagium. Propius uterque exercitus ad alterum progreditur. — IX. Utriusque exercitus membra præci-

pua, eorumque collocatio. — X. Alexandri oratio ad milites. — XI. Pugna cruenta, in qua centum millia peditum ac decem millia equitum Persarum cecidisse narrantur, reliquis fusis fugatisque. — XII. Castra Persarum cum ingenti præda capta. Matris et uxoris Darii nec non aliarum captivarum luctum levat Alexander. — XIII. Darii gazam immensam cum ingenti nobilium numero Parmenioni perfidus Damasci præfectus tradit.

1 CAP. I. INTER hæc Alexander, ad conducendum ex Peloponneso militem Cleandro cum pecunia misso, Lyciæ Pamphyliæque rebus compositis, ad urbem Ce-
2 lænas exercitum admovit. Mediam illa tempestate inter-

1. *Inter hæc Alexander.* Alexander, trajecto Hellesponto, pugnaque ad Granicum pugnata, Austrum versus per Mysiam, Lydiam et Cariam; tum ex Caria per Lyciam et Pamphyliam, inde paulisper regressus, per Pisidiam castra in Phrygiam movit, in qua, ultra Sangarium progressus, Gordium et Ancyram occupavit; denique, itinere circiter ad Halyn fluvium in meridiem flexo, in Ciliciam pervenit. Asia igitur omni, quæ ab sinu Issico et Amiseno occasum spectat, vel armis vel conditione subjecta, ne uspiam a tergo hostis relinqueretur, cavit. Inter hæc Memnon, optimus Persarum dux, quem Darius oræ maritimæ præfecerat, quum Alexandro ne Asiam quidem, quam minorem dicimus, satis subjectam fore vidisset, si Persæ mari superiores essent, et insulas græcas lacessebat, et expeditionem in Græciam Macedoniamque moliebatur, qua, si fortuna adjuvaret, Alexander ex Asia ipse retraheretur; sed inter medios conatus morbo confectus periit. Cum primis igitur libris, quæ Curtius de itineribus Alexandri, antequam Phrygiam intraret, atque de Memnonia expeditione navali et infausta Persis morte, scripta reliquerat, perierunt. Quorum posteriora, ut recte monuit Freinshemius, proxime principium librorum superstitum præcesserunt. *Cleandrum*, Polemocratis filium, Alexander ex Caria in Peloponnesum ad militem mercede conducendum miserat. De Lycia Pamphyliaque subacta in iis, quæ supersunt, brevissimus est Cortina. Pisidarum ne mentionem quidem fecit. Copiosior est Arrianus, Exped. lib. I, c. 24...28.

2. *Mediam illa tempestate.* Codd. nostri, *media mænia*, illo tempore, *interfluebat*, *Marsyas amnis.* Quamdiu exstiterunt, per medias Celænas Marsyas manabat. Sed jam Freinshemius auctorem duas urbes confudisse vidit, veteres Celænas et Apameam Ciboton, ab Antiocho Sotere, ubi Marsyas et Mæander denuo confluunt, conditam, in quam ille rex incolas antiquarum Celænarum transduxerat. Eam igitur ob caussam, quod alia de veteribus Celænis, alia de Apamea, novis quasi Celænis, audiverat, utramque urbem eamdem credens, illa Marsyam tempestate Celænas interfluxisse scripsit. Cæterum non tam am-

fluebat Marsyas amnis, fabulosis Græcorum carmi-
nibus inclytus. Fons ejus, ex summo montis cacumine 3
excurrens, in subjectam petram magno strepitu aqua-
rum cadit: inde diffusus, circumjectos rigat campos,
liquidus et suas duntaxat undas trahens. Itaque color 4
ejus, placido mari similis, locum poetarum mendacio

nis quam Satyrus Marsyas carminibus inclytus erat; quem enim tibiarum cantu cum Apolline certasse, neminem fugit. Sed a quibusdam traditum est, Satyrum detracta pelle in flumen sui nominis conversum, vel potius ex Satyri sanguine flumen esse ortum. Xenophonte auctore, a cute Marsyæ in antro ad ejus fontes suspensa nomen accepit. Quum vero ille amnis nullam difficultatem Alexandro creaverit, cur in illo describendo adeo indulget ingenio suo Curtius? Illud sane non venustatem et elegantiam cum Snakenburgio dixerim, sed inanem potius poeticorum verborum luxuriem ab historico dicendi genere prorsus abhorrentem.

3. *Excurrens.* Alii *decurrens;... in subjectam petram.* Unde apud Herodotum (VII, 26) *καταρρήκτης* vocatur. Si Xenophontem (Anab. I, 2, 7, 8) sequeris, Cyrus minor Celænis domum regiam habebat cum fonte Mæandri et paradiso, quem Mæander irrigabat. Alia erat arx munitissima, a Xerxe ex Græcia fugiente condita; alia denique domus regis Persarum ipsius, ab eodem infra arcem condita, ubi fontes Marsyæ erant. (Igitur dubitari potest, Marsyam ex summo montis cacumine excurrere.) Uterque fluvius separatim urbem Celænas pervadebat. De duobus a principio fluviis consentit etiam Herodotus l. l. Plurimorum autem consensu Mæander et Marsyas, eumdem habentes fontem, simul ac Celænas transierant, dividebantur. Assentitur Curtius, Marsyam *inde* h. e. postquam extra urbem se evolverit, *diffusum*, in duos rivos divisum, fluere scribens. Alteri rivorum manebat nomen Marsyæ; alter vocabatur Mæander, cujus nomen, Marsya et multis aliis fluviis receptis, ad mare usque prævalebat. — *Liquidus et suas duntaxat undas trahens.* H. e. sine sordibus, et turbida alius fluvii aqua non inquinatus. Salmas. in Exercit. Plin. p. 582, hæc Orgæ, alii fluvio, quem recipit Mæander, convenire, itaque Curtium Organ cum Marsya confundere censet. Strabo de Marsya: *σφοδρῷ καὶ καταφερεῖ τῷ ῥεύματι συμβάλλει πρὸς τὸν Μαίανδρον προσειληφότα καὶ ἄλλον ποταμὸν Ὀργᾶν, δι' ὁμαλοῦ φερόμενον, πρᾶον καὶ μαλακόν.* Hunc tamen *liquidissimum* quoque dicit Ovidius. Metam. VI, 400.

4. *Poetarum mendacio.* Singulare de Nymphis, Marsyæ amore retentis, figmentum sive *poetarum mendacium*, quo inscito vocabulo noster utitur, non inveni; veteres autem quodvis antrum, quamvis rupem, ex qua fons profluebat, pro sede Nympharum habuisse, notissimum est. Sic *Schmieder:* ad ejusmodi tamen fabulam respiciunt illa Ovidii de Marsya, Met. VI, 396: « Illum ruricolæ, sylvarum numina, fauni, Et satyri fratres, et tunc quoque clarus Olympus, Et nymphæ flerunt .... et Epigr. Gr. III, 8: *Σεῦ δὲ βοὰν αὐλοῖο μελίβρομον οὐκ ἔτι Νύμφαι Ὡς πάρος ἐν Φρυγίοις οὔρεσι πευσόμεθα.*

fecit: quippe traditum est, Nymphas, amore amnis
5 retentas, in illa rupe considere. Cæterum, quamdiu in-
tra muros fluit, nomen suum retinet: at, quum extra
munimenta se evolvit, majore vi ac mole agentem un-
6 das *Lycum* appellant. Alexander quidem urbem des-
titutam a suis intrat: arcem vero, in quam confugerant,
oppugnare adortus, caduceatorem præmisit, qui de-
nunciaret, ni dederent, ipsos ultima esse passuros. Illi
7 caduceatorem in turrim, et situ et opere multum edi-
tam, perductum, quanta esset altitudo, intueri jubent,
ac nunciare Alexandro, non eadem ipsum et incolas
æstimatione munimenta metiri: se scire inexpugna-
8 biles esse, ad ultimum, pro fide morituros. Cæterum,
ut circumsideri arcem, et omnia sibi in dies arctiora
viderunt esse; sexaginta dierum inducias pacti, ut,
nisi intra eos auxilium Darius ipsis misisset, dederent
urbem: postquam nihil inde præsidii mittebatur, ad

5. *Lycum appellant.* Sed non hoc intelligo, unde Marsyas extra munimenta urbis evolutus, nondum ullo fonte auctus, *suas duntaxat undas trahens*, statim majorem vim ac *molem* undarum agere possit? nisi iterum Apameam cum Celænis confusam ponis. Plinio enim teste, Apamea sita erat in radice montis Signiæ, circumfusa Marsya, Obrima, Orga fluminibus, in Mæandrum cadentibus. Sic *Schmieder*, cui plane assentior. Nec unum illud exemplum est Curtii incuriæ in omnibus quæ ad Geographiam spectant. Vid. *Lycum* in ind. Geogr.

6. *Adortus.* Alii, *adorsus.* Vossianus secundus et Theocreni Codd.: *ni dederent sese*; sed malim cum Radero: *ni dederent* (nempe arcem, quæ vox præcesserat, nec opus erat iterari), *ipsos* qui erant in arce *ultima* et extrema supplicia *passuros.*

7. *Caduceatorem.* A *caduceo* dictus. Erat autem *caduceus* sive *caduceum* virga geminis implicata serpentibus spiratim inter se nexis, qua Mercurius tanquam sceptro usus fingitur, tum ad alia multa, tum ad lites componendas. Etsi autem *caduceum* pro symbolo pacis habitum, tamen *caduceatores* non conciliandæ modo paci, verum etiam denunciando, si opus foret, bello missos esse locus hic indicat. — *Ad ultimum.* Denique, postremo, si quid secus fortuna tulerit, pro fide suo regi data morituros esse.

8. *Dederent urbem.* Quia supra narratum est, urbem ab Alexandro occupatam, arcem circumsessam esse, maluerunt alius interpretum *urbem* ejicere, tamquam glossam, alius pro *urbem* legere vel *eam*, vel *arcem*, quæ saltem intelligenda est. Arcem defenderant mille Cares et Græci mercenarii centum, qui post diem præstitutam non Alexandro ipsi, sed præsidio ab rege relicto

præstitutam diem permisere se regi. Superveniunt 9
deinde legati Atheniensium, petentes ut capti apud
Granicum amnem redderentur sibi. Ille non hos modo,
sed etiam cæteros Græcos restitui suis jussurum respondit, finito persico bello. Cæterum Dario imminens, 10
quem nondum Euphratem superasse cognoverat, undique omnes copias contrahit; totis viribus tanti belli
discrimen aditurus. Phrygia erat, per quam ducebatur exercitus, pluribus vicis, quam urbibus frequens. 11
Tunc habebat quondam nobilem Midæ regiam; *Gordium* nomen est urbi, quam Sangarius amnis interfluit, pari intervallo Pontico et Cilicio mari distantem. 12

sese dederunt. Alexander enim cum exercitu Gordium progressus erat, ubi quum essèt, legati Atheniensium ad eum accesserunt; cf. Arrian. I, 29. Non igitur *superveniunt*, sive ad regem, Celænas obsidentem, veniunt. Græcorum apud Granicum captorum, qui compedibus vincti ad metalla et alia servilia in Macedoniam missi fuerant, in universum erant duo millia; quorum vincula nondum solvebantur, quia, vigente adhuc bello persico, Græcorum, qui adversus Græcos pro Persis militare veriti non fuissent, metum imminuere, Alexandro inconsultum videbatur; cf. Arrian. Exp. I, 29. Cæterum quæ modo denegabat Alexander, Atheniensibus concessit, quum eadem repeterent. Vid. Curt. IV, 8.

10. *Cæterum Dario imminens.* Variæ hoc loco lectiones in Codd. occurrunt: quum enim Alexandrum Dario imminere non proprie dici posse quidam existimarent, tunc temporis enim longissime inter sese aberant, Alexandro in Phrygia, Dario circa Babylonem versante, sic legerunt: *Dario imminens de Alexandro cura erat, quem...* Alii vero: *Alexandro imminens de Dario c. e. q....* Quum vero hæ lectiones non meliorem sensum exhibeant, primam omnium cum Reg. Paris. Biblioth. Codd. 5717, 5718, et cum Freinshem., Cunzio, Schmiedero anteposui. Cæterum copiæ quas ex Caria in Phrygiam cum Parmenione præmiserat Alexander, atque ex Macedonia militum supplementa, eum, dum in urbe Gordio commorabatur, junxerunt. Arriano auctore supplementum erat 3000 peditum et 650 equitum; Callisthene (ap. Polyb. Hist. XII, 30) 5000 peditum, 800 equitum. *Belli discrimen* est prælium, quod de universo bello et de Asiæ imperio videbatur decreturum.

11. *Quam urbibus frequens.* Quia incolæ operam suam præcipue in ovium caprarumque gregibus locabant.

12. *Et Cilicio mari distantem.* Si Asiam inter ostium Sangarii et sinum Pamphylium in quinque partes dividis, una circiter pars est inter Gordium et Pontum, quatuor inter Gordium et sinum Pamphylium. Quam urbem igitur si Curtius *pari intervallo Pontico et Cilicio mari distare* scripsit, multum quidem erravit, sed præeunte Livio, qui, XXXVIII, 18: « Tria maria, inquit, pari ferme distantia intervallo, habet, Hellespontum, Pontum ad Si-

13 Inter hæc maria angustissimum Asiæ spatium esse com-
perimus, utroque in arctas fauces compellente terram.
Quæ, quia continenti adhæret, sed magna ex parte cin-
gitur fluctibus, speciem insulæ præbet; ac, nisi tenue
discrimen objiceret, maria, quæ nunc dividit, commit-
14 teret. Alexander, urbe in suam ditionem redacta, Jovis
templum intrat. Vehiculum, quo Gordium Midæ pa-
trem vectum esse constabat, adspexit, cultu haud sane
15 a vilioribus vulgatisque usu abhorrens. Notabile erat
jugum adstrictum compluribus nodis in semetipsos
16 implicatis et celantibus nexus. Incolis deinde affirman-
tibus editam esse oraculo sortem, Asiæ potiturum,
qui inexplicabile vinculum solvisset, cupido incessit
17 animo sortis ejus implendæ. Circa regem erat et Phry-

nopen (sic legit Freinsh.) et alterius oræ litora, qua Cilices colunt. »

13. *Inter hæc maria angustissimum Asiæ spatium esse comperimus*, etc. In his omnibus ne verbo quidem fidem habeas. Quod verum est, adscribere satis sit. Fauces peninsulæ, quam Asiam minorem dicimus, sunt inter sinum Amisenum et Issicum sub 58° long. per sexaginta mill. geogr. a septemtrione meridiem versus extensæ. Nusquam, nisi forte in Argæo, excelsissimo Cappadociæ propriæ monte, locus est, ex quo quis mare utrumque, Ponticum et Cilicium conspicere possit. — *Objiceret. Objiceretur* Codd. Theocreni. Quidam in Codd. *videt* pro *dividit* reposuit, inepte quidem, sed non sane meritus in quem Modius vetus Curtii interpres, tam acriter succenseat, ut dignissimum illum dicat *dividi* non hercule sicula, sed illa sica sive securis fuit qua Jovi Vulcanum aiunt obstetricatum. — *Maria ..... committeret.* Conjungeret, commisceret, vel, ut Festus ait, insimul mitteret. Formula est, quam amat noster, ex. c. V, 2, 16; 4, 4; VII, 3, 20. Codd. nostri : *quæ nunc dividit maria committeret.*

14. *Jovis templum*, sc. regii. Jovi enim regio sive *Διὶ τῷ βασιλεῖ* Midas pro regno sibi tradito gratias acturus currum patris sui dicaverat. Historiam Gordii et Midæ vide ap. Arrian. II, 3, et Just. XI, 7. — *Vulgatisque usu*, seu, ut mavult legere Erasmus, *vulgatisque visu*, valet, qui vulgo in usu sunt, aut vulgo visuntur. Alii alia conjecerunt, ex. c. Rutgersius : *vulgatique usus*; Heinsius : *vulgarisque usus*.

15. *Notabile erat jugum*. Codd. alii *jugum*, alii *vinculum* habent; unde Schefferus legit : notabile erat *jugi vinculum*; et Ausonius, epist. XXIII, 48 : « Ocius illa jugi fatalis solvere lora Pellæum potuisse ducem reor, abdita opertis Principiis, et utroque caput celantia nodo. » Arrianus sane II, 3 : *τοῦ ζυγοῦ τῆς ἁμάξης τὸν δεσμὸν* dicit.

16. *Editam esse oraculo sortem*. Oraculum h. l. est pro deo vel sacerdote, qui oracula edit; *sors*, ut sæpe, pro oraculo edito sive vaticinatione.

gium turba et Macedonum: illa exspectatione suspensa,
hæc sollicita ex temeraria regis fiducia. Quippe serie
vinculorum ita adstricta, ut, unde nexus inciperet,
quove se conderet, nec ratione nec visu percipi pos-
set, solvere aggressus injecerat curam, ne in omen
verteretur irritum inceptum. Ille nequaquam diu luc- 18
tatus cum latentibus nodis: « nihil, inquit, interest
quomodo solvantur; » gladioque ruptis omnibus loris,
oraculi sortem vel elusit vel implevit. Quum deinde 19
Darium, ubicumque esset, occupare statuisset; ut a
tergo tuta relinqueret, Amphoterum classi ad oram

17. *Quippe series vinculorum ita adstricta, ut .... posset, solvere aggresso injecerat curam*, etc. Sic dedit Freinshemius, ut sermo esset de cura Alexandri ipsius: at partim Curtius versu præcedente disertis verbis de sollicitudine Macedonum loquutus est, quam unde ortam his ipsis verbis *quippe*, etc., explicare debet; partim demum post hæc verba de Alexandro loquitur, et, quo magis sit oppositio *Macedonum* et *regis* conspicua, *Ille*, incipit, *nequaquam diu luctatus*, etc. Ergo alias lectiones a Codicibus oblatas sequi non dubitavi, scribens: *Quippe, serie vinculorum ita adstricta, ut, unde nexus inciperet, quove se conderet, nec ratione nec visu percipi posset, solvere aggressus* sc. seriem vinculorum, quæ verba commode ex superioribus suppleri possunt, Macedonibus *injecerat curam, ne in omen verteretur irritum inceptum.....* Nostri Codd. *Quippe series v. ita adstricta, ut.... solvere aggressus injecerat curam ei, ne....* perperam. Nexus ille erat ex corni arboris libro.

18. *Nequaquam*. Alii *nequidquam*, h. e. frustra. — *Vel elusit vel implevit*. Si arte explicari, non dissecari oportuit, *elusit*, si quocumque modo dissolvi satis erat, *implevit*. « Sunt qui dicant, Alexandrum ensis ictu vinculum discidisse et solutum esse dixisse; Aristobulus vero auctor est, Alexandrum, exempto paxillo temonis, (erat is clavus ligneus, per medium temonem trajectus, cui vinculum adstrictum erat) jugum temoni detraxisse. Equidem, quomodo nodus ille ab Alexandro solutus fuerit, affirmare non ausim; ipse certe, et qui cum eo erant, ita a vehiculo discesserunt, perinde ac si vaticinium de solutione nexus impletum esset. » Arr. Exp. II, 3, ex vers. Vulcanii.

19. *Occupare*, h. l. est inopinantem opprimere. — *Amphoterum*. Si major est fides Arriani, Hegelochus et Amphoterus uterque in classe erant, sed hic illi parebat. Exp. III, 2, 8. Alexander in principio belli firmo de classe consilio non videtur usus. Quum trajiceret Hellespontum, habebat classem, ex sociis i. e. Atheniensibus aliisque Græcis coactam, qua destitutus Miletum expugnare non potuisset. Arrian. I, 18, sq. Hanc classem, persicæ sub Memnone non parem, præter paucas naves ad instrumenta obsidionalia vehenda, dissolvebat ob pecuniæ inopiam; quod maxima pars a sociis

Hellesponti, copiis autem præfecit Hegelochum, Lesbum et Chium et Con præsidiis hostium liberaturos.
20 His talenta ad belli usum quingenta attributa : ad Antipatrum et eos, qui Græcas urbes tuebantur, sexcenta missa : ex fœdere naves sociis imperatæ, quæ Helles-
21 ponto præsiderent. Nondum enim Memnona vita excessisse cognoverat, in quem omnes intenderat curas, satis gnarus cuncta in expedito fore, si nihil ab eo
22 moveretur. Jamque ad urbem Ancyram ventum erat,

suspectis coacta erat; ne prælio, ut putabat, instante, militibus suis spes fugæ maneret; quod, quum jam Asiam terrestribus copiis teneret, se classe non amplius egere arbitrabatur, et maritimis oppidis captis, facile ut Persæ classem dimitterent effecturum, neque unde remiges in supplementum acciperet, neque quo se in Asia reciperet, habituram. At quum Memnonem, quem Darius universæ classi oræque maritimæ præfecerat, Co, Chio et Lesbo insulis potitum, expeditionem in Græciam non sine caussa suspectam Macedoniamque parare audivisset, errore cognito, denuo classem contrahi jussit, qua brevi tempore non tam præliis secundis quam malis Persarum consiliis post Memnonem omnia restituebantur. Vide Schmied. notas ad Arr. II, 13, 8, et III, 2, 5. Cæterum, quum Alexander, optimus fortium virorum æstimator, inter tot egregios duces hunc Amphoterum idoneum duxerit cui non minimi momenti negotia committeret, non eumdem fuisse arbitror in quem Philippus, cum fratre Hecatero comparatum, dictum illud jecerit : *Hecaterum quidem* ἀμφοτερὸν (quod græce est *utrumque*) *esse*, *Amphoterum vero* οὐχ' ἑκατερὸν (quod notat *neutrum*); quod nimirum hebes et ignavus esset, frater ejus vivido ingenio et ad res gerendas apto.

20. *Ad Antipatrum*. Quem Alexander, expeditione in Asiam suscepta, Macedoniæ, Thraciæ, Thessalis et Græcis præfecerat. De aliis, qui græcas urbes tuiti fuissent, nihil notum. — *Quæ Hellesponto præsiderent*. Id est Hellespontum defenderent, quod, ne Alexander ab Europa intercluderetur, magni erat momenti.

21. *Memnona*. Memnon Rhodius, præstantissimus dux omnium Persarum, qui de bello Macedoniæ et Græciæ inferendo cogitans, multum laboris Alexandro allaturus fuisset, si vita longior contigisset. Jam Eubœæ imminebat; Lacædemonii in eo erant ut ipsius partes amplecterentur; multasque alias gentes pecunia corruperat. Denique eum ita formidandum omnes credidere, ut de eo ita locutus fuerit *Bossuet*, *Histoire universelle* : « La Perse « perdit le seul général qu'elle pût op- « poser aux Grecs : c'était Memnon de « Rhodes. Tant qu'Alexandre eut en « tête un si fameux capitaine, il put se « glorifier d'avoir vaincu un ennemi « digne de lui. Au commencement « d'une diversion, qui déjà inquiétait « toute la Grèce, Memnon mourut, « et Alexandre mit tout à ses pieds. » Ejus res gestas lege apud Diodorum, XVII, 7 et 29; Arrian. II, 1 et sqq., Plutarch. Vit. Alex. 32. Vita excessit, quum Mytilenen oppugnaret.

ubi numero copiarum inito, Paphlagoniam intrat: huic juncti erant Eneti, unde quidam Venetos trahere originem credunt: omnisque hæc regio paruit regi; datis- 23
que obsidibus, tributum, quod ne Persis quidem tulissent, pendere ne cogerentur, impetraverunt.
Calas huic regioni præpositus est: ipse, assumptis qui 24
ex Macedonia nuper advenerant, Cappadociam petiit.

II. At Darius, nunciata Memnonis morte haud secus 1
quam par erat motus, omissa omni alia spe, statuit ipse decernere: quippe quæ per duces suos acta erant, cuncta damnabat; ratus, pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam. Igitur castris ad Babylonem positis, 2
quo majore animo capesserent bellum, universas vires in conspectum dedit: et circumdato vallo, quod decem millium armatorum multitudinem caperet, Xerxis

23. *Quod ne Persis quidem tulissent.* Xerxis tempore parebant Paphlagones Persis; Xenophon in reditu reperiebat Paphlagoniæ regulum, Persis vix ac ne vix quidem parentem. Vides caussam, cur Persis tributum non penderent, cur Alexander de Paphlagonibus securus in Cappadociam transire posset. Non interiit illud regnum; posteris adeo sæculis sub Mithridate tantum increverat, ut a Romania vix posset superari. Si Arriano credis, Paphlagonibus petentibus, Alexander cum exercitu Paphlagoniam non intravit. Immo Curtium sibi contradicere videbis ex libro IV, 5, 13.

24. *Calas.* Alexandro jubente jam præerat Phrygiæ ad Hellespontum, ad quam, Arriano auctore, etiam Gordium pertinebat. — *Cappadociam.* Quam totam cis Halyn, partem etiam trans flumen occupavit Alexander, quibus præfecit Sabictam Satrapen; ut testatur Arrianus.

1. *Motus.* Alii *mœstus.* — *Decernere.* Id est prælium committere. Eodem quoque sensu, simplex verbum *cernere* apud Ennium et Pacuvium legitur. — *Damnabat.* Improbabat. — *Pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam.* Ex. e. Spithridatæ, Arsitæ et reliquis Persarum apud Granicum ducibus *abfuerat cura;* Alexandro enim, Hellespontum transeunti, non restitere, et contra Memnonis consilium, qui, ut regrediendo omnia corrumperent et Alexandri exercitum commeatu privarent præliumque evitarent, apud Granicum pugnare maluere: iisdem autem et Memnoni, Miletum Halicarnassumque frustra defendenti atque deinde diem obeunti *defuerat fortuna.*

2. *Xerxis exemplo.* Herodotus, VII, 60, refert Xerxem, quum locum quemdam nomine *Doriscum* invenisset decem mille hominum capacem, ibi circumdato vallo, (id est, planitie vallo clausa), singulas armatorum myriadas seorsim in illud septum immisisse, et

3 exemplo numerum copiarum iniit. Orto sole ad noc-
tem agmina, sicut descripta erant, intravere vallum:
inde occupaverunt emissa Mesopotamiæ campos: equi-
tum peditumque propemodum innumerabilis turba,
4 majorem quam pro numero speciem gerens. Persarum
erant centum millia; in quibus eques triginta millia
implebat. Medi decem equitum, quinquaginta millia
5 peditum habebant. Barcanorum equitum duo millia
fuere; armati bipennibus levibusque scutis cetræ
maxime speciem reddentibus: peditum decem millia
6 pari armatu sequebantur. Armenii quadraginta millia
miserant peditum; additis septem millibus equitum.
Hyrcani egregii, ut inter illas gentes, sex millia exple-

cum scriba sedentem, quique et unde essent spectantem, copias ita recensuisse. Vid. Plin. IV, 11, 5; Ammian. Marcell. XVIII, 15; et Aristidem qui in tom. I, orat. 13, his verbis in Xerxem invehitur: « Quum autem conaretur insolens iste rex exercitus sui numerum cognoscere (nam et hoc in ejus potestatem cadere debebat) metiri potius eum quodam modo, quam numerare, coactus est, ita ut muro, cujus ambitus decies mille viros caperet (textus eleganter appellat *τεῖχος μυρίανδρον*) extructo, suos ad mensuram numeraret. » Talia de Darii exercitu nullus, præter Curtium, narravit.

3. *Orto sole ad noctem.* Curtius respexit consuetudinem persicam, de qua similiter c. 3: *traditum est, orto sole demum procedere;* ut sit sententia: quum jam sol esset ortus, agmina intravere vallum, quod duravit usque ad noctem. In Cod. Th. legitur: *ad noctem usque.* — *Descripta.* Distributa, Mesopotamiam intellige de Babylonia inter flumina, ut infra, IV, 9, 6. De hac provincia, cæterisque quas Curtius memorat vide Indicem geographicum. Cæterum, ibi cum Radero et *Tellier*, animadvertere liceat qua orationis varietate Curtius in describendo variarum gentium numero, cultu, ordine fastidium vitaverit. — *Innumerabilis turba.* Curtius omnium numerat trecenta undecim millia et ducentos; Justin. XI, 9, et Diodor. Sicul. XVII, 31, quingenta millia; Arrian. II, 8, 12, cum Plut. Alex. Vit. 18, sexcenta millia.

5. *Barcanorum.* Quidam reponunt *Bactrianorum*, *Bartanorum*, etc. Modius: *Paricanorum*, quod qui essent *Barcani* nesciebat, omnia hæc inepte. Sed, ut optime notavit Raderus, criticorum plerumque hoc ingenium est ut, quum lecta non intelligunt, vel ab auctoribus, ut spuria, proscribant, vel pro suo cerebro non tam corrigant quam corrumpant. Barcani armati erant *bipennibus*, id est securibus ex utraque parte acutis; *levibus scutis*, id est, Scheffero interprete, scutis contextis ex viminibus, qualia opponuntur coriaceis armatisque ferro, longe quippe gravioribus.

verant, equis militatura. Derbices quadraginta millia 7
peditum armaverant; pluribus hærebant ferro præfixæ hastæ, quidam lignum igni duraverant : hos quoque duo millia equitum ex eadem gente comitata sunt. A 8
Caspio mari octo millium pedester exercitus venerat, ducenti equites. Cum his erant ignobiles aliæ gentes : duo millia peditum, equitum duplicem paraverant nu-

Similia erant *cetris*, sive minoribus scutis coriaceis, quibus Afri et Hispani utebantur. In seqq. Heinsius, duorum Codd. vestigia sequutus, legere mavult : *peditum decem millia equitem pari armatura sequebantur*; quam quidem lectionem nostri Codd. ferunt, nisi quod *armatu* pro *armatura* scribunt.

7. *Derbices*. Parum cogniti, ita ut tantam ab iis copiarum vim, quantam dicit Curtius missam fuisse non immerito miretur *Schmieder*. Quid! ii *Derbices* an unquam hoc Curtii loco exstiterint, dubitatur. Modiani exemplaris lectio est quam, post Modium, Raderus, Freinshemius, *Schmieder*, aliique receperunt; sed omnes fere Codd., nostrique præsertim vetustissimi, 5717, 5718, omnem locum ita legunt : *Hyrcani, e. ut i. illas g., sex millia expleverant additis equitibus* (forte *equitibus Armeniorum*, de quibus supra mentio est) *militatura. Idem vicies quadragena peditum millia armati erant* (aut, si libuerit, *armaverant*). Quibus sane verbis qui sensus inest non video, et tamen lectionem *Derbices* ægre recepisse fateor, non satis multis Codd. confirmatam, cuique multa objicienda sunt. — *Pluribus hærebant ferro præfixæ hastæ. Pluribus ære aut ferro præfixæ hastæ* conjicit Vossius et vix se abstinuisse fatetur *Schmieder*, quin conjecturam reciperet. Et ego quoque *hærent hastæ* pro *sunt hastæ* nimis poeticum arbitror ut in soluta oratione dici queat. — *Lignum igni duraverant*. Usitatum teli genus apud gentes quibus ferri usus incognitus aut copia rarior. Sic Germani apud Tacitum, II, 14, 4 : « Primam utcunque aciem hastatam habebant, cæteris præusta aut brevia tela erant. » Quantum robur sit hujusce modi cuspidi testantur Silius Italicus, lib. IV, v. 284, et Ovid. Metamorph. lib. XII, v. 299. Apud nonnullos orbis recens reperti incolas arboris genus nascitur ligno ita solido duroque ut confectis ex eo gladiis utantur, acie paullo minus efficaci quam sit ferrum ipsum nostratibus.

8. *A Caspio mari*. Hyrcani tamen venerunt a Caspio mari, quod adeo Hyrcanum ab ipsis vocabatur. Alias gentes præteriit, tamquam *ignobiles*, hoc est : nec belli nec pacis artibus famosas, eamque ob caussam historicis ipsique etiam regi minus notas. Ipse enim in tam vasto imperio, tot gentium diversarum dux, quasdam ignorare potuit, quod clarius affirmat Curtius paullo post : *Ignota etiam ipsi gentium nomina*. Hanc phrasim ex nostris Codd. 5717, 5718, ita restitui, quum sensus optimus sit, nec ulla emendatione egeat. Modius cum Radero et Schmiedero legebant : *exercitus venerat; ducenti equites cum his erant. Ignobiles aliæ gentes duo millia peditum; e. d. p. n.* Freinshemius vero, *Asiæ* pro *aliæ*.

9 merum. His copiis triginta millia Græcorum mercede
conducta, egregiæ juventutis, adjecta sunt. Nam Bac-
trianos et Sogdianos et Indos cæterosque rubri maris
accolas, ignota etiam ipsi gentium nomina, festinatio
10 prohibebat acciri. Nec quidquam illi minus, quam mul-
titudo militum defuit; cujus tum universæ aspectu
admodum lætus, purpuratis solita vanitate spem ejus
inflantibus; conversus ad Charidemum Atheniensem,
belli peritum, et ob exilium infestum Alexandro,
(quippe Athenis jubente eo fuerat expulsus) percon-
tari cœpit, satisne ei videretur instructus ad obteren-
11 dum hostem? At ille et suæ sortis et regiæ superbiæ

9. *Triginta millia Græcorum.* Ut veteres Romanorum imperatores Germanis, sic reges Persarum Græcis mercede conductis, tamquam optimæ exercitus parti, maxime confidebant. — *Bactrianos et Sogdianos.* Bactrianos a Sogdianis dirimebat Oxus fluvius, qui in lacum Aral effunditur. *Indorum* multi quidem accolæ erant maris Erythræi, at quotquot Persis parebant, vicini erant Arachotorum et Bactrianorum, circa eos fluvios, qui a dextra in Indum fluvium vadunt. Vid. Arrian. Ind. I, et Exp. III, 8, 4. Hi igitur longe aberant ab accolis maris Erythræi. Mare rubrum est proprie sinus Arabicus, sive mare Idumæum. Idumæorum nomen descendit ab *edom*, ruber. Græci ex more suo nomina propria in græcum sermonem vertentes dicebant mare erythræum, Romani rubrum. Id nomen, quo magis istæ regiones innotescebant, eo longius extendebatur, ut præter sinum arabicum etiam Oceanus indicus et sæpe sinus persicus erythræum mare vocarentur. Oceani accolæ erant proxima Indum *Arabitæ* et *Oritæ*, qui, quantum scio, Persis non parebant; tum *Ichthyophagi*; gens parva et pauperrima. Sinus persici accolæ præter Babylonios sunt *Elymæi*, meridiem versus ab Susianis; *Persæ* et *Carmani*, quorum copiæ Darium sine dubio comitabantur. Eosdem etiam Arrianus sub accolis maris erythræi intellexit. Vide notam ad Curtium, IV, 12, 7. Ubi sunt igitur *Indi et cæteri rubri maris accolæ*, quorum auxilia Darius desiderabat? Ea *Schmieder.*

10. *Purpuratis.* Ita vocantur amicorum regiorum principes ac satrapæ, præsertim de barbaris si sermo est. Nomen habent a vestibus purpureis. — *Athenis... expulsus.* Athenæ quum novas contra Macedones res molitæ essent, Alexander Charidemum, optimum eumque unum ferme Atheniensium ducem, in exsilium mittere satis habuit. Arrian. Exp. I, 10, 4 sqq. Diod. Sic. XVII, 30. Dinarchus tamen orat. contra Demosth. sua sponte Charidemum ad Darium fugisse asseverat.

11. *Suæ sortis.* Quod exsul esset, inque regis superbissimi fide et patrocinio degeret. Itaque Diodorus, XVII, 30: hanc Charidemi libertatem ἄκαιρον παῤῥησίαν vocat. Non oblitus

oblitus : « Verum, inquit, et tu forsan audire nolis; et ego, nisi nunc dixero, alias nequidquam confitebor. Hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium et totius 12
Orientis excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis : nitet purpura auroque, fulget armis et opulentia, quantam qui oculis non subjecere, animis concipere non possunt. Sed Macedonum acies, torva sane 13
et inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos et conferta robora virorum tegit. Ipsi *phalangem* vocant peditum stabile agmen. Vir viro, armis arma conserta sunt : ad nutum monentis intenti, sequi signa, ordines

hoc est Pompeius; sed, velut instantem exitum prævideret, in regiam naviculam transcendens, recitavit Sophocleum istud : « Etenim tyranni quisquis intrat in domum, Servus fit illi, liber etsi venerit. » Auctor Plutarch. in vita Pomp. c. 129. — *Regiæ superbiæ*. « On « pouvait juger par l'orgueil de ces « rois, inquit *Montesquieu*, *Esprit des « lois*, *liv. X*, *ch.* 13, que la flatterie « ne permettrait jamais qu'ils pussent « douter de leur grandeur. » — *Nequidquam*. Plures editt. *nequaquam*, quod damnat Freinshemius, nec immerito. Sensus est : monita ista quæ nunc usui esse possent, post cladem acceptam quæ, nisi provideatur, imminet, nihil esse profutura.

12. *Moles* est *multitudo*. Liv. V, 8 : « Etruriam omnem excitam sedibus magna mole adesse. » Florus, III, 5, 4 : « Mithridates, tota regni sui mole.... in Asiam veniebat. » — *Finitimis*. *Tuis* Cod. Th. — *Fulget armis et opulentia*. Freinshemius mallet *gemmis* quia fulgor armorum in laude potius quam vituperio fuerit. Equidem Cunzio et Fr. Schmiedero assentio qui *armis et opulentia* poetice pro *armis opulentibus* dictum arbitrantur, *armis auro argentoque cælatis*.

13. *Cuneos*. Cuneum esse militum formam in trigonum ordinatam, interpretes notarunt. At quia phalanx Macedonum proprie est acies quadrata, h. l. cunei immobiles simpliciter dicuntur pro agminibus, quæ hostis nec loco movere nec dissipare potest. Ipsa ducum suorum imperio facillime moventur. Clypeis teguntur singuli virorum; hastis teguntur priorum capita a posterioribus, ne telis superne cadentibus vulnerari possint; vel, si mavis : clypeis omnium junctis et hastis in hostem obversis acies tegitur, defenditur. — *Conferta robora virorum*. Constipatos viros robustos. Plurimæ edd. habent *conserta robora*. Freinsh. in var. lect. tamquam vulgatam habet *conferta*, in quo servando Suskenburgium et Schmiederum sequutus sum, præsertim, quum mox iterum legatur, *armis arma conserta sunt*. — *Ordines servare*. Compositos incedere, suo quemque loco hærere, iique qui hoc didicerunt non illis opponuntur qui per metum aut perfidiam stationem suam deserunt, sed illis qui nondum ad hoc exerciti, per imperitiam, vagis excursibus, aut disjectas per catervas aciem dirigunt; qui plerisque barbarorum mos est.

14 servare didicere. Quod imperatur, omnes exaudiunt:
obsistere, circumire, discurrere in cornu, mutare
15 pugnam, non duces magis quam milites callent. Et ne
auri argentique studio teneri putes, adhuc illa disci-
plina paupertate magistra stetit: fatigatis humus cu-
bile est: cibus quem occupant, satiat: tempora somni
16 arctiora quam noctis sunt. Jam Thessali equites et
Acarnanes Ætolique, invicta bello manus, fundis credo
et hastis igne duratis repellentur; pari robore opus
est: in illa terra, quæ hos genuit, auxilia quærenda
sunt: argentum istud atque aurum ad conducendum

14. *Obsistere.* Consistere. Sic Plaut. Mil. II, 3, 26, *heic obsistam :* i. e., stabo. — *Circumire, discurrere in cornu, mutare pugnam.* In his tribus vocibus interpretandis commentatores erravisse arbitror, *circumire* idem esse quod *circumvenire hostem*, dicit *Tellier*, prave quidem. Nec feliciores Schœfferum aut Schmiederum fuisse tam doctorum virorum pace dixerim; si vero ea plane intelligere lector voluerit, excursum I ad hunc librum adeat quo quid sit Macedonica phalanx, variosque ejus motus ex Arriani Ælianique tacticis, quanta cura poteram illustravi. — *Non duces magis quam milites.* Justini auctoritate confirmatur Curtius, ille enim, XI, 6, 4, Alexandrum ita suos elegisse ait « ut non tam milites quam magistros militiæ electos putares. »

15. *Humus cubile est.* Idem iste Macedonum exercitus quantum a dura hac virtute recesserit post persica spolia ostendit ipse Alexander infra VIII, 8, 9 : « Totum exercitum aspicite qui paullo ante nihil præter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis. » — *Quem occupant.* Quem forte inveniunt, qualis sit cumque. Noster Cod. 5718, *quem occupati parant.* Et infra, 16, omittit *atque aurum.*

16. *Thessali equites.* In Thessalorum equitum laudes omnes veterum conspirant; ab Arriano subinde optima pars equitatus Alexandri vocantur. Laudantur ab Herod. VII, 196; a Xenoph. Expedit. VII, a Diod. Sic. XVII, 33. His Justin. IX, 6; Liv. IX, 19, multique alii assentiunt inter quos audias modo Polyb. IV, 8 : « Thessalorum equitum impetus, quando turmatim aut justa acie pugnant, sustineri non potest; ad pugnandum extra aciem, pro loco et tempore viritim, inhabiles sunt ac lenti. Ætoli contrario modo se habent. » Idem, XVII, 18 : « Ætolos cæteris Græcis equitatu præstare » asserit. De bellicosis et jaculo excellentibus Acarnanibus vide Liv. l. XXVI, c. 25. Hanc duorum exercituum, unius quidem torvi et ferocis, alterius luxurie et longo pacis usu fracti comparationem jam ab Herodoto delineatam, lib. VII, Epicus noster, *Voltaire*, summa carminis pompa descripsit: *Henriade*, III lib. med. « Leurs « armes éclataient du feu des diamans, « De leurs bras énervés frivoles orne« mens », et sqq.

militem mitte. » Erat Dario mite ac tractabile inge- 17
nium, nisi etiam naturam plerumque fortuna corrumperet. Itaque veritatis impatiens hospitem ac supplicem, tunc maxime utilia suadentem, abstrahi jussit ad
capitale supplicium. Ille ne tum quidem libertatis obli- 18
tus : « Habeo, inquit, paratum mortis meæ ultorem : expetet pœnas mei consilii spreti is ipse, contra quem tibi suasi. Tu quidem, licentia regni tam subito mutatus, documentum eris posteris, homines, quum se per-
misere fortunæ, etiam naturam dediscere. » Hæc vo- 19
ciferantem, quibus erat imperatum, jugulant. Sera deinde pœnitentia subiit regem, ac vera dixisse confessus, eum sepeliri jussit.

III. Thymodes erat, Mentoris filius, impiger juve- 1
nis; cui præceptum est a rege, ut omnes peregrinos milites, in quibus plurimum habebat spei, a Pharnabazo acciperet, opera eorum usurus in bello : ipsi Pharnabazo tradit imperium, quod ante Memnoni dederat.
Anxium de instantibus curis agitabant etiam per som- 2

17. *Nisi naturam*. Modius maluit: *nisi etiam naturam*. Acidalius *suam*. Alii alia. Ego Modianam lectionem e Cod. 5718, recepi. — *Hospitem et supplicem*. Quæ utraque consideratio flectere debuerat animum regis ; nam et hospitii jus inviolabile habebatur, et in supplicem sævire inhumanum. — *Abstrahi jussit*. Allusisse videtur ad morem Persarum, quem in hac historia Diodorus expressit lib. XVII, 30 : « rex offensus balteo apprehensum ex lege Persarum apparitoribus interficiendum tradidit. »

18. *Licentia regni*. Id est, tibi quidem regi, quia vel injustissima licere putas, subito ingenium mite mutatum est in iracundum. *Documentum*, i. e., exemplum eris posteris, etc. — *Naturam dediscere*. Alii : *a natura desciscere*. Sed, ut opinor, minus eleganter.

19. *Eum sepeliri jussit*. Hinc colligas, moris fuisse Persis, ut cadavera punitorum fere insepulta abjicerentur; cf. Brisson. p. 269.

1. *Thymodes*. Apud Arrianum et nostrum in variis lectt. ad III, 8, 1, *Thymondas*, Mentoris, qui Memnonis frater fuerat, filius, *peregrinos milites*, i. e. Græcos mercede a Memnone conductos Tripolim in Phœnicia adduxit, unde ad Darium proficiscebantur. Vid. c. 8, 1. Qua re non parum vires Pharnabazi exhaustæ sunt. — *Imperium*. Maris oræque maritimæ cujus satrapæ Sardibus in Lydia sedem habuere.

2. *Anxium de instantibus curis*. Scheffero ordo videtur : anxium curis de instantibus, hoc est, de rebus illis,

num species imminentium rerum: sive illas ægritudo,
3 sive divinatio animi præsagientis arcessit. Castra Alexandri magno ignis fulgore collucere ei visa sunt: et paulo post Alexander adduci ad ipsum in eo vestis habitu, quo ipse fuisset: equo deinde per Babylonem
4 vectus, subito cum ipso equo oculis esse subductus. Ad hæc vates varia interpretatione curam distrinxerant. Alii lætum id regi somnium esse dicebant; quod castra hostium arsisseut; quod Alexandrum, deposita regia veste, in persico et vulgari habitu perductum esse
5 vidisset. Quidam contra augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa fulgorem Alexandro portendere: quod vero regnum Asiæ occupaturum esse,

quæ instant. conf. Liv. XXVII, 49. *Anxius de re* non putatur inveniri hoc sensu, ut ea res anxietatem faciat, sed quando quis vereatur, ne illi rei quid eveniat. Hæc caussa est, cur Heinsius conjiceret *anxium dein instantibus curis.* — *Ægritudo seu divinatio.* Sic distingui vult Curtius inter *naturale* somnium, cujus hic caussam nempe animi mœrorem affert, et *divinum*, de quo illud Homeri Il. IV, v. 63, intelligendum est: ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

3. *Quo ipse fuisset.* Quum nondum esset rex. Darius enim Codomannus, Arsanæ filius, Ostanæ, fratris Artaxerxis, nepos, ante imperium acceptum Astandes fuerat, quo nomine apud Persas, Suida auctore, οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι vocabantur. Vid. Plut. Alex. 32.

4. *Distrinxerant.* Id est, ademerant, alii *distraxerant*, id est: Darii sollicitudinem auxerant, ipsius animum contrariis interpretationibus in varias partes distrahendo. Quem sensum maluerit lector eligat. Priori quidem favet quod paullo infra Curtius addidit: *Ceterum ipse vatum responso admodum lætus.* Posteriori vero hæc verba, *varia, alii dicebant, quidam augurabantur*, etc. magis congruunt, nisi cum Cunzio credideris *augurabantur* oppositum esse huic verbo *dicebant*, et sensum esse « tacite opinabantur, nec tamen cogitationes mentis edicebant. » Cæterum Plutarchum hoc loco potiorem Curtio habeo. Sic enim rem omnem narrat, Magos quidem confessos fuisse, Alexandri victoriam priori somnii parte prœnuntiatam, sed addidisse his verbis, *subito cum ipso equo oculis esse subductus* subitam victoris mortem in ipso triumpho portendi. Pro *arsissent, quod* Scheff. mavult: *arsisse, et quod*; et pro *perductum esse*, Heinsius *perductum ad se.*

5. *Quod vero regnum.....* Nostri Codd. 5717, 5718, multique alii antiquissimi a Snakenburgio memorati ita legunt: *quodve regnum Asiæ occupare habuisset, haud ambiguæ rei, quum in eodem.....* Hanc vero lectionem optimam, si pauca exceperis, cur omnes interpretes, imprimisque Freinshemius turbaverint non sane video. Primum *quem* scribunt pro *quod*,

haud ambiguæ rei, quoniam in eodem habitu Darius fuisset, quum appellatus est rex. Vetera quoque omina, ut fit, sollicitudo revocaverat: Darium enim in principio imperii vaginam acinacis persicam jussisse mutari in eam formam, qua Græci uterentur; protinusque Chaldæos interpretatos, imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus. Cæterum 7
ipse et vatum responso, quod edebatur in vulgus, et specie, quæ per somnum oblata erat, admodum lætus, castra ad Euphratem moveri jubet. Patrio more Persa- 8
rum traditum est, orto sole demum procedere, die jam illustri. Signum e tabernaculo regis buccina dabatur; super tabernaculum, unde ab omnibus conspici

male, ut arbitror. *Fulgor* Alexandro portenditur, id est, utpote ei qui jam esset rex, alind regnum armis paratum. Quodnam vero regnum? Nempe persicum, quoniam, etc. Pro *occupare habuisset*, quod nimium poeticum videtur, scribunt, *occupaturum esse*, duriori sane emendatione, sed esto. At *haud ambiguæ rei*, subaudito *esse*, latinæ linguæ repugnare quis dicere sustineat, pro *non ambiguum esse*? Sententiam ergo ad antiqq. Codd. fidem quam maxime poteram, restitui. Schefferus legit: *quum regnum Asiæ occupare, habuisse id haud ambiguæ rei.* Freinshemius et *Schmieder: quem regnum Asiæ occupaturum esse haud ambigere.*

6. *Vaginam acinacis.* Licet existimare, acinacem turcico gladio persimilem fuisse, brevem, a fine modice reflexum, non falcis instar, versus aciem, sed in tergum recurvum. Cæterum quod de vagina mutata dicit Curtius, non capiendum videtur ita, ut gladii quoque formam mutatam existimes, sed vaginæ ornatum significari puto, qui aliis gentibus alius fuerit. Post pugnam tantum Issicam gladios ipsos mutavit Darius, hastasque majores fabricari jussit, teste Diodoro, ratus ea de caussa vicisse Macedonas, quod longioribus uterentur. — *Chaldæos.* Chaldæorum gens juxta Babyloniam regiones inter Euphratem et Arabiam, nunc desertas, colebat, astronomiæque et artium aliquarum peritia excellebat. Cic. l. de Divinat. c. 1: « A siderum, inquit, notitia ad omnium portentorum inusitatarumque rerum interpretationem progressi sunt. » Vid. lib. V, 1, 22. Et ideo gentis vocabulum in ipsius artis nomen mutatum est, astrologique *Chaldæi* dicti sunt.

8. *Die illustri.* Quum multa jam lux esset, nihil diluculi reliquum. — *Imago solis.* Ex auro, ut credibile est, quod repercussis solis radiis speciem veri solis haberet, signumque profectionis esset iis qui buccinam propter fremitum exaudire non potuissent. Vid. Curt. V, 2. De hac solis imagine, de igne, Jovis curru, cæterisque quæ Curtius ibi memorat, vide Excursum II infra ad hujus libri finem, quo de religione Persarum agitur.

9 posset, imago Solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis. Ignis, quem ipsi sacrum et æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur.
10 Magi proximi patrium carmen canebant. Magos trecenti et sexaginta quinque juvenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est
11 annus. Currum deinde Jovi sacratum albentes vehebant equi: hos eximiæ magnitudinis equus, quem Solis appellabant, sequebatur: aureæ virgæ et albæ vestes
12 regentes equos adornabant. Haud procul erant vehicula decem, multo auro argentoque cælata. Sequebatur hæc equitatus duodecim gentium, variis armis et mo-
13 ribus. Proximi ibant quos Persæ *Immortales* vocant, ad decem millia. Cultus opulentiæ barbaræ non alios

10. *Totius anni.* De Persarum Græcorumque anno vide præfat. ad canonem chronologicum.

12. *Vehicula decem.* Cui usui et qualia? tum quæ sunt *gentes duodecim* de quibus mox loquitur. Quum Q. Curtius *variis armis et moribus* equitatum fuisse dicat, non verosimilis mihi videtur Schmiederi sententia, qui eum his verbis intellexisse putat duodecim tribus in quibus Persas divisos fuisse ex auctoritate Xenophontis in Cyropædiæ l. I, comperimus. Plinius quidem, lib. IV, 10 extr. duodecim numerat gentes ab Alexandro devictas; sed dubitatur an pariter Persæ ac Plinius distinxerint. Etiam Bactrianos admiscet, quos Curtius tum dixit propter locorum longinquitatem abfuisse. — *Cælata.* Cælata opera dicebantur veteribus, quæ vel in materia plana vel in tumida vel in convexa ita fiunt, ut in ipsa materia, quæcumque sit, hæreant, et aliqua parte promineant. Multa hujus generis monumenta supersunt.

13. *Immortales.* Caussam cognominis hujus docet Herodot. Polyhymn. 83, his verbis: *ἐκαλέοντο δὲ ἀθάνατοι οἱ Πέρσαι οὗτοι ἐπὶ τοῦδε· εἴ τις αὐτέων ἐξέλιπε τὸν ἀριθμὸν ἢ θανάτῳ βιηθεὶς ἢ νούσῳ, ἄλλος ἀνὴρ ἀραίρετο· καὶ ἐγίνοντο οὐδαμὰ οὔτε πλεῦνες μυρίων, οὔτε ἐλάσσονες.* Vid. Diod. Sic. XI, p. 246 et Hesych. Erant hi persici robur exercitus ex fortissimis ac nobilissimis quibusque conflatum. — *Opulentiæ barbaræ.* Id est, ubi omnia materia potius et mole, quam artificum operibus censentur. — *Manicatasque tunicas.* Qualibus Persæ quidem antiquitus uti solebant. Romanis vero, quia tunica proprie erat sine manicis, manicatæ mollitiæ documentum esse atque militibus minime convenire videbantur. Cic. II, in Catil. 10; A. Gell. VII, 12. Postmodum tamen, inclinante jam republica, mutatisque moribus, probro ducebatur, si quis honesto loco natus non manicata tunica usus esset.

magis honestabat: illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis
etiam adornatas. Exiguo intervallo, quos *cognatos regis* 14
appellant, decem et quinque millia hominum. Hæc vero turba, muliebriter propemodum culta, luxu magis
quam decoris armis conspicua erat. *Doryphori* voca- 15
bantur proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem; hi currum regis anteibant, quo ipse eminens
vehebatur. Utrumque currus latus deorum simulacra 16
ex auro argentoque expressa decorabant: distinguebant internitentes gemmæ jugum; ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum Nini,

14. *Quos cognatos regis appellant.* Non sanguinis jure, sed honoris caussa, quod ex multis multorum locis constat. Mox etiam Curtius §. 21, *nobilissimos propinquorum* ab his distinxit. Subscribo Freinshemii Schmiederique conjecturæ, principio fuisse, qui revera regis cognati et essent et dicerentur, indeque etiam præcipuis honoribus et emolumentis gauderent; at in horum postea nomen et veluti gradum, honoris et virtutis caussa, adscitum esse magnum aliorum numerum, qui dicerentur cognati regis, non essent. Sic in Esdra III, 4; Joseph. Antiq. IX, 4; Arrian. IV; Curt. IV; Xenophon. Cyrop. VIII, 3. Eodem, ut verosimile est, sensu recentioris Europæ reges nobilissimum quemque sui imperii *cognatum* (*notre cousin*) nuncupant.

15. *Doryphori.* Satellites, δόρασι, hastarum genere, armati, mille numero. Græco nomine vocantur, pro persico. Absque dubio ex regis manibus non hi satellites, sed cubicularii et eunuchi regis vestes excipiebant. Sic *Schmieder;* sed quum eodem cap., §. 20, Curtius hastatos nominet, hos cognatos regis fuisse cum Popma maluerim, qui stolam Medicam gestabant, quam ipsam *Doryphoricam* fuisse appellatam Ælianus auctor est, Var. Hist. I, 22: Καὶ στολὴν ἐπ' αὐτοῖς Μηδικὴν, ὄνομα δὲ τῇ στολῇ δορυφορικῇ. De istis Doryphoris et de Melophoris vid. Arrian. III; Athen. Deipnos. XII; Themistius, Orat. 5.

16. *Jugum, ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia.* Darii currus ab equis quadrijugis vehebatur, sic ut quatuor haberent unum idemque jugum. Quadrigarum enim currus duplici temone olim erant, perpetuoque et quod omnibus equis injiceretur jugo. Quod primus mutavit Clisthenes Sicyonius, conf. Salmas. Exerc. Plin., p. 630. Sic Diodor. XVII, 34: οἱ δὲ, inquit, τὸν τοῦ Δαρείου τεθρίππου ζυγὸν ἐπέχοντες ἵπποι, etc. Vide Scheffer. de re vehiculari apud veteres. Ne vero equos duorum aureorum simulacrorum, eorumque cubitalium (satis igitur gravium, vel si intus essent cava), in extrema utraque jugi parte erectorum, et aquilæ aureæ in jugo medio, onere pressos credas. Ipsius jugi extremitates erant aureæ,

17 alterum Beli gerebat effigiem. Inter hæc auream aqui-
18 lam, pinnas extendenti similem, sacraverant. Cultus regis inter omnia luxuria notabatur: purpureæ tunicæ medium albo intextum erat: pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant, et zona aurea muliebriter cinctus acina-
19 cem suspenderat, cui ex gemma erat vagina. *Cidarim*

atque pro alia figura, ex. c. anserculi (apud Græcos *ἀκροχηνίσκοι* appellabantur), effigies deorum gerebant. Equi non portabant solidas statuas, sed jugi lignum aureis laminis obductum esse potuit. Tum eminebant istæ effigies e transverso trans equos jugo, et longitudinem cubiti habere poterant, nisi cum Cod. Voss. 2, *cubitalia* ejiciendum est. Simillimus locus est infra lib. IV, 9, 5, « ex summo temone hastæ.... eminebant. » Nomina *Nini* et *Beli*, quorum hic princeps deorum Babyloniæ, ille conditor regni Assyriorum fuit, debes Scaligero. In Codd. enim pluribus pro *Beli* legitur *belli*, et pro *Nini* vox *in*. In Codice Theocreni erat : *alterum muris*, *alterum belli speciem gerebat*. Margini Gryphiani exempl. addidit quidam conjecturam : *alterum Mortis*. Aquilam auream (in hasta extensam) regium apud Persas insigne fuisse, ex Xenophonte, Cyr. VII, et Anabas. I, annotarunt interpretes. — *Sacraverant* poetice dictum est, pro consecraverant, sive sacrum insigne regum, quos ipsos fere pro deis venerabantur, collocaverant. De voce *sacrare* vid. Interprett. ad Ovid. Metamorph. IX, 88, et X, 646. Ut vero melius noscatur quantum in hoc describendo curru poetico ingenio indulserit Curtius, adi hunc ipsum Ovid. XI, 107, 109, etc.; dixeris eumdem esse Solis currum et Darii, eumdem quoque poetam et historicum : « Per juga chrysolithi, positæque ex ordine gemmæ Clara repercusso reddebant lumina Phœbo. »

18. *Purpureæ tunicæ medium albo intextum erat.* « Purpurea tunica, quæ clavis candidis intertexta erat, *πορφυροῦς χιτὼν*, *μεσόλευκος* dicitur. Et *πορφυρέος* quidem ab area vel fundo, ut vocant, qui hujus coloris est; *μεσόλευκος* vero, quod medium habeat albo intersparsum. E contra, *λευκὸς χιτὼν μεσοπόρφυρος*, cujus area vel fundus albus est, purpureis notis in medio clavatus. » Salm. Exerc. Plin. p. 407. Vestis hæc regia vocabatur *Sarapis*. De his omnibus vid. Brisson. de regno Persar. Ex conjectura Salmasii, quam confirmat Cod. Leid., *albo intextum* pro vulgato *album intextum* cum Cellario, Heinsio, Schmiedero scribere non dubitavi. — *Aurei accipitres*. Darium pallam accipitribus ornatam voluisse, quod Darius prior omen imperii ex accipitribus, ut Herodot. III, 76, est auctor, acceperit, *Raderus* arbitratur. Mox pro *corruerent* multi habent *concurrerent*. Deinde pro *et zona* Schefferus mavult : *e zona aurea*, *muliebriter cinctus*, *acinacem suspenderat* : quod ego quoque maluerim. — *Ex gemma erat vagina*. Hoc explicat Cellarius : ex multis gemmis erat compacta et conglutinata, vel ita variis multisque contecta, ut quasi una appareret.

19. *Cidarim*. Cidaris erecta est apud

Persæ regium capitis vocabant insigne; hoc cærulea fascia albo distincta circumibat. Currum decem millia 20
hastatorum sequebantur: hastas argento exornatas, spicula auro præfixa gestabant. Dextra lævaque regem 21
ducenti ferme nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. Inter- 22
vallo deinde unius stadii matrem Darii Sysigambim currus vehebat; et in alio erat conjux: turba feminarum reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim 23

Persas pileus regius, tiara quoque recta vocata, quali reliquis Persis uti non licébat. Habebat coni ferme formam, nec incurvabatur. Tiaræ reliquorum Persarum curvatæ sive inflexæ erant in frontem. Cidarim circumibat *fascia*, quam h. l. *cæruleam*, in quo omnes Codd. conspirant, alio (VI, 6, 4) *purpuream albo distinctam* dixit. Raderus Curtium *ἀμνηστίᾳ* lapsum putat, quod huic quidem auctori non raro accidit. Interpretes frustra sudarunt, alii alia pro *cærulea*, ut scilicet facerent purpuream, conjectantes, nempe, *coccinea*, *erubea*, *rosea*, *russa*; vel legunt: *hoc cæruleum fascia purpurea albo distincta circumibat*. *Purpureus* et *cæruleus* synonyma esse affirmat Cunzius, nec ego inficias iverim, si græce loquaris; sed numquam apud Latinos eodem sensu usitata legi: et Cicer. Academic. Quæstionum IV, 33, purpureum a cæruleo esse diversum testatur. Cæterum his omnibus Persarum luxuriam indicare voluit Curtius, longior tamen interdum mihi videtur, et hunc historicum revocat de quo Lucianus, de Scrib. Histor., c. 19, quique imperatoris clypeum et Vologesis bracas equique frænum tot versibus describebat.

20. *Spicula auro præfixa gestabant.* Intellige Persas, qui *μηλοφόροι* vocantur, qui aurea mala hastis præfixa gestabant. Locus classicus de his est apud Herodot. VII, 41: « Sequebantur equitatum ex reliquis Persis selecta decem millia peditum; quorum mille, pro imis lancearum cuspidibus (*ἀντὶ τῶν σαυρωτήρων*, quibus in terra figi solebant; cf. Steph. Thes. et Jul. Pollue. lib. I, segm. 136; et lib. X, 143), aurea mala (granata) habentes, reliquos circumdabant; reliqua 9,000 argentea habebant mala. » Alia loca de melophoris collecta vide apud Wess. ad Diodor. VI, 59. *Spicula* igitur de his imis lancearum cuspidibus intelligenda, non de summis, quibus hostes petebantur, contendit *Schmieder*, sed quum lingua latina ab hoc vocis *spicula* sensu valde abhorreat, spicula *auro præfixa* interpretari mallem deaurata, si quidem aurum ipsum, ut nimium flexile, parum præfigendis hastis aptum videtur. Rader. et Cellar. hos hastatos fuisse intelligunt *αἰχμοφόρους* sive *σαρισσοφόρους*, ab Herod. memoratos.

22. *Reginas.* Sysigambim, matrem, et Statiram, uxorem Darii et sororem. Liberi regis erant duæ filiæ, Barsine (ut Arrianus, Statira, ut Curt. IV, 5, 1, eamdem vocant), et Drypetis, atque unus filiolus, Ochus.

inde, quas *armamaxas* appellant, sequebantur. In his
erant liberi regis, et qui educabant eos, spadonumque
24 grex, haud sane illis gentibus vilis. Tum regiæ pellices
trecentæ sexaginta vehebantur, et ipsæ regali cultu
ornatuque. Post quas pecuniam regis sexcenti muli et
trecenti cameli vehebant, præsidio sagittariorum pro-
25 sequente. Propinquorum amicorumque conjuges huic
agmini proximæ, lixarumque et calonum greges vehe-
bantur. Ultimi erant cum suis quisque ducibus, qui
26 cogerent agmen, leviter armati. Contra si quis aciem
Macedonum intueretur, dispar facies erat: equis viris-
que non auro, non discolori veste, sed ferro atque ære
27 fulgentibus. Agmen et stare paratum et sequi: nec
turba, nec sarcinis prægrave; intentum ad ducis non

23. *Armamaxas.* Vehiculi aut lecticæ genus apud orientales, quo mulieres præsertim utebantur, ut ex multis Xenophontis locis colligi potest. Vid. quoque Maxim. Tyr. Serm. 34. Alexandri etiam corpus armamaxa Alexandriam deductum fuit, auctore Athenæo, V, 9, quia molliter in ea vehi licebat. — *Haud sane illis gentibus vilis.* Quum enim haberentur pro fidelibus, non tantum custodia regis, et feminarum, educatioque liberorum, sed exercitus et præfecturæ ipsis mandabantur, etc. Ratio videtur hæc fuisse, quod uxoribus ac liberis carentes, nec in præsens ita magnos sumptus facere soleant, nec, ut patres, thesauros colligere liberis studeant. Conf. Tacit. Annal. VI, 3.

24. *Regiæ pellices.* Uno diademate regis uxor a pellicibus distinguebatur. Has vero 365 fuisse testatur Diodor. Sic. XVII, 77. Plutarchus cum Curtio consentit in Artaxerxe c. 43. 350 autem tantum memorat Dicæarchus apud Athen. XIII, 1. Quæstio levioris momenti est quam ut in ea diu moremur.

25. *Amicorum.* Amici sunt consiliarii principum, adjutoresque rerum gerendarum. Vide Nepotem, XVIII, 24; Just. XXXIV, 33, aliosque passim. Omnis locus Heumanno sic videtur legendus: *Propinquorum amicorumque conjuges huic agmini proximæ, vehebantur. Lixarum et calonum greges ultimi erant*, etc. — *Lixarumque et calonum. Lixæ*, qui militibus aquam afferunt, aut cibos parant. «*Lixam*, aquam veteres esse dixerunt, unde et lixæ dicti qui militibus aquam ad castra vel ad tentoria solent ferre.» Non. Marcellin. *Calones* servi sunt, custodes supellectilis castrensis. «*Calas* dicebant majores nostri fustes, quos portabant servi sequentes dominos ad prælium, unde etiam *calones* dicebantur.» Servius ad Æn. VI, 1.

26. *Dispar facies erat.* Sic lego cum Scheffero, Burmanno et Schmiedero.

27. *Nec turba.* Id est, multitudine cujusvis generis, et militum, et calonum feminarumque.

signum modo, sed etiam nutum; et castris locus, et exercitui commeatus suppetebant. Ergo Alexandro in 28 acie miles non defuit. Darius, tantæ multitudinis rex, loci, in quo pugnavit, angustiis redactus est ad paucitatem, quam in hoste contempserat.

IV. Interea Alexander, Abistamene Cappadociæ præposito, Ciliciam petens cum omnibus copiis, regionem, 1 quæ *castra Cyri* appellatur, pervenerat; stativa ibi habuerat Cyrus, quum adversum Crœsum in Lydiam duceret. Aberat ea regio quinquaginta stadia ab aditu, 2 quo Ciliciam intramus: *Pylas* incolæ dicunt arctissimas fauces, munimenta, quæ manu ponimus, naturali situ imitante. Igitur Arsanes, qui Ciliciæ præerat, reputans 3

28. *Miles non defuit.* Hoc verbum quod nullus Curtii interpres plane illustravit eumdem sensum habet ac illa sententia in celeberrimo opere, *Voyage d'Anacharsis* : « Xerxes fut « effrayé d'avoir une si grande quan- « tité d'hommes et si peu de soldats. » De toto hoc cap. confer Diodor. Sicul. XVII, 31.

1. *Abistamene Cappadociæ præposito.* Apud Arrian. II, 4, 2, satrapa vocatur *Sabictas.* Ubi Jac. Gronovius hæc notavit : « Ex repentino in Ciliciam transitu non videtur Alexander Cappadociam prope Pontum peragrasse, sed potius ejus Mediterranea, quibus annexa erat Cilicia. Inde judicavi Curtium reliquisse : *Interea abicta magnæ Cappadociæ*, etc. Nam Persæ Cappadociam divisam habuerant in duas satrapias, et quum postea successores Alexandri exciperent, hi quoque regna duo inde effecerunt, ita ut alterum vocarint πρὸς τῷ Πόντῳ, alterum, proxime Ciliciam, πρὸς τῷ Ταύρῳ vel μεγάλην Καππαδοκίαν. Strabo, XII, p. 534. Videtur autem is, qui perhibetur ab Arriano *Sabictas*, ab iis, quos sequutus fuit Curtius, *Abictas* appellatus, aut prima litera Σ non fuisse in exemplaribus expressa, quod utrumque accidit sæpius. » Hæc Gronovii ingeniosa quidem lectio nullo Codice confirmatur. Nostri scribunt, *ab Histamene.* — *Castra Cyri.* Id est, Cyri minoris, quod diserte dicit Arr. II, 4, 3; cf. Xenoph. Anab. I, 2. Cyrum majorem per Cappadociam ad Pontum, trajecto Haly, in Lydiam transisse nemo ignorat præter Curtium. Errorem præcipui Curtii interpretes notavere, et cum eis *Ste-Croix*, *Examen des historiens d'Alexandre*, *p.* 246. Angustiæ ipsæ non sunt unius loci; sed plurium in via longa, per Taurum transversa, difficillimaque; per quam, si bene defendatur, nulli exercitui aditum patere, uno omnes ore referunt. Præter Arrianum et Curtium, §. 11 sq.; cf. Xenoph. Anab. I, 2, 21; Diodor. XXIV, 20; Herodian. III, 3; Strab. XII.

3. *Arsanes.* Alii *Arsames*, ut multis locis Arrianus. De Memnonis consilio vide supra notam ad c. 2 princ. De Arsame et de Alexandri introitu

quid initio belli Memnon suasisset, quondam salubre consilium sero exsequi statuit: igni ferroque Ciliciam vastat, ut hosti solitudinem faciat: quidquid usui esse potest, corrumpit; sterile ac nudum solum, quod tueri
4 nequibat, relicturus. Sed longe utilius fuit angustias aditus, qui Ciliciam aperit, valido occupare præsidio, jugumque opportune itineri imminens obtinere; unde inultus subeuntem aut prohibere, aut opprimere hos-
5 tem potuisset. Nunc paucis, qui callibus præsiderent, relictis, retro ipse concessit, populator terræ, quam a populationibus vindicare debuerat. Ergo, qui relicti erant, proditos se rati, ne conspectum quidem hostis sustinere valuerunt, quum vel pauciores locum obti-
6 nere potuissent. Namque perpetuo jugo montis asperi ac prærupti Cilicia includitur; quod, quum a mari surgat, veluti sinu quodam flexuque curvatum, rursus
7 altero cornu in diversum litus excurrit. Per hoc dorsum, qua maxime introrsum mari cedit, asperi tres aditus et perangusti sunt: quorum uno Cilicia intranda

in Ciliciam longe alia tradidit Arrian. loco laudato; Arsamen non vastare voluisse Ciliciam, validis potius præsidiis pylas Cilicias occupasse, quibus turpiter fugientibus, Alexandrum intrasse Ciliciam, Arsamen cito ad Darium abiisse, Macedonibus, ne forte Tarsus a Persis diriperetur, celeriter appropinquantibus. Utri credendum sit, dubitari nequit. Confer quoque Diod. Sic. XVII, 32.

4. *Sed longe utilius.* Tota sententia est: satius fuisset occupare angustias pylarum quibus Ciliciam intratur, et jugum montis, nempe Tauri, quod viæ imminet; unde Arsanes inultus, id est, impune, ita ut nullam ipse jacturam faceret, hostem arcere, aut obruere potuisset ascendentem.

5. *Callibus.* Viarum angustiis. *Callis* Servio est semita tenuior pecorum pedibus perdurata.

6. *Rursus altero cornu.* Id est, altera extrema parte, ejusdem litoris partem attingit, sed longe distantem ab ea in qua jugum montis surgebat a mari.

7. *Asperi tres aditus et perangusti sunt.* Per hoc montis jugum, qua longius intra terras a mari recedit, tres sunt aditus, alius *pylæ Ciliciæ* ex Cappadocia in Ciliciam, de quibus supra; alius *pylæ Syriæ*, inter Amanum et mare ipsum, (vides igitur, quam recte dicat Curtius, aditus esse per montes, qua maxime introrsum mari cedunt); alius *pylæ amanicæ*, ex Syria per montem Amanum, non longe a præceden-

est, campestris eadem, qua vergit ad mare, planitiem
ejus trebris distinguentibus rivis. Pyramus et Cydnus
inclyti amnes fluunt. Cydnus non spatio aquarum, sed 8
liquore memorabilis: quippe leni tractu e fontibus labens,
puro solo excipitur, nec torrentes incurrunt,
qui placide manantis alveum turbent. Itaque incorrup- 9
tus idemque frigidissimus, quippe multa riparum amœnitate
inumbratus, ubique fontibus suis similis in mare
evadit. Multa in ea regione monimenta, vulgata carmi- 10
nibus, vetustas exederat. Monstrabantur urbium sedes,
Lyrnessi et Thebes; Typhonis quoque specus et Cory-

tibus remotæ: quartus denique, ex Cataonia juxta Pyramum flumen, addendus est ex Itinerar. Antonin. — *Campestris eadem.* Cilicia omnia dividebatur in asperam sive montosam, et campestrem sive planam. De hac Asiæ minoris parte, ejusque fluviis et urbibus, vid. nostrum Indicem geographicum, totumque locum cf. cum *Ste-Croix*, *Exam. des Hist. d'Alex.*, p. 680 et sqq.

8. *Cydnus.* Vid. de hoc flumine Xenophon. Anabas. I; Strab. XIV; Arr. II, 1; Tibull. I, 7, 13; Vitruv. VIII, 3, qui hunc podagræ mederi docet; Solin. c. 38; Pausan. VIII; Valerius Maxim. III, 8, multosque alios. *Non spatio*, id est, non latitudine alvei, sed limpidis aquis insignis, umbra arborum ripis imminentium amœnissimum in modum tegitur.

10. *Lyrnessi et Thebes; Typhonis quoque specus, et Corycium nemus, ubi crocum gignitur.* Pro *Thebes* quidam Codd. habent *Cebesti*, unde Holsten. ad Steph. Byz. emendat *Cebessi*; sed audiendus non est. Nostri Codd.: *monstrabantur urbium sedes Lirnesi et Thebesthi*, *Pontis quoque specus et Corytium nemus.* De earum urbium situ, quæ non utique in Cilicia, sed in Pamphylia erant, adi Indic. geograph. Hic tantum quædam afferre liceat quibus probetur quanta sit in Geographicis Curtii incuria. In antiquis temporibus Lyrnessus et Thebes Mysiæ urbes erant ab Achille vastatæ, atque ob eam rem carminibus poetarum, inprimisque homericis vulgatæ. Incolæ inde ejecti in Cariam Pamphyliamque transmigravere, ut refert Strab. XIII, et passim eorumdem nominum novas urbes condidere; quas Curtius cum antiquis miscens harum famam illis tribuit. Vide præter Strabonem et Dionys. Perieget. v. 875, Cl. Salmasii Exerc. Plin. p. 545, quo et ipse loco talia de Corycio nemore et specu refert. *Corycius specus* erat convallis, in rotunditatem satis alte assurgente supercilio cincta undique. In illa valle, quæ a monte Coryco, in mare prominente, viginti stadia aberat, nascebatur optimum crocum, quod veteres norant. Tota interior vallis croco repleta erat, lucis ex summo vertice impendentibus inumbrabatur. Hinc loquitur Curtius de *nemore Corycio.* Strabone auctore, præter alterum istarum regionum specum, amne subter-

cium nemus, ubi crocum gignitur; cæteraque, in quibus
11 nihil præter famam duraverat. Alexander fauces jugi,
quæ Pylæ appellantur, intravit. Contemplatus locorum
situs, non alias magis dicitur admiratus esse felicitatem
12 suam; obrui potuisse vel saxis confitebatur, si fuis-
sent, qui in subeuntes propellerent. Iter vix quaternos
capiebat armatos: dorsum montis imminebat viæ, non
angustæ modo, sed plerumque præruptæ, crebris ober-
rantibus rivis, qui ex radicibus montium manant.
13 Thracas tamen leviter armatos præcedere jusserat,
scrutarique calles, ne occultus hostis in subeuntes
erumperet; sagittariorum quoque manus occupaverat
jugum; intentos arcus habebant, moniti, non iter ipsos
14 inire, sed prælium. Hoc modo agmen pervenit ad
urbem Tarson, cui tum maxime Persæ subjiciebant
15 ignem, ne opulentum oppidum hostis invaderet. At
ille, Parmenione ad inhibendum incendium cum expe-
dita manu præmisso, postquam barbaros adventu suo-
rum fugatos esse cognovit, urbem a se conservatam
intrat.

1 V. Mediam Cydnus amnis, de quo paullo ante dictum
est, interfluit, et tunc æstas erat, cujus calor non aliam
magis quam Ciliciæ oram vapore solis accendit: et diei

raneo memorabilem, erat quoque tertius, in quo Typhonis gigantis, Tartari ex Terra filii, quod monstrum centiceps cum Jove de imperio pugnavisse dicitur, cubile positum credebant. Alii eum Ætnæ subjectum referunt. De Corycio croco vid. quoque Strab. XIV; Sallust. Histor. I, 4; Martial. Epig. III, 64; IX, 39; XI, 9.

15. *Parmenione*. Hic prima est mentio Parmenionis. Fuit proximus a rege dux et ipso rege major, si Curtio assentias, qui eum multa sine rege prospere, regem vero sine eo nihil magnæ rei gessisse affirmat, infra, VII, 2, 33.

1. *Mediam*, nempe urbem Tarson. — *Vapore solis accendit.* Taurus in istis regionibus cæli temperiem disjungit; quæ regiones a Tauro ad septemtrionem vergunt, quamvis sint mites adhuc et fertilissimæ, hiemem tamen et nives experiuntur; quæ ad meridiem, ut Cilicia Pamphyliaque, rectius jam fervidis regionibus adcenseres, hiemis expertibus, quarum incolæ summa æstate in montes propinquos confugere solebant. Solin. c. 11,

fervidissimum tempus cœperat; pulvere ac sudore si- 2
mul perfusum regem invitavit liquor fluminis, ut cali-
dum adhuc corpus ablueret. Itaque, veste deposita, in
conspectu agminis, decorum quoque futurum ratus, si
ostendisset suis levi ac parabili cultu corporis se esse
contentum, descendit in flumen: vixque ingressi su- 3
bito horrore artus rigere cœperunt: pallor deinde suf-
fusus est, et totum propemodum corpus vitalis calor
reliquit. Exspiranti similem ministri manu excipiunt, 4
nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt.
Ingens sollicitudo et pæne jam luctus in castris erat.
Flentes querebantur, in tanto impetu cursuque rerum, 5

de Tauro: « Quantus meridiem videt, sole inæstuat; quidquid septemtrioni oppositum est, vento funditur et pruina. » Ciliciæ tamen planities, crebris rivis et fluviis irriguæ, fertilitate superari non poterant. Cæterum, Scheffero monente, nota locutionis genus: *calor æstatis accendit Ciliciam vapore solis*, pro *calor solis accendit Ciliciam æstate*.

2. *Cultu corporis.* Cultu corporis hic intelligitur quod alias *cura* et *curare corpus* dicitur. Ostendit Alexander suis, se, si corpus lavandum sit, ministeria servorum aliamque curam respuere; se descendere in flumen, quod quisque militum æque posset ac ipse.

3. *Vixque ingressi.* Alexandri morbum describunt Plutarch. in Alex. 33 et 34; Justin. XI, 8; Oros. III, 16; Valer. Max. III, 8; Lucian. de Domo, I; Senec. de Ira, II, 23. Arrian. XI, 1, 24, scribit Aristobulum tradere Alexandrum præ nimio labore in morbum incidisse. Diodorus, XVII, 31, morbi mentionem facit, non vero caussæ, nec literarum a Parmenione missarum. Hoc ipso in flumine, idem alii principi, multis post Alexandrum sæculis, accidisse cuique notum est. Fredericus enim Ahenobarbus (*Fréd. Barberousse*), Germanorum imperator, quum in Cydnum, abluendi corpus caussa, descendisset, morbo correptus est, et paullo post obiit, die Junii decima, anno P. C. 1190. Quidam negant Alexandrum natare scivisse, memoraturque apophthegma ejus, quo, quum flumine opposito prohiberetur hostem aggredi, exclamaverit: « O me pessimum qui natare non didicerim! »

4. *Jam luctus.* Heinsius legebat, *par luctus*. Male, hic enim est genuinus vocis *luctus* sensus, siquidem *luctus*, teste Cicerone, est ægritudo ex ejus, qui carus fuit, interitu acerbo.

5. *In tanto impetu.* Hic ad memoriam revocantur Tullii verba, de orat. III, 2: « O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones, quæ in medio sæpe spatio franguntur et corruunt, et ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. » Et ea quoque quæ exclamat Hippomedon apud Statium, Thebaid. IX, 506: « . . . Fluvione (pudet!), Mars inclyte,

omnis ætatis ac memoriæ clarissimum regem, non in
acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluentem
6 aqua corpus, ereptum esse et exstinctum. Instare Da-
rium, victorem, antequam vidisset hostem; sibi eas-
dem terras, quas victores peragrassent, repetendas:
omnia aut ipsos, aut hostes populatos; per vastas solitu-
dines, etiamsi nemo insequi velit, euntes fame atque
7 inopia debellari posse. Quem signum daturum fugien-
tibus? quem ausurum Alexandro succedere? Jam ut
ad Hellespontum fuga penetrarent, classem, qua
8 transeant, quem præparaturum? Rursus in ipsum re-
gem misericordia versa, illum florem juventæ, illam
vim animi, eumdem regem et commilitonem, divelli a
9 se et abrumpi, immemores sui querebantur. Inter hæc
liberius meare spiritus cœperat: allevabat rex oculos,
et paullatim redeunte animo, circumstantes amicos ag-
noverat: laxataque vis morbi ad hoc solum videbatur,

merges Hanc animam? segnesque lacus et stagna subibo, Ceu pecoris custos, subiti torrentis iniquis Interceptus aquis? adeo ne occumbere ferro Non merui! » Quæquidem carmina ipse Statius ex Homero, Il. XXI, 280 et sqq. imitatus fuerat.

6. *Quas victores peragrassent.* Alii Codd. et nostri quoque : *quas victoria peragrassent;* unde Schefferus : *quas victoria peragrassent, fuga repetendas.*

7. *Jam ut.* Id est, si etiam contingat, ut, etc. — *Classem.* Quam denuo parandam, ut Hellesponto præsideret, modo jusserat. Vide supra, I, 20. Eam enim, victis ad Granicum Persis, remiserat in Græciam, ficta caussa quod res magnorum esset sumptuum, revera ut suis omnem ex acie et prælio fugiendi spem adimeret. Addit Diod. XVII, 23, hoc Alexandri consilium etiam posteros esse secutos, inprimisque Agathoclem, Syracusarum regem. Vid. præter eum, Thucyd. III, 13; Justin. XXII, 6.

9. *Meare spiritus.* Id est, spirare. — *Ad hoc solum.* Ego cum Scheffer. interpretor : huc usque tantum, hactenus tantum. Ipsum autem sensum explicare est ex Seneca, epistol. VI, 1. « Quibusdam ægris, inquit, gratulatio fit, quum se ipsi ægros esse senserunt. » Recentiores editt. : *ob hoc solum.* Sic infra *animi autem ægritudo corpus urgebat*, pro *animum a. æ. corporis urgebat* cum Modio ex nostris Codd. 5717, 5718, restitui. Quid enim lectionem emendas quæ emendatione non egeat? notum est nihil ægro corpori magis nocere quam si variis curis mens ipsa interdum distrahatur, et adversus veras fictasve imminentium periculorum imagines luctetur.

quia magnitudinem mali sentiebat. Animi autem ægri- 10
tudo corpus urgebat; quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nunciabatur. Vinctum ergo se tradi, et tantam victoriam eripi sibi e manibus, obscuraque et ignobili morte in tabernaculo suo exstingui se querebatur: admissisque amicis pariter et medicis: « in quo 11
me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor, et qui ultro intuli bellum, jam provocor.
Darius ergo quum tam superbas literas scriberet, for- 12
tunam meam in consilio habuit? sed nequidquam,
si mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia et seg- 13
nes medicos non exspectant tempora mea: vel mori strenue, quam tarde convalescere mihi melius est.

10. *In Ciliciam fore.* Alii inter quos nostri Codd. *in Cilicia.* At vulgatam defendit præter recentiores etiam Gellius, I, 7. Est Græcis eadem commutatio vocularum *εἰς* et *ἐν*.

12. *Tam superbas literas.* Freinshemius intelligi putat, quas ad satrapas suos scripserat, jubens ut insanientem istum Philippi adolescentulum verberibus puerilibus graviter cæsum indutumque post veste purpurea, sibi vinctum traderent, navibusque una cum nautis submersis omnes ejus milites ad ulteriora maris rubri transportarent. « Ego, inquit *Schmieder*, etsi a Dario superbia inflato tales literas scribi potuisse negare non ausim, auctorem veterem tamen non novi, ex quo recentiores hæc hauserint. » Intelligendæ sunt literæ, quas cum pecunia Græcis miserat, ut bellum contra Alexandrum capesserent, de quibus vide Arrianum, lib. II, 14, 11. — *Fortunam meam in consilio habuit.* Ea ipsa fortuna, quæ rerum eventum moderari poterat, me prodidit, et Dario suggessit, quid faciendum esset, quum sciret, eventurum mihi hunc morbum, quo conatibus illius obviam ire prohiberer.

13. *Exspectant.* Ex Codd. auctoritate restitui pro *expetunt*, quod ab omnibus fere editor datur. — *Belli remedium.* Obscurus locus at ob id ipsum ab omnibus fere commentatoribus præteritus, excepto tamen Scheffero, qui rem quidem intellexit, sed non perspicuo satis lumine illustravit. *Mortis remedium* est remedium contra mortem, quo impediatur mors quin hominem opprimat: nunc *remedium belli* est remedium contra bellum, id est, quo possit iri obviam bello, quo bellum arceatur, quod tunc veluti in Alexandrei tabernaculi limine cum ipsa morte stabat. Date ergo, inquiebat Alexander, et quam citissime, illud contra Darium, bellum mihi inferentem, remedium; efficite ut obviam Dario ire possim, bellumque ingruens propellere, nec mori amplius curo; vivere volo ad hoc tantum ut Darium bellumque arceam, post hæc, si necesse est, statim moriturus.

Proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant me non tam mortis, quam belli remedium quæ-
14 rere. » Ingentem omnibus incusserat curam tam præceps temeritas ejus. Ergo pro se quisque precari cœpere; ne festinatione periculum augeret, sed esset in
15 potestate medentium: inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem ejus etiam a la-
16 tere ipsius pecunia sollicitaret hostis (quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronunciari jusserat): itaque ne ausurum quidem quemquam [arbitrabantur] experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

1 VI. Erat inter nobiles medicos e Macedonia regem sequutus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi: puero comes et custos salutis datus, non ut regem modo, sed etiam ut alumnum, eximia caritate dilige-
2 bat. Is non præceps se, sed strenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potione medicata levaturum esse promisit. Nulli promissum ejus placebat,
3 præter ipsum, cujus periculo pollicebatur. Omnia quippe facilius quam moram perpeti poterat: arma et acies in oculis erant; et victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset: id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sump-

15. *Etiam a latere ipsius.* Id est, etiam propinquos suos, ex. c., Alexandrum, Æropi filium, de quo vide Freinshemii Supplem. II, 11. Familiares, satellites, ministros quoque regem comitantes, intelligere potes. Mox pro *arbitrabatur* cum plurimis Codicibus scripsi *arbitrabantur;* sed uncis intersepsi vocabulum, jure Freinshemio, ut glossema, suspectum.

1. *Salutis.* Valetudinis; qui, ut ait Tacit. Ann. VI, 50, valetudines ejus regeret.

2. *Præceps remedium*, quod simul ac sumptum est, morbum fugat; *strenuum*, id est, efficacissimum. — *Tantamque vim.* Freinshem. mavult: *totamque vim.* — *Pollicebatur* sc. Philippus; sed potest esse pro *promittebatur* in sensu passivo; verum exstant pauca exempla.

3. *Post diem tertium.* Sive morbi natura ita jubebat, sive e locis longinquis ac diversis petenda erant ea quæ in potione ista commisturus erat medicus.

turus esset (ita enim medicus prædixerat), ægre fe-
rens. Inter hæc a Parmenione fidissimo purpuratorum 4
literas accipit, quibus ei denunciabat, ne salutem suam
Philippo committeret: mille talentis a Dario et spe
nuptiarum sororis ejus esse corruptum. Ingentem 5
animo sollicitudinem literæ incusserant; et, quidquid
in utramque partem aut metus aut spes subjecerat, se-
creta æstimatione pensabat. «Bibere perseverem, ut, si 6
venenum datum fuerit, ne immerito quidem, quidquid
acciderit, evenisse videatur? Damnem medici fidem?
in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est
alieno me mori scelere, quam metu meo.» Diu animo 7
in diversa versato, nulli, quid scriptum esset, enun-
ciat: epistolamque, sigillo annuli sui impressam, pul-
vino, cui incumbebat, subjecit. Inter has cogitationes 8
biduo assumpto, illuxit a medico destinatus dies, et
ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intra-
vit. Quo viso, Alexander, levato corpore in cubitum, 9
epistolam, a Parmenione missam, sinistra manu tenens,
accipit poculum, et haurit interritus; tum epistolam
Philippum legere jubet, nec a vultu legentis movit
oculos, ratus aliquas conscientiæ notas in ipso ore

4. *A Parmenione.* Qui castris interea præerat: nam Alexander, ut Tarsum occuparet, cum paucis præiverat. Fidissimus *purpuratorum* vocatur, translato a Persis in Macedones vocabulo. Macedonum principes non erant revera purpurati. Vix audiendus Seneca, qui de Ira, II, 23, epistolam eam non a Parmenione, sed ab Olympiade matre, fuisse scriptam prodit. — *Sororis ejus.* Arrian. II, 4, modo χρήμασι corruptum Philippum, Plut. Alex. 33, addit γάμῳ θυγατρὸς.

6. *Bibere perseverem?* Bibamne, ut ante literas acceptas decreveram? Nondum enim cœperat bibere; nec *perseverare* est pergere in cœpto, vel cœpta absolvere, sed in sententia manere, non mutare animum.

7. *Impressam.* Theocr. et nostri Codd. *impresso.*

9. *Movit oculos.* Schefferus, *movet oculos.* — *Tum epistolam.* Errant, et vehementer quidem in hoc loco illustrando Raderus et nostras *Sainte-Croix*, *Histor. d'Alex.*, *p.* 249. Plutarchus quidem, Arrianus, Justinusque uno eodemque momento Alexandrum bibisse, Philippumque legisse testantur; sed non ita Curtius, nec

10 posse deprehendere. Ille, epistola perlecta, plus indignationis quam pavoris ostendit; projectisque amiculo et literis ante lectum : « Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc vere,
11 arbitror, sacro et venerabili ore trahitur. Crimen par-

Valer. Maximus. Ipsa auctorum verba afferam ut lector judicare possit : Plutarchus ergo, Alex. c. 34 : *ὥστε θαυμαστὴν καὶ θεατρικὴν ὄψιν εἶναι, τοῦ μὲν ἀναγινώσκοντος, τοῦ δὲ πίνοντος.* Arrianus, II, 4 : *καὶ ὁμοῦ τόν τε Ἀλέξανδρον πίνειν, καὶ τὸν Φίλιππον ἀναγινώσκειν τὰ παρὰ τοῦ Παρμενίωνος.* Justin. XI, 8 : « Accepto igitur poculo, epistolas medico tradidit; atque ita inter bibendum oculos in vultum legentis intendit. » Sed in Curtio frustra Raderus et *Ste-Croix*, *tum* interpretari volunt eodem sensu ac *dum* et omnium Codd. interpunctionem turbare. Consentit cum Curtio Valer. Max. III, 8, 6 extr. : « Quas quum legisset, sine ulla cunctatione medicamentum hausit, ac tunc legendas Philippo tradidit. » Cæterum nullus hoc sublime virtutis specimen melius et eloquentius æstimavit quam Genevensis Philosophus his verbis : « Quelques lecteurs demanderont, je « le prévois, ce que je trouve enfin « de si beau dans l'action d'Alexandre. « Infortunés ! s'il faut vous le dire, « comment le comprendrez-vous ? c'est « qu'Alexandre croyait à la vertu, c'est « qu'il y croyait sur sa tête, sur sa « propre vie; c'est que sa grande âme « était faite pour y croire. Oh ! que « cette médecine avalée était une belle « profession de foi ! Non, jamais mortel n'en fit une si sublime. S'il est « quelque moderne Alexandre, qu'on « me le montre à de pareils traits. » *J. J. Rousseau*, *Emile*, *liv. II.*

10. *Plus indignationis.* Indignantur insontes, pavent nocentes. — *Sed nunc vere, arbitror, sacro et venerabili ore trahitur.* Cum optimis interpretum locum hunc sic scribo et intelligo : *Rex, semper quidem*, a pueritia tua, quum tibi comes ac custos salutis datus essem ; *spiritus meus ex te pependit*, vita mea ex tua pependit; si quid tibi accidisset, vivere non amassem, tecum mortuus essem lubens ; spiritus tuus erat quasi meus; *sed nunc vere, arbitror, sacro et venerabili ore trahitur* spiritus quoque meus ; unice et proprie ex tua vita pendet quoque mea, ita ut isto sacro ore non tibi magis quam mihi vitalem spiritum trahas. Qui possem igitur vitæ tuæ insidiari, qui tui sim amantissimus, regem in te venerer, et, si te perdiderim, supplicio nullo modo eripi possim ? *Crimen parricidii, quod mihi objectum est, tua salus diluet ; servatus a me vitam mihi dederis* ; cum tua vita et mea in periculo est ; sed si a me sanatus fueris, et mihi vitam dabis. *Oro quæsoque, omisso metu patere medicamentum concipi venis.* Nihil mutavi, nisi cum Radero interpunctionem, dum *oro quæsoque* non cum prioribus sed cum sequentibus jungo, et dum pro *amissoque* (quum in Codd. fere legatur *amisso*) cum duobus editis exempl. et Heumanno *omisso* scribo. Nihil enim in Codd. solemnius est, quam commutatio verborum *omittere* et *amittere*. Superant exempla apud nostrum, vid. l. IV, c. 6 ; et etiam supra III, 2. Quanta vero vis sit bonæ de medico medicamentove exspectationis, nemo ignorat.

ricidii, quod mihi objectum est, tua salus diluet: servatus a me, vitam mihi dederis. Oro quæsoque, amisso metu, patere medicamentum concipi venis; laxa paulisper animum, quem intempestiva sollicitudine amici, sane fideles, sed moleste seduli, turbant.» Non securum modo hæc vox, sed etiam lætum regem ac plenum bonæ spei fecit. Itaque: « Si dii, inquit, Philippe, tibi 12
permisissent, quo maxime modo animum velles experiri meum, alio profecto voluisses; sed certiore quam expertus es, ne optasses quidem. Hac epistola accepta, tamen quod dilueras bibi: et nunc, crede me non minus pro tua fide, quam pro mea salute, esse sollicitum.»
Hæc eloquutus, dextram Philippo offert. Cæterum tanta 13
vis medicaminis fuit, ut, quæ sequuta sunt, criminationem Parmenionis adjuverint. Interclusus spiritus arcte 14
meabat: nec Philippus quidquam inexpertum omisit. Ille fomenta corpori admovit; ille torpentem, nunc cibi, nunc vini odore, excitavit. Atque, ut primum mentis 15
compotem esse sensit, modo matris sororumque, modo tantæ victoriæ appropinquantis admonere non destitit. Ut vero medicamentum se diffudit in venas, et sensim 16
toto corpore salubritas percipi potuit, primo animus

12. *Alio profecto voluisses.* Scil. experiri animum meum erga te; *sed certiore* sc. modo, *ne optasses quidem.* Pro vulgato *certiorem* cum Codd. tribus, probantibus Modio et Scheffero, *certiore* scribere malui. — *Et nunc crede me non magis*, etc. Vulgo scribitur: *Credo te non magis,... Crede me* legitur in nostris vetustissimis Codd. 5717, 5718, quod ego cum Schmiedero restituere non dubitavi. Sententia est: Et nunc persuasum tibi habeas, me non magis sollicitum esse et optare, ut convalescam, quam ut fides tua erga me omnibus fiat cognita atque laudata.

13. *Adjuverint.* Auxerint, veri similiorem effecerint.

14. *Nunc cibi.* In primis panis recens cocti, quo medicos veterum usos esse notatum reperio.

15. *Modo matris.* En medicum probe sedulum, non modo corpus ægrotum, sed etiam animum curantem! Insigni enim pietate matrem Alexander amabat, ut testantur Plutarchus et Curtius; et in sororem Cleopatram plus æquo indulgens erat, auctore Plutarcho, in Præcept. Reip. gerendæ, c. 57. Præter eam duas habebat sorores, Cynam ex Audata noverca, et Thessalonicam e Nicasipolide pheræa.

vigorem suum, deinde corpus quoque exspectatione maturius recuperavit: quippe post tertium diem quam
17 in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit. Nec avidius ipsum regem, quam Philippum, intuebatur exercitus: pro se quisque, dextram ejus amplexi, grates habebant, velut præsenti deo. Namque haud facile dictu est, præter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum hujus utique regis vel admirationi de-
18 diti fuerint, vel caritate flagraverint. Jam primum nihil sine divina ope aggredi videbatur: nam, quum præsto esset ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat.
19 Ætas quoque, vix tantis matura rebus, sed abunde suf-

17. *Velut præsenti deo*. Noli credere, cum Schmiedero, hanc vocem *præsens* significare, qui, ut Alexandrum juvaret, e cælo descenderit; hæc vox apud poetas et Curtium qui sæpius poetico dicendi genere utitur, idem est ac, *propitius*, *efficax*: sic Horat. III, Od. 5, 2: «... præsens divus habebitur Augustus...» Terent. Phormio, act. II, sc. 2, 31. «Non tu hunc habeas plane præsentem deum.» — *Ingenitam venerationem*. Plut., in P. Æmil., Macedonas φιλοβασιλείους vocat. — *Hujus utique* (i. e. præcipue) *regis*. Sic restitui ex nostris aliisque Codd. et Schmiedero, pro *hujus quoque regis*. Mox iterum ex iisdem scripsi *sine divina ope* pro *nisi divina ope*. Et ita Sozomen. de Constantino, Histor. Eccl. XI, 32: ἄνευ γὰρ Θεοῦ, ἐμοὶ δοκεῖν, οὐκ ἐπεχείρει.

18. *Temeritas in gloriam cesserat*. Iisdem prope verbis Tacitus, German. 36: «Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit.» Namque, ut inquit Plautus in Pseudolo, act. II, sc. 3, 13: «... ut quisque fortuna utitur, Ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus. Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem catum Eum esse declaramus: stultum autem illum, cui vertit male.»

19. *Ætas quoque*. Alexander patri successit viginti, diem obiit triginta duos annos et octo menses natus. Darium prorsus debellaverat ætate viginti quinque annorum. — *Sed abunde sufficiens, omnia ejus opera honestabat*. Vocem *etiam* cum Scheffero, Schmiedero et nostris Codd. e vulgata abjeci; præcessit enim *ætas quoque*. At Schmiederum non suæ mentis esse arbitror, qui *natura* pro *matura* ex nescio quo Codice legendum proponit. Clarissima sententia est: non *matura* erat Alexandri ætas tantis rebus ex naturæ lege, sed ipsum hoc præcox ingenium, tot grandibus incœptis *sufficiens*, magis eum *honestabat*, id est, commendabat. Quæ vel senis satis magna fuissent facinora, majoris æstimabantur in juvene. Eodem sensu apud gallicæ tragœdiæ patrem famosus ille juvenis (*Corneille*, *le Cid*, *act.* II, *sc.* 2): « Je suis jeune, il est vrai, mais aux » âmes bien nées La valeur n'attend pas » le nombre des années. » — *Et quæ leviora haberi solent*, *plerumque in*

ficiens, omnia ejus opera honestabat : et quæ leviora
haberi solent, plerumque in re militari gratiora vulgo
sunt; exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque
paululum a privato abhorrens, militaris vigor : quibus 20
ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, ut pariter
carus ac venerandus esset, effecerat.

VII. At Darius, nuncio de adversa valetudine ac- 1
cepto, celeritate, quantam capere tam grave agmen
poterat, ad Euphratem contendit: junctoque eo pon-
tibus, quinque tamen diebus trajecit exercitum, Cili-
ciam occupare festinans. Jamque Alexander, viribus 2
corporis receptis, ad urbem Solos pervenerat : cujus

re militari gratiora vulgo sunt. Cum Freinsh. retineo verba *in re militari*, quæ bene se habent et multis MSS. nituntur. Alii enim vel *in re* abjiciunt cum duobus Codd., ut *militari* cum *vulgo* conjungetur; vel legunt, *quæ leviora haberi solent plerumque in rege, militari gratiora vulgo sunt*. Denique non post *solent*, sed post *militari* interpunxi. Sententia hæc est : Exercitatio corporis, ex. c., in re militari inter leviora in duce censetur, nec enim reddit ducem bonum, nec boni est documentum. Vulgo vero, sive militi gregario res grata est, si easdem exercitationes, quibus ipse exercetur, ducis exemplo honestari videt. Alexandrum enim in ludis gymnicis et ipsum excelluisse, eosque magni æstimasse omnes testantur.

20. *Vel animi artibus*. Explicet hunc locum similis ille Livii, XXVI, 19, 3 : « Fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus memorabilis, sed arte quoque quadam ab juventute in ostentationem earum compositus, » et quæ sequuntur. Adde Suetonii Titum in princ. 3 et 4.

1. *Tam grave*. Immenso tum belli tum luxus apparatu, fœminis et ipsa multitudine impeditum eoque lentius progrediens. — *Junctoque eo pontibus*. Ad Thapsacum, Syriæ urbem, juxta quam, antiquioribus temporibus, ex Syria in Babyloniam proficiscentes Euphraten trajicere solebant. Vid. Arrian. II, 3; et Xenoph. Anab. I, qui Cyrum minorem ibidem trajecisse affirmat.

2. *Ad urbem Solos pervenerat*. Soli, orum, gr. Σόλοι, a Tarso occidentem versus siti. Curtius ita loquitur ac si Alexander, a Tarso Dario obviam profectus, primum Solos, deinde Mallon pervenisset. Si consulis Arrianum II, 5, vides, Parmenione ad Pylas syrias occupandas præmisso, Alexandrum a Tarso occidentem versus expeditionem fecisse, ut reliqua Ciliciæ campestris atque Ciliciam asperam subjiceret. Hoc consilio pervenit primo Anchialen, tum Solos, unde in Ciliciam asperam excurrit; qua per septem dies subacta, Solos redit, a Solis Tarsum : a Tarso denique progreditur contra Darium, ipse per Magarsum et Mallon urbes, Philotas cum maxima parte equitum per campum Aleium ad Pyramum flu-

potitus, ducentis talentis nomine mulctæ exactis, arci
3 præsidium militum imposuit. Vota deinde pro salute suscepta per ludum atque otium reddens, ostendit, quanta fiducia Barbaros sperneret. Æsculapio et Mi-
4 nervæ ludos celebravit. Spectanti nuncius lætus affertur ex Halicarnasso, Persas acie a suis esse superatos; Myndios quoque, et Caunios, et pleraque tractus ejus
5 suæ facta ditionis. Igitur, edito spectaculo ludicro, castrisque motis, et Pyramo amne ponte juncto, ad urbem Mallon pervenit : inde alteris castris ad oppidum Cas-
6 tabalum. Ibi Parmenio regi occurrit, quem præmiserat

vium. — *Nomine mulctæ*. Quod propensiore erga Persas animo fuissent. Arr. l. l.

3. *Ostendit*. Freinshemius mavult: *ostentui*, commate post *sperneret* interpungens. Nihil mutandum est. — *Æsculapio et Minervæ*. Diis σωτῆρσι, Æsculapio, ut medicorum deo; Minervæ, ut pote quam inprimis Alexander colebat, ut passim apud Curt. et Arrian. exstat. Illi vero Alexander sacra fecit Solis, ex Cilicia aspera redux; huic Magarsi, urbe ad Pyrami ostium. Confudit hæc Curtius. Nuncium de victoria suorum accepit rex Solos redux, quæ urbs plurium dierum itinere a Pyramo abest.

4. *Ex Halicarnasso*. Reliquerat rex arces Halicarnassi et alia quædam Cariæ loca, nondum capta a tergo; Ptolemæus igitur et Asander, dum Alexander progrederetur, cum exercito relicto Orontobatem Persam prælio vicerant, easque loca omnia armis ceperant; cf. Arrian. Exp. II, 5, 8, 9. In aliquot Codd. abest *ex*.

5. *Spectaculo ludicro*. Schefferus *spectaculo*, Freinshemius *ludicro* pro interpretamento voculæ alterius habent. Spectacula vero hæc non sunt alia, quam ludi Æsculapio celebrati, quos Arr. l. l. indicavit : « Alexander, inquit, Solis Æsculapio (propter valetudinem restitutam), sacra fecit et pompam duxit ipse cum omni exercitu, et λαμπάδα (certamen puerorum cum face ardente currentium), et ἀγῶνα γυμνικὸν καὶ μουσικὸν instituit. » Ille ἀγὼν est certamen in luctando, currendo, aliisque corporis artibus; hic, illi oppositus, est musicorum, poetarum et omnium elegantioribus artibus excellentium. — *Inde alteris castris*. Hoc est, altero die. Usitatus historicis loquendi modus, primis, alteris, tertiis, quartis, etc. castris, hoc est, diebus; etsi non continuis semper intelligendum, cum sæpe in castris unum, duos, tres, pluresve dies morarentur. Græci σταθμοὺς appellant. Quidam *inde adeo alteris*, quod *adeo* Snakenb. defendit, quoniam sæpe ornatus vel explendi vim habeat. — *Ad oppidum Castabalum*. Duo circiter mill. geogr. occidentem versus ab Isso erat oppidulum *Catabolon*, ad mare situm. Ad aliud quam hoc ex itineris ratione pervenire nequibat Alexander. *Castobala* vero alius quidam in hac Ciliciæ parte locus est, sed longe remotior in Mediterraneis, quæ tunc Alexander non permeabat.

ad explorandum iter saltus, per quem ad urbem Isson
nomine penetrandum erat. Atque ille, angustiis ejus 7
occupatis, et præsidio modico relicto, Isson quoque de-
sertam a Barbaris ceperat. Inde progressus, deturbatis
qui interiora montium obsidebant, præsidiis cuncta
firmavit; occupatoque itinere, sicut paullo ante dictum
est, idem et auctor et nuncius venit. Isson inde rex 8
copias admovit: ubi concilio habito, utrumne ultra
progrediendum foret, an ibi opperiendi essent milites
novi, quos ex Macedonia adventare constabat: Parme-

Error vel est Curtii vel librariorum. Eodem loco, M. Tullius Cicero, Amaniensibus fusis fugatisque, imperator a suis appellatus est, ut ipse testatur, Epist. Fam. XI, 10; et ad Attic. V, 20.

6. *Ad explorandum iter saltus.* Arriano auctore, II, 6, 1, Alexander, quum Malli adhuc esset, de appropinquante Dario certior factus est, quod ex Diodoro, XVII, 32, et his quoque, quæ in Curtio sequuntur, probabilius est. Supra pylas amanicas, de quibus dixi ad c. 4, 7, ex Amano alii montes occidentem versus ita extenduntur, ut inter Mallon atque Catabolon mare attingentes, planitiem, Isso urbe, Pinaro fluvio et prælio inter Alexandrum et Darium memoratu dignissimam, undique cingant. Hi quoque montes inter Mallon et Catabolon Issonque angustias habent, Alexandro transeundàs, quàs nunc *portam ferream* vocant, veteres *amanicas* vocabant, sicut alteras, per quas Darius Ciliciam intrabat, ab his diversas. Illas dixit auctor, quem Curtius sequitur, de *saltu, per quem ad Isson penetrandum erat*, loquutus. Illas primas occupat Parmenio, tum Isson urbem; denique *pylas Syriæ* ipsas (inter Amanum sive Pierium montem et mare), quas intelligit Curtius, quum mox de *interioribus montium* loquitur. *Occupato* hoc *itinere*, sive occupatis his duabus angustiis Parmenio ad Alexandrum redibat.

8. *Milites novi.* Ad Alexandr. antequam Ciliciam intraret, novi milites advenerant, de quibus supra ad c. 1, 10. De aliis supplementis et apud Curt. et apud alios nihil invenio. Quid multa? verba: *milites novi, quos ex Macedonia adventare constabat*, ex glossa esse videntur, adscripta ab aliquo, qui ad verba: *an ibi opperiendi essent*, supplemendum esse *hostes* non intellexerat. Nihil respondet Parmenio de novis militibus, et mox addit Curtius, Alexandrum *inter angustias saltus hostem opperiri statuisse*. Sic *Schmieder;* sed omnia hæc male, ut opinor. Primum enim omnes Codd. in eo loco consentiunt, duriusque dixisset Curt. *opperiendi*, subaudito *hostes*. Curt. 1, 24, affirmat quidem Alexandrum *milites assumpsisse qui ex Macedonia venerant*, sed alios forsan exspectabat; nam Callisthenes apud Polyb. XII, 10, scribit Alexandro Ciliciam intranti advenisse ex Macedonia peditum 5,000, equites 800; dum Arrian. tantum pedites 1,000, equites 650 numerat in loco laudato. Parmenio de militibus exspectandis respondet, si quidem « illic,

nio non alium locum prælio aptiorem esse censebat:
9 quippe illic utriusque regis copias numero futuras pares, quum angustiæ multitudinem non caperent. Planitiem ipsis camposque esse vitandos, ubi circumiri, ubi ancipiti acie opprimi possent. Timere ne, non virtute hostium, sed lassitudine sua vincerentur. Persas recentes
10 subinde successuros, si laxius stare potuissent. Facile ratio tam salubris consilii accepta est: itaque inter an-
11 gustias saltus hostem opperiri statuit. Erat in exercitu regis Sisines Perses, quondam a prætore Ægypti missus ad Philippum, donisque et omni honore cultus, exsilium patria sede mutaverat: sequutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur.
12 Huic epistolam Cretensis miles, obsignatam annulo, cujus signum haud sane notum erat, tradidit. Nabarzanes prætor Darii miserat eam, hortabaturque Sisinem, ut dignum aliquid nobilitate ac moribus suis ede-

inquit, *utriusque regis copias numero futuras pares*; subauditur: *licet novi milites non exspectentur, quum*....

9. *Ancipiti acie.* Hostibus a fronte et a tergo instantibus. Vid. Cæs. Bell. Gall. VII, 76; V, 4.

10. *Inter angustias saltus hostem opperiri.* Contrarium narrat Arrianus II, 6. Amici, concilio habito, statim Darium petere jubent. Alexander igitur, in Syria pugnaturus, pylas Syriæ transit. Vide notas ad c. 8, 13. Ex eodem Arriano Darium non tam præcipitem in angustias se immisisse, quam Curtius narravit, discimus. Sochis, ubi magna Syriæ planities erat, Alexandrum exspectarat; illo vero, ob morbum, expeditionem in Ciliciam asperam atque ludos diutius in Cilicia morante, timidum ratus, ab assentatoribus et fato suo in angustias perductus est.

11. *A prætore.* Sive Satrapa; qui apud Persas etiam militibus provinciarum præerat. — *Exsilium patria sede.* Quidam edd. *exsilio patriam sedem.* Sed idem sensus est et omnes Codd. nostræ lectioni favent. Hic enim *exsilium* non *pœnam* significat, sed *peregrinum solum.*

12. *Ac moribus suis.* Alii legunt: *ac majoribus suis*; quod, si codicibus niteretur, prætulisset Schmieder. nititur tantum Theocr. Cod. De Sisine sive Asisine longe alia narrat Arrian. I, 25, sc. a Dario missum, ut Alexandrum Lyncesten in conjuratione contra regem confirmaret, interceptum esse a Parmenione. Accidit hoc, quum Alexander esset in Lycia. Diodorus Lyncestæ insidias post morbum Alexandri narrat, sicut Curtius hæc de Sisine. De eadem re diversæ narrationes exstitisse videntur.

ret: magno id ei apud regem honori fore. Has literas 13
Sisines, utpote innoxius, ad Alexandrum sæpe deferre
tentavit; sed quum tot curis apparatuque belli regem
videret urgeri, aptius subinde tempus exspectans, sus-
picionem initi scelesti consilii præbuit. Namque epis- 14
tola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri
pervenerat, lectamque eam, ignoti annuli sigillo im-
presso, Sisini dari jusserat, ad æstimandam fidem Bar-
bari. Qui, quia per complures dies non adierat regem, 15
scelesto consilio eam visus est suppressisse, et in ag-
mine a Cretensibus, haud dubie jussu regis, occisus est.

VIII. Jam Græci milites, quos Thymodes a Pharna- 1
bazo acceperat, præcipua spes et propemodum unica,
ad Darium pervenerant. Hi magnopere suadebant, ut 2
retro abiret, spatiososque Mesopotamiæ campos repe-
teret. Si id consilium damnaret, at ille divideret saltem
copias innumerabiles, neu sub unum fortunæ ictum to-
tas vires regni cadere pateretur. Minus hoc regi, quam 3
purpuratis ejus displicebat: ancipitem fidem et mer-
cede venalem proditionem imminere; et dividi non

13. *Utpote innoxius.* Unde hoc tandem patuit, eum innoxium, vel ipsi illud consilium fuisse, quum indicta caussa et inopinans sit interfectus?... Hoc nomine jure taxandum esse auctorem dicit *Schmieder*, severiori, ut arbitror, sententia. Nam procul dubio, ut notavit Snakenburgius, ex aliis caussa manifesta, deinde divulgata; seu per conscios consilii, sive aliunde, quod memorare in rebus exiguis tanti non est.

1. *Græci milites.* Conf. supra c. 3, in principio.

2. *Hi suadebant.* Arrianus consilium de obtinenda magna aliqua planitie Amyntæ cuidam, Antiochi filio, ab Alexandro ad Darium transfugæ tribuit, lib. II, 6, 4. Et eadem quoque censet Plutarchus, in Alexand. V, 20.

3. *Minus hoc.* Voc. *consilium* a nostris Codd. Regg. omissam cum aliis pro glossemate habui et omisi. — *Ancipitem fidem et mercede venalem proditionem imminere.....* Hæc verba et sequentia sic leguntur sine ulla omnino varietate in omnibus Codd.; bonamque habent sententiam, ut, cur plerique editorum ea ex conjectura immutare voluerint, non videam. Dicunt purpurati: Nunc ex Græcorum, mercede venalium, ancipite fide proditionem imminere; eos non aliam ob caussam copias persicas dividi malle, quam ut ipsi, a reliquis sejuncti, id Alexandro traderent, quod ipsis foret commissum et creditum.

ob aliud copias velle, quam ut ipsi in diversa digressi, 4 si quid commissum esset, traderent Alexandro. Nihil tutius esse, quam circumdatos eos exercitu toto obrui 5 telis, documentum non inultæ perfidiæ futuros. At Darius, ut erat sanctus et mitis, se vero tantum facinus negat esse facturum, ut suam sequutos fidem, suos milites jubeat trucidari. Quem deinde amplius nationum exterarum salutem suam crediturum sibi, si tot militum 6 sanguine imbuisset manus? Neminem stolidum consilium capite luere debere; defuturos enim qui suaderent, si suasisse periculum esset. Denique ipsos quotidie ad se vocari in concilium, variasque sententias dicere; nec tamen melioris fidei haberi, qui prudentius 7 suaserit. Itaque Græcis nunciari jubet, ipsum quidem benevolentiæ illorum gratias agere; cæterum, si retro ire pergat, haud dubie regnum hostibus traditurum: fama bella stare, et eum, qui recedat, fugere credi.

5. *Sanctus*. Justus, æquus: *Sancta* proprie dicuntur quæ sanctione quadam confirmantur, etsi non deo consecrata. Omnes in laudandis Darii moribus scriptores consentiunt. — *Suam sequutos fidem*. Qui sua fide freti venerant. — *Tot militum*. Rectius post Modium quidam malunt *tot millium*: et ita diserte MS. Bodlei. Græcorum omnium apud Darium cum iis, quos Thymodes adduxerat, erant triginta millia.

6. *Suaserit*. Ita nostri regii Codd. plerique edd. *suaserint*. Thucydides, lib. III: Τὴν σώφρονα πόλιν. τῷ τε πλεῖστα βουλεύοντι μὴ προστιθέναι τιμήν. ἀλλὰ μηδὲ ἐλασσοῦν τῆς ὑπαρχούσης. καὶ τὸν μὴ τυχόντα γνώμης, οὐχ ὅπως ζημιοῦν, ἀλλὰ μηδὲ ἀτιμάζειν: quod est: « bene morata civitas, nullo novo honore afficit eum qui meliora suasit; sed non certe honores jam suos imminuit: sic eum qui in suadendo inferior fuit, nullo dedecore, nedum supplicio, prosequitur. »

7. *Si retro ire pergat*. Non placet Schmiedero *pergat*; nondum enim retrocedere cœpit Darius. — *Fama bella stare*. Id est, famam in bello maximi esse momenti, ex ea plerumque pendere fortunam, ejusque ducem esse debere studiosissimum; quem, si cedat hosti, animum suis demere, hostibus addere. Sic Seneca, Epist. 13: « Fama conficere bellum solet »; et Liv. XXVII, 47: « Fama bellum conficit, et parva momenta in spem metumque impellunt animos. » Hæ sententiæ apud antiquos abundant, quas, quibus verbis expresserint si noscere velis, adeas inter alios Cæs. de Bell. Civ. II, 31; Herodian. I, 14; Tacit. Annal. XIII, 8; Tit. Liv. XXII, 32, cæterosque quos notavit Freinshemius.

Trahendi vero belli vix ullam esse rationem; tantæ 8
enim multitudini, utique quum jam hyems instaret, in
regione vasta et invicem a suis atque hoste vexata
non suffectura alimenta. Ne dividi quidem copias posse 9
servato more majorum, qui universas vires semper
discrimini bellorum obtulerint. Et, hercule, terribilem 10
antea regem, et absentia sua ad vanam fiduciam elatum, posteaquam adventare se senserit, cautum pro temerario factum, delituisse inter angustias saltus, ritu
ignobilium ferarum, quæ, strepitu prætereuntium audito, sylvarum latebris se occulerent. Jam etiam valè- 11
tudinis simulatione frustrari suos milites. Sed non amplius ipsum esse passurum detrectare certamen: in illo
specu, in quem pavidi recessissent, oppressurum esse
cunctantes. Hæc magnificentius jactata quam verius. 12
Cæterum, pecunia omni rebusque pretiosissimis Damascum Syriæ cum modico præsidio militum missis,
reliquas copias in Ciliciam duxit, insequentibus more
patrio agmen conjuge et matre. Virgines quoque cum

8. *Trahendi belli.* Trahere bellum est moram in gerendo quærere, prælium, et quidquid illud conficere potest, declinare de industria. Vid. Liv. III, 62; V, 10. — *A suis atque hoste vexata:* In eam regionem, quam tum Darius obtinebat, Alexander nondum pervenerat; sed brevi id futurum, si propius castra admoverent.

9. *More majorum.* Cyri nempe, Darii, Xerxis, aliorumque, qui universas semper copias in prælia duxerunt; Herodoto, Xenophonte, aliisque testibus.

10. *Se occulerent.* Id est, occulere solerent. Sic enim cum Acidalio et Schmiedero pro vulgato *se occuluerunt* scribere non dubitavi. Heumannus conjecit *occulant*. Nostri Regiæ biblioth. Codd. *occulerint*, quod placet et Radero. Supra scribunt: *obtulerunt* pro *obtulerint*.

11. *Valetudinis*, sc. adversæ; id est, morbi. — *Frustrari*, sc. Alexandrum. — *Ipsum*, sc, Darium. — *Detrectare*, scilicet Alexandrum. — *In illo specu*, in illis montium angustiis, quibus se quasi occuloissent, sicut feræ in suis specubus. — *Oppressurum esse*, se, sc. Darium. Obscurior verborum constructio.

12. *Pecunia omni.* Maximam pecuniæ partem verisimilius scribit Arrianus II, 11, 12. Confer Curt. III, 11, 20. Damascum, Cœlesyriæ urbem clarissimam, plurimorum quoque Persarum uxores cum impedimentis missæ erant.

13 parvo filio comitabantur patrem. Forte eadem nocte
et Alexander ad fauces, quibus Syria aditur, et Darius
ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, perve-
14 nit. Nec dubitavere Persæ, quin, Isso relicta, quam

13. *Forte eadem nocte et Alexander ad fauces*, etc. De pylis Ciliciæ, Syriam versus, supra ad c. 4, 7, pauca scripsi; erant pylæ *syriæ* et pylæ *amanicæ;* illæ igitur minus recte ita *fauces* vocantur, *quibus Syria aditur*, ac si per amanicas non fieret idem. Pylas syrias, Alexandro jubente, præoccupaverat Parmenio; cur non amanicas, nemo tradidit. Fortasse magno exercitui inviæ credebantur; nam Alexandro incredibilis videbatur Darii in Ciliciam adventus, et hodie peregrinatorum nemo per eas transit, sed omnes per pylas syrias. Cæterum, si rerum gestarum ordinem ex Arriano paucis adscripsero, quantum hoc loc. Curtius hallucinatus sit, palam erit. Alexander, nuncio in Cilicia de Dario accepto, concilioque habito, statim Darium petere a suis jubetur. In Syria igitur pugnaturus, pylas syrias transibat, castraque apud Myriandrum, Syriæ urbem, habebat. Darius vero, Alexandrum petens, per pylas amanicas eadem nocte transivarat in Ciliciam, qua Alexander in Syriam, ut esset a tergo Macedonum. Qua re audita, Alexander opportunitata locorum usurus, statim per pylas syrias in Ciliciam redibat. Tum denique pugnatum est apud Issum, ita ut Darius a tergo haberet Issum et Ciliciam, a fronte Pinarum fluvium; Alexander a fronte eumdem Pinarum, a targo pylas syrias. Scriptorum de Alexandro alii hæc itinera exactius narrarunt, ut Arrianus; alii tacuerunt, ut Diodor. XVI, 32, qui singularem de Alexandro librum non scribens, leviora pleraque neglexit. Diodorum, qui, statim post Issum ab Alexandro captam, pugnatum esse narrare videtur, sequitur Curtius supra. cap. 7, 10, Alexandrum *inter angustias saltus hostem opperiri statuisse* referens. Diligentiorem auctorem h. l. oculis subjecerat. Diversas igitur narrationes concinnaturus *forte* Alexandrum ad pylas syrias pervenisse scripsit. Caussa, cur Darius, a Thapsaco veniens, non per pylas syrias, ubi Alexandro occurrisset, sed per amanicas Ciliciam intraret, hæc fortasse fuit, quod pylæ syriæ unam modo eamque angustam habebant viam; amanicæ vero plures, licet difficiles, quibus isti montes transiri poterant. Quod si non esset, nec Darius cum impedimentorum ingenti copia eas superare, nec Cicero in istis montibus bellum gerere potuisset.

14. *Nec dubitavere*. Quis dubitabit unquam, non statim a principio Persis relatum esse, Macedones in Syriam transisse? Hoc enim ipsum iter Darii declarat. Nam circa pylas amanicas fontes Pinari, ab Amano occasum magis quam meridiem versus in mare delabentis, transgressus val prætergressus, pervenit Issum, a dextra Pinari sitam; medius enim erat Pinarus inter Issum et pylas syrias: inde Alexandrum sequutus juxta mare, inter regrediendum, castra ad Pinarum movet, in cujus ripis prælium committebatur. Testantur hoc Arrianus II, 7, 2; Plut. Alex. 36: *ἐν δὲ τῇ νυκτὶ διαμαρτόντας ἀλλήλων, αὖθις ἀνέστρεφον, Ἀλέξανδρος μὲν ....., Δαρεῖος δὲ......* etc. Curtius in seqq. Hæc

ceperant, Macedones fugerent. Nam etiam saucii quidam et invalidi, qui agmen non poterant persequi, excepti erant. Quos omnes, instinctu purpuratorum, 15
barbara feritate sævientium, præcisis adustisque manibus circumduci, ut copias suas noscerent, satisque omnibus spectatis, nuntiare, quæ vidissent, regi suo jussit. Motis ergo castris, superat Pinarum amnem, 16
in tergis, ut credebat, fugientium hæsurus. At illi quorum amputaverat manus, ad castra Macedonum penetrant, Darium quanto maximo cursu posset, sequi nuntiantes. Vix fides habebatur. Itaque speculatores in 17
maritimas regiones præmissos explorare jubet, ipsene adesset, an præfectorum aliquis speciem præbuisset

Schmiederus, et jure quidem; sed quum in Curtium invehitur, et hunc scriptorem *se ipsum non intelligere* dicit, valde reprehendendus est, et eo magis quod ab ipso Schmiedero Curtium non fuisse intellectum affirmare non dubitaverim. Quis enim has voces, *quam ceperant*, de Persis interpretari possit? quod sermonis legibus rerumque gestarum ordini æque repugnat. Ergo voces *quam ceperant* de Macedonibus cum Radero intellige. — *Saucii.* In subigendis montanis Amaniensibus dies septem impenderat Alexander, qua in expeditione aliquot fuerant vulnerati: isti abeuntem lasso exercitum sequi quum non potuissent, a Persis subvenientibus capti sunt. — *Excepti*, capti.

15. *Præcisis adustisque manibus.* Codices nonnulli non habent *adustis* sed *adductis;* unde Scheffer. suspicatur fuisse: *adstrictisque* cum funibus, videlicet ad tergum. Deridendus, me hercule! qui, quum manus præcisæ sint, eas funibus ad tergum adstringi posse suspicatur. Eamdem feritatem pulcherrime expressit Florus, III, 4, 7, in bello Thracico: « In captivos igne ferroque sævitum est. Sed nihil barbaris atrocius visum est, quam quod abscissis manibus relicti, vivere superstites pœnæ suæ jubebantur. »

16. *Superat Pinarum.* Non superat fluvium, sed castra ad eum movet, ut rectius Arrian. II, 7, 2, et 8, 8. Contradixit sibi Curtius ipse ad finem hujus capitis §. 28. Cæterum de iis omnibus, deque pugna ad Issum vide Excursum III ad hunc librum. — *Quanto maximo* pro *quam maximo* nostri regg. Codd. scribunt. Hoc loco *Schmieder* immerito, ut sæpius solet, Curtium reprehendit, similiterque in sua nota ad proximam sententiam, quum a Curtio suum Græcum auctorem non fuisse intellectum affirmat, manifestus error est interpretis qui suum ipse latinum auctorem non intellexit, verbum *explorare* ad *maritimas regiones* referendo, dum sensus est; *explorare*, id est *noscere explorando* an Darius adesset, necne, speculatores remisit, ut inquit Arrianus, ὀπίσω ἐπὶ Ἴσσον, ad Darium explorandum.

18 universi venientis exercitus. Sed quum speculatores reverterentur, procul ingens multitudo conspecta est. Ignes deinde totis campis collucere cœperunt, omniaque velut continenti incendio ardere visa: quum incondita multitudo, maxime propter jumenta, laxius
19 tenderet. Itaque eo ipso loco metari suos castra jusserat; lætus, quod omni expetiverat voto, in illis potis-
20 simum angustiis decernendum fore. Cæterum, ut solet fieri, quum ultimi discriminis tempus adventat, in sollicitudinem versa fiducia est. Illam ipsam fortunam, qua aspirante, res tam prospere gesserat, verebatur, nec injuria, ex his quæ tribuisset sibi; quamque mutabilis esset, reputabat. Unam superesse noctem, quæ
21 tanti discriminis moraretur eventum. Rursus occurre-

18. *Quum speculatores reverterentur.* Heumanno delenda videtur vox *speculatores.* — *Ignes deinde.* Scil. sub noctem. — *Tendere :* quia male dispositus barbarorum exercitus latius spatium tentoriis occupabat. *Tendere* verbum militare est : vid. Virgil. Æn. II, 29; nostræ Edit. vol. VI, p. 101.

19. *Eo ipso loco.* Hoc est, ex mente Curtii, ad pylas syrias, quod minime verum. Vide notam ad §. 23. Mox cum nostris et aliis plurimis Codd. *decernendum fore* scripsi pro *decernendum esse.* — *Expetiverat :* nostri Codd. : *expetierat.*

20. *Ut solet fieri. Fieri* pro glossa habetur, quamvis in plerisque Codd. exstet. Pulchre Vegetius, III, 12 : « Animis pæne omnium hominum hoc evenit, ut trepident, quum ad conflictum venerint. » — *Nec injuria.* Freinshemius multique alii sic scribunt : *nec injuria ex his quæ tribuisset sibi, quam mutabilis esset, reputabat.* Nescio an satis idonea sit hæc sententia; quomodo enim ex iis, quæ sibi tribuerat fortuna, reputare poterat esse mutabilem, qui eam semper habuerat faventissimam, semperque eamdem? Quare prætuli cum Scheffero et Schmiedero quod habent nostri Regg. Codd. et libri alii : *quamque mutabilis esset;* totumque locum ita distinguo : *verebatur, nec injuria ex his, quæ tribuisset sibi; quamque mutabilis esset, reputabat.* Ut sit sententia : illam ipsam summam fortunæ indulgentiam verebatur, vel propter hoc ipsum, quod ei tribuisset tanta; nec injuria, quia nempe, quum ad summam pervenit, maxime debet esse suspecta, ut quæ diu eo loco nesciat manere. Eodem sensu hæc apud Flor. IV, 2, 19 : « Sane et ipse ante aciem mæstior non ex more Cæsar, sive respectu fragilitatis humanæ, sive nimiam prosperorum suspectam habens continuationem. » Classicus est de ea sententia locus, Solonis oratio apud Herodot. I.

21. *Occurrebat.* Unus Cod. *occurrebant.* Male. Inducit enim hic auctor tacitum discursum mentis quem

bat, majora periculis præmia: et sicut dubium esset, an vinceret, ita illud utique certum esse, honeste et cum magna laude moriturum. Itaque corpora milites 22
curare jussit, ac deinde tertia vigilia instructos et armatos esse. Ipse in jugum editi montis ascendit, multisque collucentibus facibus, patrio more sacrificium diis præsidibus loci fecit. Jamque tertium, sicut præ- 23
ceptum erat, signum tuba miles acceperat, itineri simul paratus et prælio: strenueque jussi procedere, oriente luce pervenerunt ad angustias, quas occupare

Alexander tum sollicito corde volutaverat.

22. *Corpora milites curare.* Cibo potuque reficere. Liv. III, 2, de militibus ante prælium: « tum quidem corpora cibo somnoque curant. » — *Tertia vigilia.* In quatuor enim partes nox veteribus erat distributa, quas ex vigilum officio vigilias appellabant. De Romanis vera scripsit Cellarius; utrum etiam de Macedonibus non satis mihi liquet. Arrianus sane plerumque *ἀμφὶ μέσας νύκτας, ὑπὸ τὴν ἕω* et similia dicere solet. Aliis vero locis, ex. *c.* I, 23, 2, *ἀμφὶ δευτέραν φυλακὴν τῆς νυκτὸς* scripsit. — *Diis præsidibus loci.* Genium loci vocabant ex Pythagoræ disciplina, qui singulis locis genium præesse docuit. Eo factum est, ut qui novam regionem ingrederentur, præsidem et genium loci adorarent. Virgil. Æneid. V, 95: « Incertus, geniumne loci, famulumne parentis Esse putet... »; at VII, 136: «... Geniumque loci, primamque Deorum Tellurem, Nymphasque et adhuc ignota precatur Flumina..... » Vid. Ovid. Fast. I, 509. Arrianus neque de sacrificio neque de sollicitudine Alexandri aliquid tradidit.

23. *Oriente luce.* Qua die ad Issum pugnatum sit noscere possis ex Excursu III ad hunc librum. — *Pervenerunt ad angustias, quas occupare decreverant.* Aliæ præter pylas syrias angustiæ, quæ occupari potuissent, non erant. In his vero, si supra a Curtio dictis fides habenda esset, jam erat Alexander, §. 13: *forte eadem nocte Alexander ad fauces, quibus Syria aditur, pervenit;* et §. 19: eo *ipso loco metari suos castra jusserat.* Vides igitur, quanta incogitantia Curtius hæc omnia scripserit. Hoc severiori forsan judicio utitur Schmiederus. Si enim syrias pylas non intelligere est, alias citeriores intelligere quis vetat, quales, ut in montosa regione, multas fuisse dubium non est. Cæterum non sane infieias iverim rem omnem clarius adscribi posse ex Arriano. Alexander ad Myriandrum castra habens (fortasse eodem loco, ubi posteris temporibus urbs Alexandria fuit), de Darii adventu certior factus, convocatos duces suos hortatur; tum præmissis paucis, qui denuo pylas syrias occuparent, noctu cum universo exercitu in pylas redit; iisque media nocte occupatis, sub auroram denique ex pylis in Ciliciam pergit, in itinere pro natura locorum subinde aciem constituens. Vid. in mappa geog. montes quibus cingitur Cilicia.

24 decreverant. Darium triginta inde stadia abesse præmissi indicabant. Tunc consistere agmen jubet; armisque ipse sumptis aciem ordinat. Dario adventum hostium pavidi agrestes nuntiaverunt, vix credenti
25 occurrere etiam, quos ut fugientes sequebatur. Ergo non mediocris omnium animos formido incesserat: quippe itineri quam prælio aptiores erant, raptimque arma capiebant. Sed ipsa festinatio discurrentium, suosque ad arma vocantium, majorem metum incussit.
26 Alii in jugum montis evaserant, ut hostium agmen inde prospicerent; equos plerique frænabant. Discors exercitus, nec ad unum intentus imperium, vario tu-
27 multu cuncta turbaverat. Darius initio, montis jugum cum parte copiarum occupare statuit, et a fronte, et a

24. *Ordinat.* Hanc vocem ex nostris Regg. Codd. recepi. Plerique scribunt *ordinabat*, sed præcessit *jubet*. In proxima sententia nostri ponunt *animo*, omittunt *incesserat* et *quam*.

25. *Itineri quam prælio aptiores.* Galeæ forte et thoraces in sarcinis ferebantur, etc. Arma enim fere induebantur, quum ad prælium iretur. Atque hinc ex contrario cognoscitur, ut scripsit Fremshemius, quid sit *itineri simul et prælio paratum esse*; nempe armis non in sarcinas colligatis, sed aptatis corpori et ad congressum paratis iter facere.

27. *Montis jugum.* Ut hic omnis locus et sequens caput intelligatur, delineanda regio est, situsque campi, montis et maris, circa Issum et Pinarum amnem, et hoc ex antiquis probisque scriptoribus. Adi ergo Excursum III ad hunc librum, mappamque geographicam, tum eam qua pugna ad Issum ex Arriano, Curtio, aliisque depingitur; tum præsertim mappam Alexandrini imperii qua varios utriusque exercitus motus clarius intelligere possis. — *A fronte et a tergo circumiturus hostem. A fronte*, dum lævum cornu aciei ita extenderet, ut supra dextrum Alexandri emineret; *a tergo*, viginti millibus in montibus ad lævum cornu suum ita collocatis, ut dextrum Alexandri cornu a latere et a tergo invadere possent; *a mari quoque*, *quo dextrum ejus* (i. e. Darii) *cornu tegebatur*, *alios objecturus*, i. e. in planis locis prope mare, ad quod Darii dextrum, Alexandri lævum cornu pertingebat, *quo tegebatur*, sive ita defendebatur, ut circumiri non posset, cum aliis copiis impetum facturus. Ne vero a classe tectum opineris, ut Raderus injuria credidit, quam tum nec Darius nec Alexander habebant. Si enim, ut Justin. XI, 10, 4, narrat, post pugnam issicam Alexander Parmenionem ad occupandam persicam *classem* misit; locum corruptum esse certissimum est. Nam Parmenio, consentientibus reliquis auctoribus, Damascum mittebatur ad occupandam persicam *gazam*, quæ

tergo circumiturus hostem: a mari quoque, quo dex-
trum ejus cornu tegebatur, alios objecturus, ut undi-
que urgeret. Præter hæc viginti millia præmissa cum 28
sagittariorum manu, Pinarum amnem, qui duo agmina
interfluebat, transire et objicere sese Macedonum co-
piis jusserat; si id præstare non possent, retrocedere
in montes, et occulte circumire ultimos hostium. Cæ- 29
terum, destinata salubriter, omni ratione potentior for-
tuna discussit: quippe alii præ metu imperium exseqni
non audebant; alii frustra exsequebantur; quia, ubi 30
partes labant, summa turbatur.

IX. Acies autem hoc modo stetit. Nabarzanes equi- 1
tatu dextrum cornu tuebatur, additis funditorum sagit-
tariorumque viginti fere millibus. In eodem Thymo- 2

vox Justino ex Curtio III, 12, 27, et 13, 5, reddenda est.

28. *Præter hæc viginti millia præmissa*. Si Arrianum in descriptione prælii diligentissimum adis, de his ita loquitur. Darius initio de Alexandri adventu certior factus, triginta equitum, viginti peditum millia trans Pinarum missa, hosti objecerat, quorum periculo tutus reliqui exercitus aciem ordinaret. Acie vero, antequam pugnæ initium factum esset, constituta, equites omnes revocatos in dextro suo cornu ad mare collocavit; peditum vero Arrianus non amplius mentionem fecit. Hi forte sunt, de quibus h. l. Curtius, qui, transiere quidem, sed ab ipso Dario revocati sunt. — *Si id præstare non possent*. Spuria et subjecta videtur interpretibus vox *præstare*. Sed qua de caussa non satis video, quum apud omnes codd. legatur.

30. *Quia, ubi*. Tota hæc ultima sententia in Cod. Pal. 1, apud Freinshem., omittitur. Hic adscribere liceat versus quibus Gualterus duas sententias e soluto sermone transtulit: « Utile propositum, Regique suisque salubre Quod ratus est, verum ratione potentior omni Discussit fortuna procax... » et infra: « .... partesque labant ubi summa movetur, Quumque caput nutat, turbari membra necesse est. »

1. *Nabarzanes equitatu dextrum cornu tuebatur*. Equitum erant XXX millia; at nihil addit Arrianus de funditoribus et sagittariis.

2. *In eodem*. Ne cum Freinshemio legere velis *in medio*. Nec Arrianus nec Curtius in descriptione aciei *de media acie* loquuntur. Utraque acies, et persica et macedonica, dividitur in duo cornua, dextrum et lævum; ubi utraque cornua concurrunt, ibi quidem medium aciei est: at agmina non ita constituta erant, ut alia, in medio sejunctim collocata, mediam aciem conficerent, alia, a dextra et læva mediæ, dextrum et lævum cornu. Triginta equitum, triginta Græcorum millia, summatim sexaginta millia,

des erat, Græcis peditibus, mercede conductis, triginta millibus præpositus. Hoc erat haud dubium robur
3 exercitus, par Macedonicæ phalangi acies. In lævo cornu Aristomedes Thessalus viginti millia barbarorum peditum habebat. In subsidiis pugnacissimas locaverat
4 gentes. Ipsum regem in eodem cornu dimicaturum tria millia delectorum equitum, assueta corporis custodia, et pedestris acies quadraginta millia sequeban-

stabant in cornu dextro; alia sexaginta in lævo. Variæ sunt in æstimanda hujus prælii descriptione interpretum sententiæ. Quem enim Raderus laudat, Freinshemius et Cunzius vituperant. Arrianum potiorem habeo, qui, quum ipse dux esset peritissimus, utriusque exercitus ordinem summa diligentia delineavit. — *Haud dubium.* Alii *haud dubie*, quod præfero. *Par phalangi* vocatur *acies*, non numero, sed virtute. Alexandri enim phalanx peditum duodecim tantum millia habebat, sed fortitudine et longo bellorum usu clarissimorum.

3. *Aristomedes Thessalus.* Pheræus, transfuga ad Darium, Arrian. II, 13, 2. — *Viginti millia barbarorum peditum.* Ex Arriano in lævo cornu sexagies mille pedites, Cardaces vocatos, stetisse discimus. Totidem numerat noster. Quadraginta illa millia, quæ mox Darium sequuta dicuntur, his viginti millibus addenda sunt. — *In subsidiis.* « *Subsidium*, inquit Festus, quod postpositum est ad subveniendum laborantibus. » Sæpius stabant a tergo principum, sed hic in eadem fronte ad subveniendum Thessalis fuisse, et, quamvis repugnante Schmiedero, Curtium ab Arriano non plane dissensisse crediderim, qui Darium in eadem fronte pugnacissimas locavisse gentes affirmat, h. e. ipsa illa XL millia, τοὺς Κάρδακας, καρδὰ γὰρ τὸ ἀνδρῶδες καὶ πολεμικὸν λέγεται, ut testatur Strabo, lib. XV.

4. *Ipsum regem in eodem cornu* (nempe lævo) *pugnaturum.* A dextra Darii erant viginti millia Aristomedis, a læva XL millia, reliqua Cardacum. Cæterum si Curtius Darium in lævo cornu, Arrianus, II, 8, 18, in media acie, ex more regum Persarum, stetisse narrant, neuter errat. Si ad aciem Darii eos numeras, qui inter radices montium et mare constituti erant, sine dubio Darius in lævo cornu constitit, in quod Alexander cum dextro suo impetum faciebat. Si vero illos quoque, qui in montibus a latere et tergo Alexandri collocati erant, ad aciem Darii pertinere censes, tum utique Darius medium circiter totius locum tenebat, quamvis Alexander ob paucitatem suorum cum dextro suo cornu in Darium ipsum incideret. Ea enim persicæ aciei pars lævum cornu vocatur, quæ dextro cornu Macedonum contraria erat. Eadem dici possunt ad Arrianum III, 2, 21, et Curtium IV, 14, 8, quum pugna ad Arbela describitur. Eum morem Persarum regum testantur Xenopho, I Expedition., et Brisson. I, p. 131. — *Assueta corporis custodia.* Vulgo legitur : *assueta corporis custodiæ.* Ego vero verbum *custodia* in primo casu, pro *custodiæ* reposui ex nostris Regiis Codicibus, et assentiente Modio.

tur. Hyrcani deinde Medique equites his proximi; cæterarum gentium ultra eos dextra lævaque dispositi. Hoc 5
agmen, sicut dictum est, instructum sex millia jaculatorum funditorumque antecedebant. Quidquid in illis 6
angustiis adiri poterat, impleverant copiæ, cornuaque hinc a jugo, illinc a mari stabant: uxorem matremque regis, et alium feminarum gregem in medium agmen acceperant. Alexander phalangem, qua nihil apud 7
Macedonas validius erat, in fronte constituit. Dextrum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur: huic proximi stabant Cœnos, et Perdiccas, et Meleager, et

5. *Hyrcani deinde Medique equites.* Psuci numero propter locorum iniquitatem. Arrian. II, 8, 17. — *His proximi.* Sic omnem sententiam e plurimis Codd., interque alios e nostris vetustissimis scribere non dubitavi, et e Snakenburgii conjectura interpungere. Plerique editi, post Freinsheminm, sententiam omnem ita leguut: *H. deinde, M. q. equites: his p. c. gentium, dextra l. q. d.;* quibus quidem verbis qui sensus inest non sane perspicio: nam, ut optime notavit *Schmieder*, si Hyrcani et Medi a dextra sequebantur illa quadraginta millia, et a læva contingebant montes, quomodo fieri potuit, ut alii equites ab eorum dextra lævaque disponerentur? contra in his Curtii verbis, cum emendatione nostra, ea suntquæ Arrianus, descripta Persarum acie, addit: nempe reliqua expeditorum ac gravis armaturæ multitudo, secundum gentes (sive singulæ gentes seorsim), in altitudinem inutilem composita, a tergo Græcorum et barbarorum in prima acie collocatorum erant. — Post *gentium* subaudi *equites*, et *ultra eos* intellige *post eos*, *a tergo eorum* in utroque cornu dispositi. — *Sex millia jaculatorum funditorumque.* Quorum alios mentionem non fecit.

6. *Hinc.* Ad lævam. *Illinc.* Ad dextram. — *Uxorem matremque regis.* Quas infra in castris captas tradit, c. 11, 14, exercitu fugato; unde patet reginas modo affuisse ut aciem instructam spectarent, easque deinde in castra rediisse. Mox pro, *alium fem. gregem*, Cod. Pithœi et nostri *aliarum feminarum gregem* habent.

7. *Phalangem.* De Phalange vid. Excurs. I ad hunc librum. — *Dextrum cornu*, sc. phalangis sive peditum Macedonum gravis armaturæ. Nicanor præerat *agemati peditum* et agmini, quod ab Arriano *hypaspitarum* vocatur. Amborum summatim erant sex millia. Universo vero cornu dextro præerat Alexander ipse. — *Huic proximi stabant.* Hoc est, lævum cornu phalangis tuebantur Cænos, etc. Erat in exercitu macedonico agmen, quorum milites vel *hoplitæ*, vel, ut plerumque, *pezetæri* vocabantur, in sex chiliarchias divisum, quarum singulis tum præerant Cænos, Perdiccas, Meleager, Ptolemæus, Amyntas et Craterus. Universas regebat Craterus. Toti lævo cornu, h. e. his pezetæris, equi-

Ptolemæus, et Amyntas, sui quisque agminis duces. In
8 lævo, quod ad mare pertinebat, Craterus et Parmenio
erant; sed Craterus Parmenioni parere jussus. Equites
ab utroque cornu locati: dextrum Macedones, Thes-
9 salis adjunctis, lævum Peloponnenses tuebantur. Ante
hanc aciem posuerat funditorum manum, sagittariis

tibus st reliquis, qui a læva pezetæron ad mare usque collocati erant, præfectus erat Parmenio. Verum igitur est, Craterum (sc. cum omnibus pezetæris) Parmenioni, qui totum cornu regebat, parere jussum fuisse; at erravit Curtius, quum inter singula pezetæron agmina Crateri chiliarchiam non commemoraret, nescius has ipsas pezetæron chiliarchias phalangis peditum cornu lævum fuisse. Qui stricte sequitur Curtii verba, nondum aliunde rectius instructus, in dextro cornu Nicanorem, in medio quinque agmina Cœni, etc., in lævo cornu Craterum et Parmenionem cum peditum agminibus stetisse putabit: quod falsum. Freinshem. quidem Curtium cum Arriano conciliare ultitur ingeniosa conjectura, minima enim verborum immutatione hunc locum optime ita constituit: *Et Perdiccas. At M., et P., et A., sui quisque agminis duces, in lævo, q. a. m. pertinebat. Craterus et Parmenio præerant*, Craterus quidem peditibus solis, et *Parmenioni parere jussus*, qui pedites, equitatum, etc. ducebat. Sed ea lectio nullis codd. ultitur. — *Pertinebat*, versus mare collocatum erat.

8. *Dextrum Macedones.* Primi in exercitu macedonico equites, ex Macedonia ipsa conscripti, *equites amici* vocabantur, eosque Curtius h. l. simpliciter *equites Macedones*, infra vero, lib. VI, 9, 21, *optimam exercitus partem, principes nobilissimæ juventutis* appellat. Constabant octo alis, quarum prima *ala regia* sive *agema equitum* erat. Omnibus, numero circiter mille et septingentis, præerat Philotas, Parmenionis filius. His principio in dextro cornu adjunxerat Alexander Thessalos equites, dignitate secundos. Sed quum universum Persarum equitatum lævo suo cornu videret objectum, Thessalos a dextro in lævum ad Parmenionem misit. Cæterum h. l. Codices variant; nostri legunt *adjuncti*; nous *et Thessali adjuncti*. — *Peloponnenses.* Cod. noster 5718 *Peloponnensi*, ex quo fortasse fluit Heinsii conjectura, *Peloponnesii*. Hi erant socii, quibus alii quoque sociorum et Græci mercenarii, omnes equites, adjuncti erant.

9. *Ante hanc aciem*; et paullo post: *ante agmen ibant*. Hoc *ante* redolet versionem ex Græco. In Græcis aciem describentibus, ubi ab altero ad alterum cornu agmina deinceps enumerare solent, verba *πρὸ τούτων ἐπιτετάχατο* nihil aliud significant quam *τούτοις ἐχόμενοι ἐπιτετάχατο*, h. e., a latere eorum, qui priores nominabantur, stabant. Revera, etiam hoc in prælio, non *ante hanc aciem*, nempe ante frontem agminum modo recensitorum, sed ab eorum latere in dextro suo cornu Alexander sagittarios aliosque levis armaturæ equites peditesque constituerat. *Thraces* vero *et Cretenses* ibant a latere lævo peditum amicorum, inter eosdem et sociorum equitatum. Vocula *πρὸ*, male intellecta etiam in

admixtis. Thraces quoque et Cretenses ante agmen
ibant, et ipsi leviter armati. At iis, qui præmissi a 10
Dario jugum montis insederant, Agrianos opposuit ex
Græcia nuper advectos. Parmenioni autem præcepe-
rat, ut, quantum posset, agmen ad mare extenderet;
quo longius abesset montibus, quos occupaverant
barbari. At illi neque obstare venientibus, nec circum- 11
ire prætergressos ausi, funditorum maxime aspectu
profugerant territi: eaque res tutum Alexandro ag-
minis latus, quod ne superne incesseretur timuerat,
præstitit. Triginta et duo armatorum ordines ibant; 12

Diodoro XVII, 33, Curtium in errorem induxit. Ita scripsit, ac si Alexander cum duobus agminibus separatis impetum fecisset, qui tamen, omnibus copiis in una fronte locatis, omni simul fronte hostes adortus est; quod, si Arrianum, sigillatim omnia describentem, legeris, extra omne dubium erit.

10. *Agrionos.* Quos non satis accurate ex Græcia advectos dicit; nam sedes gentis in septemtrionalibus Macedoniæ ipsius regionibus erat, unde longe maximam partem pedestri itinere ad Alexandrum pervenerant. Quod sentiens Jac. Gronovius legere voluit: *Agrianos opposuit, et ex Græcia nuper advectos.* Oppositi erant a tergo dextri cornu iis, quos Darius in montibus, Alexandri aciem circumituros, locaverat. Frontem igitur monti oppositam habebant, tergum suis. De nomine eorum vide notam ad IV, 15, 22. — *Quo longius abesset montibus.* Minime; sed, ne a mari quoque circumiri posset. Videas Arrian. Nostri Codd. legunt: *abesset acies montibus.* Minime quoque credendum est barbaros, funditorum adspectu territos. Fugisse eos ex radicibus in summos montes, ex Arriano constat.

12. *Triginta et duo armatorum ordines ibant.* Alieno loco hæc interjecta sunt. Lucem affert Arrianus, sine cujus diligentissima acierum descriptione ne superiora quidem satis explicari potuissent. « Alexander, inquit, ex pylis syriis per viam in planitiem issicam descendens, quamdiu magna erat viarum angustia, angustam sive potius rectam etiam aciem ducebat; h. e. ita ut pauci præirent, atque a tergo primorum reliqui sequerentur. Ubi vero sinus montium se laxare cœperunt, explicabat subinde cornu in phalangem, alium atque alium ordinem armatorum ab altitudine (sive a tergo priorum) in longitudinem (sive eamdem cum principibus frontem) adducens atque promovens, dextra montem, læva mare versus. » Hoc igitur factum est, antequam Alexander in planitiem descendens aciem perfectam constitueret. Ordines quidem in angustiis ex triginta et duobus armatis constare poterant; at supra aciem ipsam descriptam hoc narrandum erat. De omni acierum descriptione moneo, quod ante me *Schmieder* jure ac merito monuerat, nempe Curtium bonum aliquem auctorem, Ptolemæum forte,

neque enim latius extendi aciem patiebantur angustiæ. Paulatim deinde se laxare sinus montium, et majus spatium aperire cœperant; ita ut non pedes solum pluribus ordine incedere, sed etiam lateribus circumfundi posset equitatus.

1 X. Jam in conspectu, sed extra teli jactum, utraque acies erat, quum priores Persæ inconditum et tru-
2 cem sustulere clamorem. Redditur et a Macedonibus

legisse; interdum enim ad verbum vertit græca Arriani, qui Ptolemæum maxime sequitur. Partim vero auctorem suum non intellexisse, partim rerum bellicarum nimis rudis fuisse videtur; nomina quoque et numeri vix locum præbebant ornate scribendi: negligenter igitur, quibus supersedere non posse videbatur, in chartam conjectis, ad alia properabat. Universam agminum seriem vide in excursu III ad hunc librum, quo plura de Arriano cum cæteris historicis collato transtulimus. — *Pluribus ordinibus.* Quomodo? quum angustiæ non prohibeant multitudinem ordinum, sed militum singulorum in singulis ordinibus. In angustiis quidem tot ordines, non vero in his ordinibus tot milites, quot lubitum est, possunt collocari, quum, prout angustiæ laxiores arctioresve sunt, singuli etiam ordines plures paucioresve admittant. Libri alii habent *ordine*, quod puto esse rectum, sed elliptice positum pro *in ordine*. Pedes potest ire pluribus in urdine, id est, possunt pedites plures ire in unoquoque ordine. Sic *Scheffer* et *Schmieder*, quibus assentior. Mox cum pluribus Codd., nostrisque regiis, et edd., pro *a lateribus* scripsi *lateribus*, omisso *a*.

1. *Priores Persæ.* Rem ita a Diod. XVII, 33, narratur ex versione Wesselingii: « Jamque intra teli jactum perventum erat (adverte in Diodoro, clamori locum fuisse non ante sed post Alexandri orationem, quum jam intra teli jactum erant, quod verisimilius videtur). Quum bellicum utrinque tubarum clangore intonuisset, Macedones primi, excitato barritu, clamorem ingentem edunt: dumque a barbaris ex adverso responsatur, omnis regio montana in propinquo mugitum retorquet. Sed crassitudo hujus vociferationis priorem longe superabat, quippe quam millia hominum quingenta simul extulerant. » De hoc ululandi more ante pugnam vide præter Lipsium, Milit. IV, 11, et Gruterum in Tacit. a Freinshemio allatos, Spanhem. ad Juliani Or. I, p. 233, et nostratem *Car. Dufresne* ad *Joinville*, diss. XI et XII, p. 204.

2. *Redditur et a Macedonibus.* Plerique edd. ex Freinshemio sententiam omnem ita legunt: *redditur et a Macedonibus major, exercitus impar numero, sed jugis montium vastisque saltibus repercussus*, quod quidem ego cum Modio inepte dictum arbitror; nam juga montium et saltus non Macedonum solum sed Persarum quoque clamorem augere debebant. Codices in diversa discedunt, quorum vestigia sequnti alii alia conjecerunt, ex quibus fortasse conjectura margini ed. Gryph. adscripta placebit: *exercitus impari*

major exercitus numero, jugis montium vastisque
saltibus repercussus: quippe semper circumjecta ne-
mora petræque, quantamcumque accepere vocem,
multiplicato sono referunt. Alexander ante prima signa 3
ibat, identidem manu suos inhibens, ne suspensi,
acrius ob nimiam festinationem concitato spiritu, ca-
pesserent prælium. Quumque agmini obequitaret, va- 4
ria oratione, ut cujusque animis aptum erat, milites
alloquebatur. Macedones, tot bellorum in Europa vic-
tores, ad subigendam Asiam atque ultima Orientis,
non ipsius magis quam suo ductu, profecti, inveteratæ

numero. Schmied., quia *sed* a plerisque Codd. abest, et voces *exercitus impar numero*, glossema redolent ad *major*, quatuor has voces uncis intersepsit, tamquam insititias, ut clamor Macedonum montium jugis *major repercussus* dicatur, h. e. major redditus quam acceptus. Huic ego non ascribo, nisi quod vocem *sed* expungo. Cæterum sententiam ad verbum ex nostris regg. Codd. 5717, 5718, transtuli, in quibus nec *sed*, nec *impar* invenire est, et ita sententiam interpretor, quod approbant Raderus et *Tellier : Redditur a Macedonibus major*, non sane hostium clamore, quod absurdum foret, quodque negat Diodorus, sed *major exercitus numero*, id est, quam ferebat exercitus numerus, utque lector intelligat quomodo posset major esse quam pro numero exercitus clamor, Curtius addidit: *jugis montium*, etc. *repercussus*. Eodem sensu legebat Schæfferus : *major exercitus , ut jugis*, etc.

3. *Ne suspensi, acrius ob nimium festinationem concitato spiritu, capesserent prælium*. Sic interpretor : *suspensi spiritu acrius concitato* ; h. e. non utentes liberis viribus propter spiritum acrius concitatum, sed torpentes. Sic Liv. I, 25, 3 : « erecti suspensique animo intenduntur » ; et mox explicatur : « torpebat vox spiritusque. » In vitiis tactici numerant si vires militis accursu vel itinere ante prælium hauriantur. Veget. III, 2 : « observetur ne longo spatio fatigatum militem ad prælium cogat. » Ergo non placuit Alaxandro properare militem, dum adhuc extra teli jactum erat, ne, antequam cominus fieret, spiritus eum deficeret. Quum vero prope hostem ventum esset, incitatissimo cursu manum conserere jussit. Pro *capesserent bellum* propter optimorum Codicum consensum scripsi *capesserent prælium*, quamvis *bellum* interdum pro *prælio* dici non ignorarem. Mox cum iisdem, *quumque agmini obequitaret* scripsi, ubi vulgo *agmen est*.

4. *Ut cujusque* vel *cujuscumque*, quod duo Codd. offerunt, sc. gentis, nempe Macedonum, Thracum, etc. Modius legi malebat : *ut cujusque animus erat*. Mox unus Cod. habet : *ad subjugandam* pro *ad subigendam*. — *Non ipsius magis quam suo ductu*. Ambigua oratio in vocibus *ipsius* et *suo*, ita ut *ipsius* referatur ad Alexan-

5 virtutis admonebantur. Illos terrarum orbis liberatores, emensosque olim Herculis et Liberi patris terminos, non Persis modo, sed etiam omnibus gentibus impondituros jugum; Macedonum Bactra et Indos fore; minima esse, quæ nunc intuerentur, sed omnia vic-
6 toria parari. Non in præruptis petris Illyriorum, et Thraciæ saxis sterilem laborem fore; spolia totius Orientis offerri. Vix gladio futurum opus; totam aciem suo pavore fluctuantem umbonibus posse propelli.
7 Victor ad hæc Atheniensium Philippus pater invocabatur; domitæque nuper Bœotiæ, et urbis in ea nobilissimæ ad solum dirutæ species repræsentabatur animis. Jam Granicum agmen, jam tot urbes, aut ex-

drum, *suo* ad ipsos milites, hoc intellectu: Macedones tam prompte ad expeditionem asiaticam et persicam profectos, ut suamet ipsorum potius voluntate profecti sint, quam Alexandri impulsu.

5. *Orbis liberatores.* A Persarum jugo. Bellam quidem speciem Alexander suis consiliis prætendit; ideoque se Herculi comparabat. Sed regi Alexandro respondet philosophus Seneca, de Benefic. 1, 13: « Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transivit non concupiscendo sed vindicando. At hic (Alexander) a pueritia latro gentiumque vastator. » — *Emensos olim*, si in posterum emensi essent *terminos* itinerum *Herculis et Bacchi*, qui in Indiam usque penetraverant. Sed quomodo, exclamat *Schmieder*, constat oratio: illos gentium liberatores gentibus imposituros esse jugum? At non melius inter se constabant mens et verba Macedonis. Inter speciosa illa orationis figmenta, veræ et intimæ mentes serius ocius deprehenduntur. — *Macedonum Bactra.* Boni Codices inserunt *provincias*. Proprie Bactra non est provincia, sed maxima Bactrianæ, regionis ad lævam Oxi sitæ, urbs. Pro *parari* in quibusdam est *aperiri*. Mox plures habent: *non in præruptis*. Mallem quidem: *non de præruptis*, etc. At propter Codices restitui illud *in*, in vulgata deficiens. — *Umbonibus posse propelli.* Clypei media rotunditas *umbo* dicitur. Quintilianus hanc sententiam de viro forti « bellum umbone propellit » vitiosam dicit, quia nimia; at hic Curtius non de viro sed de exercitu loquitur, et non *bellum* sed *aciem* scripsit. Cæterum, ut bene notavit Snakenburgius, dubitet quis merito an ipse Fabius hoc loquendi genus damnasset assignatum Alexandro cujus immenso animo et ardori accommodatissimum videtur. — *Fluctuantem*, incertam quid faciendum sit ob nimium timorem.

7. *Victor Atheniensium.* Apud Chæroneam. — *Domitæ nuper Bœotiæ.* Hoc est ab Alexandro ipso, caput Bœotiæ, Thebas diruente. — *Granicum amnem*, ubi primum prælium contra satrapas Asiæ minoris pugnaverat. — Inter *urbes expugnatas* memoratu

pugnatas, aut in fidem acceptas; omniaque, quæ post tergum erant, strata et pedibus ipsorum subjecta memorabat. Quum adierat Græcos, admonebat ab iis 8 gentibus illata Græciæ bella, Darii prius, deinde Xerxis insolentia, aquam ipsam terramque postulantium, ut neque fontium haustum, nec solitos cibos relinquerent. Dein deûm templa ruinis et ignibus esse deleta; 9

digniores sunt Miletus, Halicarnassus, Aspendus, Salagassus; in fidem receptæ, sine obsidione deditæ erant reliquæ Asiæ minoris urbes.

8. *Quum adierat Græcos*, etc. Locus est, qui præ multis omnium ingenia interpretum exercuit, sed non sane, ut iniquissimo animo affirmat *Schmieder*, propter Curtii ipsius ignorantiam. Omitto Raderi ad hunc locum errorem, Modiique et Acidalii pravam interpretationem, insulsasque, mea quidem sententia, cavillationes. Sed qua de caussa *Schmieder* in Curtium tam obstinato animo invehitur? Alexander *admonebat* Græcos, *ab iis gentibus*, Persis Medisque, *illata* esse olim *Græciæ bella*, *Darii* Hystaspis *prius*, deinde Xerxis *insolentia*, quæ in eo constabat, ut a Græcis *aquam terramque postularent*, h. e. ut poscerent a Græcis, ut se et fines suos Persarum imperio subjicerent. Quæ enim gentes regi Persarum aquam terramque mittebant, ob id ipsum, se Persis absolute subjectas confitebantur. « At quid faciamus, inquit *Schmieder*, verbis : *ut neque fontium haustum nec solitos*, adsuetos, *cibos relinquerent?* Scilicet Curtius non intellexit dicendi formulam : *aquam terramque postulare*. Ita scripsit, ac si Persarum reges ipsos Græciæ fontes, ipsos Græcorum agros sibi habere voluissent, ut Græci, patria exacti, non amplius suos biberent fontes, non amplius ederent cibos solitos, e patrio solo procreatos. » Non ita, hercule! interpretandus est Curtius. Formulam quidem intellexit, sed, ut majorem excitaret invidiam, alium in sensum detorsit, quasi Persæ non solum verborum formula, absolutam tantum deditionem significanti, sed re etiam vera, Græcis fontium haustu terræque cibis interdicere vellent, « pro quibus solis, ut ait Taxiles apud Plutarch, Alex. c. 103, necesse habent homines suoi decertare. » Formulam quoque optime intelligebant Lacedæmonii, quum Xerxis legatum aquam terramque postulantem puteo immersum terra injecta obruebant, Xerxique nuntiabant se dedisse legato ejus quod postulaverat, quum regi ipsi dare non possent, ut scribit Polyb. XII, 32.

9. *Dein deum templa*. Plurimi Codd. habent vel *dedita eis*, vel *dedita deis templa*. Unde Heinsius et Rutgersius scribendum censuerunt : *dedicata deis templa*, quoniam *dedendi* verbum in consecrationibus non sit usitatum. In re dubia vulgatam non mutavi. Persas Græcorum templa evertisse satis certum est, sive hoc vindictæ caussa fecerint (nam Græci priores urbem Sardes ejusque templa conflagraverant), sive impetu quodam religioso, quod ipsi, unius supremi numinis cultores, illud templis quasi includi, indigne ferrent. Priorem caussam affert Herodot. V, 102, et VI, 101; posteriorem vero Tullius, de Legibus II, 10, et

urbes eorum expugnatas; fœdera humani divinique juris violata referebat. Illyrios vero et Thracas, rapto vivere assuetos, aciem hostium auro purpuraque fulgentem intueri jubebat, prædam, non arma gestantem.
10 Irent, et imbellibus feminis aurum viri eriperent, aspera montium suorum juga, nudosque colles et perpetuo rigentes gelu ditibus Persarum campis agrisque mutarent.

1 XI. Jam ad teli jactum pervenerant, quum Persarum equites ferociter in lævum cornu hostium invecti sunt; quippe Darius equestri prælio decernere optabat, phalangem Macedonici exercitus robur esse conjectans. Jamque etiam dextrum Alexandri cornu circumibatur.
2 Quod ubi Macedo conspexit, duabus alis equitum ad

Ascon. Ped. in Cicer. de Pract. Urbis. Nec desunt interpretes adeo absurdi et ridiculi ut Xerxem templa Græcorum incendisse dicant quod a Judæis veram religionem edoctus, ex præcepto Deuteronom., 7, 5, id sibi faciendum putaret. — *Divinique juris*. Divinum jus vocatur, quod sacerdotes et templa spectat.

10. *Imbellibus feminis*. Persis muliebriter exornatis. Mox, probante etiam Cellario, restitui *nudosque colles* pro *nud. calles*. *Juga montium* et *colles* opposita sunt *campis agrisque*. Quid quæso sunt calles perpetuo rigentes gelu? Si Curtium montes tam steriles dixisse credunt quam tritos calles, qui ne herbam quidem ferant, longius hoc repetitum esse vides. Denique pro *ditibus* in Cod. aliquo repertum videtur *mitibus*. Non male.

1. *Ad teli jactum*. Sagittarii et maxime funditores (Vegetio II, 23, teste) olim ad sexcentos pedes telum jaciebant, scopumque contingebant. — *Quum Persarum equites.... invecti sunt*. Plane contrarium narrat Arrian. II, 10, 5, primum impetum in hostem Alexandrum fecisse cum dextro suo cornu. — *Robur esse conjectans*. Nec enim ipse adhuc expertus erat; scire quidem ex aliorum relatu potuit. Acidalius tentabat legere : *robur detrectans :* sed ipse, crescente ætate, conjecturam suam damnavit.

2. *Quod ubi Macedo conspexit*, etc. Alieno Curt. loco has aciei macedonicæ emendationes enarrat, factas ante prælii initium, antequam intra teli jactum perventum esset (cf. Arr. II, 9); easque ita scripsit, ut nec Græcum auctorem suum, nec se ipsum intellexisse videatur. A dextra loci, in quo Alexander aciem constituerat, erat mons prominens, quem Persæ tenentes Alexandri cornu jam circumiverant; a læva aciei persicæ iterum erant montes. Inter utrosque vero montes, vallis, qua usi Persæ Alexandri cornu dextrum denuo ac secundo loco circumire poterant. Alexander igitur, illis in monte jam fugatis, quum propius accessisset ad

jugum montis jussis subsistere, cæteros in medium belli discrimen strenue transfert. Subductis deinde ex 3
acie Thessalis equitibus, præfectum eorum occulte circumire tergum suorum jubet, Parmenionique conjungi et quod is imperasset, impigre exsequi. Jamque ipsi, 4

Persarum aciem, dextrum suum cornu iterum circumiri posse conspicatus, aciem suam emendavit, duas equitum amicorum alas ex media acie, ubi minus viderentur necessariæ, in ipsum cornu extremum ad extendendam frontem circumduxit, iisque omnes, quos Persis in montibus a dextra prominentibus objecerat, ita adjunxit, ut ipse lævum cornu Persarum superaret. Posteriorum loco, ad Persas in montium jugis observandos, trecentos equites relinquere satis habebat. Hi ccc sunt Curtii *duæ alæ, ad jugum montis subsistere jussæ*. Quibus igitur sic locatis, minime Alexander eos reprimere voluit, qui ex acie Persarum dextrum cornu suum circumirent. Reliquorum vero at equitum et peditum, quibus Alexander frontem in dextro cornu auxerat, Curtius mentionem non fecit. Igitur sub *cæteris, in medium belli discrimen strenue translatis*, intellexit universum exercitum. Jam enim signa collata esse arbitratur, cornu per duas illas alas, ut putare videtur, satis firmato. Quis credat vero Alexandrum eodem tempore, quo periculum erat, ut dextrum cornu circumiretur, Thessalos a dextro cornu in lævum misisse? Minime. Illa enim aciei emendatio, qua longius reddebatur dextrum cornu, ideo maxime necessaria fuit, quod Alexander antea, quum adhuc aciem constitueret, non post, quum jam ferretur in hostem (ut ex Curtii, omnia invertentis, narratione concludere possis), Thessalos equites, primum in dextro cornu locatos, clam hoste atque a tergo Macedonum ad lævum cornu transire jusserat, cui omnem ferme Persarum equitatum obstare viderat. Sibi vero, eodem cap. §. 13, contradicit Curtius, illos enim repente e sinistro cornu translatos in dextrum nescio qua fortuna *a Persis urgeri* affirmat. Omnia alia turbata sunt magisque etiam permixta quam in ipso prælio pugnantes fuerint. Primo de utroque cornu speciatim locutus, mox unam ubique aciem facit, in qua profligatur Darius, nempe ab Alexandro qui in dextro suo cornu erat: Alexander autem hostem insequi non audet, altero adhuc cornu pugnante. Interim tamen quod Rex victor non audet, audet adhuc in discrimine constitutus Parmenio. Fugientibus enim equitem immittit, tamquam sibi ad pugnam supervacuum. Interim nulla hic de Græcia, præcipua spe Darii, et propemodum unica, mentio, nisi quod tandem abruptos a cæteris, haud sane fugientibus similes evasisse tradit: quasi interim spectatores tantum fuissent; nec ullum aut Macedonibus exhibuissent negotium aut ab ipsis sustinuissent. Quanto melius, aptius, disertius hæc omnia Arrianus? Ea quidem, ut justissimis de caussis dicta, e Frainshemio Schmiederoque transtuli. Ut diligentiorem hujus prælii descriptionem habeas, adi nostrum III Exc. ad hunc librum. — *Quod is imperasset.* Noster Cod. 5718 omittit *imperasset;* noster 5717 scribit *impetrasset*, sed altera manu in margine, *imperasset*.

4. *Jamque ipsi.* Ne intelligas Thes-

in medium [Persarum] undique circumfusi, egregie se tuebantur; sed conserti et quasi cohærentes tela vibrare non poterant: simul erant emissa, in eosdem concurrentia implicabantur, levique et vano ictu pauca in hostem, plura in humum innoxia cadebant. Ergo cominus pugnam coacti conserere, gladios impigre strin-
5 gunt. Tum vero multum sanguinis fusum est. Duæ quippe acies ita cohærebant, ut armis arma pulsarent,

salos, qui missilibus non pugnabant, nec Macedones, qui propter præcedentia intelligendi videntur, sed ipsos exercitus utrosque Macedonum et Persarum. Locus autem corruptus est, ex glossa, in contextum recepta voce *Persarum*, quam quis, ut locum pro suo intellectu explicaret, adscripserat. Reliqua sic interpretor: Primum observare velis gradationem: § 1. *Jam* ad teli jactum pervenerant; ibidem: *jamque* etiam dextrum Alexandri cornu circumibatur. Nunc pergit: *jamque ipsi* nempe exercitus, quum Persarum, tum Macedonum strenue in medium belli discrimen translatorum, *egregie se tuebantur* (nostri Codd. *eg. tuebantur*), non male pugnabant, *in medium undique circumfusi*, undique, dum signa conferrentur, in medium inter utramque aciem locum progressi, eumque occupantes, replentes. *Sed conserti et quasi cohærentes* utrique inter se exercitus, *tela vibrare* cum hostium damno *non poterant; simul ut* enim, quæ tela in principio emittebantur, *erant emissa, in eosdem concurrentia* (sive *occurrentia*, quod habet unus Codex), *implicabantur* inter se, vim suam perdebant, dum ex utraque acie conjecta inter se mutuo concurrerent, sibi occurrerent, ab iisdem in eosdem emissa; ab altera acie in alteram eodem tempore ita missa, ut inter se ipsa concurrerent. Hæc conjectura et explicatio quæ Schmiederi est, sequentibus etiam confirmari videtur. *Duæ quippe acies*, inquit, *ita cohærebant*, etc. Duo sunt, quæ maxime in verbis Curtianis displicent, alterum, ambiguitas in *jamque ipsi;* alterum, quod uno ore tela et *vibrari non potuisse* et *emissa esse* dicantur, quamvis, quod dicere voluerit, intelligi possit. Cæterum Diodorus non de telis ab utroque exercitu emissis loquitur, sed *barbaros* tantum narrat *tam densa conjecisse tela, ut propter multitudinem emissorum atque in se mutuo incurrentium leviores inferrentur plagæ*. Quod multo probabilius est. Alexander enim suos, antequam intra teli jactum perveniret, lento gradu duxerat; tum vero, cursu in hostes, ut verisimile non sit, eos aliquid temporis in telis vibrandis consumpsisse. Haud multo dissimilia a Diodoro Livius, XXXIV, 38, 2: « Missilibus Lacedæmonii pugnabant, a quibus se et magnitudine scuti perfacile Romanus tuebatur miles, et quod alii vani, alii leves admodum ictus erant: nam propter angustias loci, confertamque turbam, non modo non ad emittenda cum procursu, quo plurimum concitantur tela, spatium habebant; sed ne ut de gradu quidem libero ac stabili conarentur. Itaque ex adverso missa tela nulla in corporibus, rara in scutia hærebant. »

5. *Acies ita cohærebant.* Infinitus

mucrones in ora dirigerent. Non timido, non ignavo cessare tum licuit: collato pede, quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent. Tum demum ergo promovebant 6
gradum, quum hostem prostraverant. At illos novus excipiebat adversarius fatigatos: nec vulnerati, ut alias solent, acie poterant excedere, quum hostis instaret a fronte, et a tergo sui urgerent. Alexander non ducis ma- 7
gis quam militis munera exsequebatur, opimum decus cæso rege expetens; quippe Darius curru sublimis eminebat; et suis ad se tuendum, et hostibus ad incessen-

sim, si, cum Freinshemio, omnia veterum exempla hic afferre velim quibus exercituum hunc in modum consertarum conatus depinguntur. Omnium tantum originem adducere liceat, quosdamque præcipuos imitatores. Homerus igitur in Iliad. XIII, v. 130: Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ, Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ. Quibus versibus longe postponit Macrobius Virgilianam imitationem: « Hæret pede pes, densusque viro vir. » Et ante Virgilium veteres latini, A. Furius Antias: « Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir; » Ennius: « ...pede pes premitur, armisque teruntur et arma. » Qui plura velit, adeat Ovid. Metam. IX, 43; Statium, Theb. VIII, 398; Valer. Flaccum, VI, 182; IX, 321; Lucan. VII, 493; Hirtium, de Bello Hispan., c. 31; Amm. Marcellin. XVI, 30; XVIII, 21; XXXI, 38; Plutarch. in Pyrrho, 71; Liv. XXIII, 27, 5.

6. *At illos.* Sc. victores adversariorum, sive fuerint Persæ, sive Macedones.

7. *Alexander non ducis magis*, etc. Hactenus prælium descripsit respectu ad universum exercitum; nunc transit ad ea, quæ circa reges ipsos gesta sunt, Alexandrum atque Darium. Etiam hac gemina laude ducis et militis commendavit Homerus Agamemnona, Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. Et Sallust. de Catilina, c. 60: « Strenui militis et boni imperatoris simul officia exsequebatur. » De pugna circa Darium in principio prælii nihil dixit Arrianus; cum Diodoro, XVII, 33, 34, ex eodem auctore eamdem præcipue narrat Curtius. — *Opimum decus.* Opima spolia sunt, quæ dux duci detrahit. Vid. Livium, IV, 20; Suet. in Claud., 1: « Ex hoste super victorias opima quoque spolia captasse... » Hinc neutro plurali *opima*, ut agnomine proprio utuntur Plin., Paneg. 17; Senec. Herc. Fur., v. 40; Flor. II, 17, 11. — *Curru sublimis.* Persarum reges more veterum heroum curru vecti prælium inibant, quod omnes auctores testantur, neque Arrianus abnuit, uti Freinshemius, hoc nomine a Cunzio reprehensus, putabat, nempe versione latina Facii aut Vulcanii in errorem inductus. Arrianus enim ita, II, 11: εὐθὺς, ὡς εἶχεν ἐπὶ τοῦ ἅρματος, σὺν τοῖς πρώτοις ἔφυγε.

8 dum, ingens incitamentum. Ergo frater ejus Oxathres, quum Alexandrum instare ei cerneret, equites, quibus præerat, ante ipsum currum regis objecit: armis et robore corporis multum super cæteros eminens, animo vero et pietate in paucissimis, illo utique prælio, clarus, alios improvide instantes prostravit, alios in
9 fugam avertit. At Macedones, ut circa regem erant, mutua adhortatione firmati, cum ipso in equitum agmen irrumpunt. Tum vero similis ruinæ strages erat. Circa currum Darii jacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerant, adverso corpore
10 vulneribus acceptis. Inter hos Atizyes, et Rheomithres, et Sabaces prætor Ægypti, magnorum exercituum præfecti, noscitabantur: circa eos cumulata erat peditum equitumque obscurior turba. Macedonum quoque non quidem multi, sed promptissimi tamen cæsi sunt: in-

8. *Oxathres*, sive, ut alii scribunt, *Oxiarthes*, frater regis Darii, Curt. III, 13, 13, ex captivo postea corporis Alexandri custos. — *Instare ei cerneret*. Media vox abest a duobus Codd., Leid. et Voss. Noster Reg. 5718: *ei cerneret*, errore librariorum, omisso *instare*. — *Pietate* (erga fratrem) *in paucissimis*. Post *paucissimis* abstuli cum Schmiedero et nostro Cod. 5718 distinctionem finalem. Conjungenda sunt: *in paucissimis clarus*.

9. *Ut circa regem erant*. In plurimis inprimisque nostris Regg. Codd., abest *ut*. Præferrem cum Schmiedero: *qui c. r. erant*, ut est in C. Thuaer. et Oxon. — *Omnes in ora proni*. Vid. notas ad Florum, IV, 1, et I, 18. Sic Arrian. in fin. lib. II de Gazensibus: ἀπέθανον πάντες αὐτοῦ μαχόμενοι, ὡς ἕκαστοι ἐτάχθησαν. Adde Liv. VIII, 38, 14; XXVIII, 22, 16; XXX, 8, 8; Polyb. XV, 13 et 15: « Quem quisque locum acceperat, eum amissa anima tegebat », ut loquitur de Catilinariis, quamvis in turpi caussa Sallust. ult. cap.; in meliore de Atheniensibus Justin. IX, 3, 10. — *Adverso corpore*. Hæc virtutis decora, infamia vero, si sint averso corpore. Est autem *adversum* quod in pectore; *aversum*, quod in tergo habetur. A. Gell. II, 11: « Cicatricem aversam nullam, adversas 45 tulisse. »

10. *Atizyes*, etc. *Atizyes*, Phrygiæ magnæ satrapa, jam ad Granicum cum Alexandro pugnaverat, *Rheomithres* itidem; *Sabaces* prætor, h. e. satrapa fuerat Ægypti. Eosdem recenset Diodor. XVII, 34; eosdem, additis aliis, Arrianus. Nostri Codd. scrib. *Atizies et Throimites et Sataces*; Arr. II, 2, 38: Ἀρσάκης καὶ Ῥεομίθρης καὶ Ἀτιζύης; Diod. Sic. XVII, 34: Ἀτιζύης

ter quos Alexandri dextrum femur leviter mucrone perstrictum est. Jamque qui Darium vehebant equi, 11
confossi hastis et dolore efferati, jugum quatere, et regem curru excutere cœperant; quum ille, veritus ne vivus veniret in hostium potestatem, desilit, et in equum, qui ad hoc sequebatur, imponitur; insignibus quoque imperii, ne fugam proderent, indecore abjectis. Tum vero cæteri dissipantur metu, et, qua cuique 12
patebat ad fugam via, erumpunt, arma jacientes, quæ paulo ante ad tutelam corporum sumpserant:

καὶ Γεωμίθρης καὶ ὁ τοῦ Αἰγύπτου Σατράπης Τασιάκης. — *Alexandri dextrum femur leviter mucrone perstrictum erat*. Infra, III, 12, 2, *quippe summa cutis in femore perstricta*; cf. Diod. XVII, 34. Chares (ap. Plut. Alex. V, c. 33) ait, duos reges manus inter se conseruisse; sed hoc Radero ἄπιστον, quod Darius tam propinquum Alexandrum non exspectavit, et Alexander in epistola ad Antipatrum auctorem tacuit. Accipe ipsius verba : *συνέβη δέ μοι*, inquit, *καὶ αὐτῷ ἐγχειριδίῳ πληγῆναι εἰς τὸν μηρόν, ἀλλ' οὐδὲν ἄτοπον οὔτε παραχρῆμα, οὔτε ὕστερον ἐκ τῆς πληγῆς ἀπήντησεν*. Verisimilius igitur incertus erat auctor vulneris.

11. *In equum, qui ad hoc sequebatur*. Plut. V. Alex. c. 33, et Ælian. Hist. animal. VI, 48, equam, inquiunt, Darius conscendit, quæ, quod relicti memoriam pulli recordaretur, quanto maximo potuit studio et celeritate eum ipsum prædicatur ex periculo eripuisse. Diodorus Darium ex primo curru in alterum a ministris adductum conscendisse et sic primum fugisse refert. Cæterum aliter hæc de Dario narrat Arrianus II, 11, 6. Darius statim a principio, quum lævum suum cornu in fugam inclinaret, inter primos fugerat, ut erat, in curru; quum vero in iniqua incideret, curru cum insignibus relictis, in equum imponebatur. Fugatis Græcis eum persequebatur Alexander, sed frustra propter noctem. Reversus igitur currum tamen in castra abduxit. — *Insignibus quoque imperii*. (Conf. Brisson. de Regno Pers. lib. I), paludamento et armis regiis. Arrianus *κάνδυν* illud amiculum vocat; etiam scutum et arcum cum curru reliquisse tradit.

12. *Qua cuique*. Noster 5718 : *quæ cuique*. *Qua* Freinshemiana lectio est: — *Arma jacientes*. Hoc respondet notissimo illi infamiæ probro inter Græcos, quo *ῥίπτειν τὴν ἀσπίδα* dicebantur. Sallust. in Catil, c. 58 : « in fuga salutem sperare, quum arma, queis corpus tegitur ab hostibus, averteris, ea vero dementia est. » Et in Jugurth. c. 107 : « neminem decet qui manus armavit ab inermis pedibus auxilium petere : in maximo metu nudum ac cæcum corpus hostibus vertere. » Qua loca Victor. var. lect. l. XI, c. 2; et Freinshemius recte putant sumpta ex Xenoph. Cyropæd. III, ubi Assyrius Rex ad suos : « Stultum est eos qui superiores esse velint, cæcas corporis partes, et armis ac manibus destitutas, per fugam hostibus obver-

13 adeo pavor etiam auxilia formidat. Instabat fugientibus eques a Parmenione missus, et forte in id cornu omnes fuga abstulerat. At in dextro Persæ Thessalos equi-
14 tes vehementer urgebant. Jamque una ala ipso impetu proculcata erat, quum Thessali strenue circumactis equis dilapsi, rursus in prælium redeunt, sparsosque et incompositos victoriæ fiducia barbaros ingenti cæde

tere. » — *Formidat. Taneg. Lefevre* ita conjecit pro *formidabat*, quam conjecturam nostri Regg. Codd. confirmant.

13. *Instabat fugientibus eques a Parmenione missus.* Quæ de hac prælii descriptione sentienda sunt, jam notavimus ad §. 3. Equitem a Parmenione mitti posse contendit *Schmieder* quia Persæ, in lævo suo cornu fugati, si non *omnes*, plurimi tamen in dextrum cornu suum fuga ablati erant; quod cum Curtio non *forte* factum dicit, sed quia Alexander lævum Darii cornu circumiverat, atque fugatis, qui primi obstiterant, reliquos et a fronte et a latere incesserat. Hoc ipsum, inquit, Arrianus, ubi pugnam cum Græcis Darii mercenariis narrat, testatur; eos igitur, pulsos a fronte et latere instantibus Macedonibus, in dextrum cornu fuga ablatos esse, verisimillimum est. At dicere debuisset Curtius, equitem nempe Parmenionis non persecutum fuisse fugientes, nisi postquam equitatum quoque Persarum sibi objectum in fugam egisset. — *Id cornu.* Nempe lævum cui Parmenio præerat. De Thessalis quos urgebant Persæ, vid. not. ad §. 3. Ne verbum quidem in his omnibus intelligo. Quid! dum dextrum Alexandri cornu circumitur, hoc ipsum cornu Alexander imminuit, missis in lævum Thessalis. Thessali ergo in lævo sunt cum Parmenione; Alaxander in dextro. Persarum lævum cornu, cui Darius præerat, fugat Alexander; sed nota, dum Persæ fugiunt, Thessalos in hoc ipso cornu urgent! Et ne dixeris *at in dextro* errore forsan librarii scriptum esse pro *at in lævo*. Quis enim tum foret sensus his verbis: *instabat fugientibus*, etc. Quid! Parmenio instabat fugientibus, et in eodem temporis puncto, Thessalos, qui prope eum stabant ab Alexandro missi, Persæ urgebant. Alexander victor sequi fugatos non audebat §. 16, insequebatur Parmenio cujus cornu para adhuc urgebatur. Lucem in his omnibus aliquis me doctior afferat, ego quidem nequeo.

14. *Circumactis equis dilapsi.* Explicandum hoc est ex phrasi græca, qua dicuntur equites *ἐς κύκλους περιππεύειν* sive *τοὺς κύκλους παριππεύειν*. Pertinebat hoc *in orbem agere equitatum* ad exercitia equitum, quo utebantur vel si impetum simularent, vel in ipso prælio. Si primo impetu non repellerentur hostes, tum, circumactis equis et novis viribus ex incursu sumptis, iterum in illos ferebantur. Male vero res gerebantur, si, celeritate deficiente, in ipso circumagendo equos ab hostibus occuparentur. Hæc *Schmieder*, et merito quidem, ut opinor. — *Incompositos victoriæ fiducia.* Iisdem prope verbis in re simili usus Liv. XXI, 52, 10: « Ii sparsos et incompositos, oneratosque præda plerosque, quum inopinantes

prosternunt. Equi pariter equitesque Persarum, serie 15
laminarum graves, agmen, quod celeritate maxime
constat, ægre moliebantur. Quippe in circumagendis
equis suis Thessali inulti occupaverant. Hac tam 16
prospera pugna nuntiata, Alexander non ante ausus
persequi barbaros, utrinque jam victor, instare fu-
gientibus cœpit. Haud amplius regem quam mille 17
equites sequebantur, quum ingens multitudo hostium

invasissent, ingentem terrorem cædemque se fugam usque ad castra stationesque hostium fecere.» Ea res multis eripuit victoriam. Vid. Polyb. I, 74, 79; Dion. lib. XL.

15. *Serie laminarum graves.* Omnes Codd. habent: *serie laminarum ob id genus graves* vel *grave.* Quod quum intelligi nequeat, quidam interpretum, qui sequentia non intellexerant, violentas conjecturas et transpositiones obtulerunt, minime probandas. Facillima mihi videtur Rutgersii, legentis: *serie laminarum graves, id genus agminis* (sive ut habet Freinsh. *id genus agmen*) h. e. agmen ejus generis, quod celeritate maxime constat. *Snakenburg* conjecit: *ob id genus armorum agmen*, etc. In edition. Gryph. margini inscripta est conjectura: *ad genua usque, grave agmen.* In re dubia vulgatam edit. non mutavi. Arma equitum Persarum descripsit Herodot. VII, 61 et 84. Inter alia habebant loricam, ex ferreis laminis, squamarum instar sibi invicem impositis, factam. Cf. IV, 9, 3. Vid. quoque Brisson. III, 289 et 303; Lips. de Milit. rom. III, 6; et eos auctores quos verborum suorum testes adducunt, nempe Ammian. Marcellin. XVI, 16; Suidam in voce Θώραξ; Claudianumque, qui (in Rufin. II, 357) Persarum armaturam his versibus optime descripsit: «...conjuncta per artem Flexilis inductis animatur lamina membris, Horribilis visu! credas simulacra moveri Ferrea, cognatoque viros spirare metallo. Par vestitus equis.....» — *Agmen moliebantur.* Difficile in agmen se componebant. — *Inulti.* Hanc vocem pro vulgata *multos*, ex Regg. Codd. 5717, 5718, auctoritate reponere non dubitavi, comprobante Heinsio. Vid. supra c. 4, §. 4: «unde inultus subeuntem prohibere...,» et contra omnium fere commentatorum sententiam, rem omnem sic interpretor: *Thessali inulti*, h. e. nullo suo damno, *occupaverant* Persas, dum ipsi (Thessali) equos suos circumagerent. Freinshemius, Cunzius, *Schmieder*, etc. *in circumagendis* ad Persas non ad Thessalos referunt, sed illos errare arbitror. Nec Arriani testimonium afferas qui II, 11, inquit: οἵ τε τῶν Περσῶν ἱππεῖς ἐν τῇ ἀναχωρήσει ἐκακοπάθουν.... hic enim ἀναχωρήσει de *fuga* non de *circumagendis equis* interpretandum est, ut recte affirmat *Schmieder;* nisi tamen cum illo putes suum græcum auctorem non fuisse a Curtio intellectum, et ipsum ἀναχώρησιν, quod forte in Græco erat non de *fuga* sed de agmine *circumagendo* perperam interpretatum fuisse.

17. *Haud amplius regem quam mille equites sequebantur.* Sc. quum Darium persequeretur. Reliqui enim Macedones cæteros Persas perseque-

caderet : sed quis, aut in victoria, aut in fuga copias
numerat? Agebantur ergo a tam paucis pecorum modo,
et idem metus, qui cogebat fugere, fugientes moraba-
18 tur. At Græci qui in Darii partibus steterant, Amynta
duce, prætor hic Alexandri fuerat, tunc transfuga, ab-
rupti a cæteris, haud sane fugientibus similes evase-
19 rant. Barbari longe diversam fugam intenderunt; alii
qua rectum iter in Persidem ducebat, quidam cir-

bantur. — *Metus .... morabatur.* Pulchre, me hercules, inquit Acidalius et ex intima natura. Sic enim fit occulto, nec quo satis scio, modo. In trepidatione, metu impellimur ad fugam, quam nitentes, tamen eodem retinemur. Idem Ovid. Met. III, 46 : « .... Sive illi tela parabant, Sive fugam; sive ipse timor prohibebat utrumque. » Et Latin. Pacatus, Theodos. Paneg. c. 38 : « Ut clausæ cassibus feræ, quæsito diu exitu, desperatoque, consistunt, et præ timore non fugiunt; ita ille ipso, quo agitabatur, metu alligatus est. »

18. *Fuerat, tunc transfuga.* Sic cum sex Codd. malui, quam *fuit, nunc transfuga* Non displicet etiam, quod unus habet : *abruptis cæteris.* — *Haud sane fugientibus similes evaserant.* Ex triginta millibus plurimi vel cæsi vel disjecti erant; pauca tantum millia cum Amynta evaserant Tripolin, Syriæ urbem, unde in Cyprum et Ægyptum transfugiebant. Hi forte, qualicumque modo servatis ordinibus, pedem retulerant. Apud Arrianum Amyntas cum suis εὐθὺς, ὡς τεταγμένοι ἦσαν, fugisse dicitur. Talia et Curtius forte legit. Alii, quorum Curtius IV, 1, 39, octo millia fuisse narrat, ex Cilicia profugi patriam repetierant. Cæterum nota, Curtium, supra c. 9, 2, Thymonden Græcorum prætorem dixisse, non Amyntam. Uterque saltem inter illos Græcos fuerat. Vide Arrian. II, 13.

19. *Longe diversam.* Valde diversam alii ab aliis viam fugiendi cœperant. — *Luxuriæ apparatum.* Plut. Alex. cap. 37, hunc apparatum exprimit : « Ut autem holcis vidit et crossos, ampollas, alabastros, ex auro fabrefacta omnia .... » Inter hæc vasa reor, cum Radero, fuisse scrinium illud Græcis et Latinis celebratum, in quo Homeri carmina reposuit, ut tradit Strabo, lib. XIII, et de eodem Plinius, VII, 29, his verbis : « Itaque Alexander magnus inter spolia Darii Persarum regis unguentorum scrinio capto, quod erat auro, gemmisque et margaritis pretiosum, varios ejus usus amicis demonstrantibus (quando tædebat unguenti bellatorem et militia sordidum) : *Immo, hercule*, inquit, *librorum Homeri custodiæ datur;* ut pretiosissimum humani animi opus, quam maxime diviti opere servaretur. » Vid. Freinshem. Suppl. I, 4. De castrorum luxuria multa Brisson. Cæsar, de Bell. Civ., III, 96, Pompeiana castra fere, ut hic Curtius Darianа describit. Cæterum ex illa jam victoria, Alexandri animum invasit superbia, siquidem a Plutarcho, c. 37, dixisse fertur, Darii balneos et luxuriam contemplatus : « Hunc sane, vere Regem fuisse dixerimus! » — *Plus.* Nempe, quam deinde auferre possent. — *Qua rectum iter in Persidem ducebat.* Quod

cumitu rupes saltusque montium occultos petivere,
pauci castra Darii. Sed jam illa quoque hostis victor 20
intraverat, omni quidem opulentia ditia. Ingens auri
argentique pondus, non belli, sed luxuriæ apparatum,
diripuerant milites: quumque plus raperent, passim
strata erant itinera vilioribus sarcinis, quas in compa-
ratione meliorum avaritia contempserat. Jamque ad 21
feminas perventum erat, quibus, quo cariora orna-
menta sunt, violentius detrahebantur; nec corporibus
quidem vis ac libido parcebat. Omnia planctu tumul- 22
tuque, prout cuique fortuna erat, castra repleverant;
nec ulla facies mali deerat, quum per omnes ordines
ætatesque victoris crudelitas ac licentia vagaretur.
Tunc vero impotentis fortunæ species conspici potuit, 23
quum ii, qui tum Dario tabernaculum exornaverant

de iis, qui ad dextram Alexandri in montibus locati erant, credo. Plurimos deinde, non *quosdam*, ut Curtius dixit, montes petivisse, videlicet qui a tergo erant, haud dubium est. Sed quomodo *circumitu*? Eodem res redit, si cum multis legis *circuitu*. Eorum nempe, qui in montes a tergo confugerant, multi per eosdem montes (κατὰ τὰ ὄρη φεύγοντες Arrian. II, 13, 2), ita ut inter rupes et saltus occulti dextrum Macedonum cornu circumirent, per amanicas pylas in Syriam refugiebant. Alii igitur recta via, alii per ambages Syriam eamque viam, quæ in Persidem ducebat, repetebant. Aliqui etiam prætorum cum iis, quos ex fuga collegerant, ad mare Ægæum descendere et Lydiam recuperare tentabant, Curt. IV, 1, 34. Plurimi noctis interventu, ut Diodorus ait, in varia passim loca dilabebantur.

20. *Hostis victor*. Prior vox abest a membranis, nec injuria pro glossa habetur. — *Omni opulentia ditia*. Circiter tria millia talentorum in castris capta esse refert Arrianus. Reliqua pecunia erat Damasci.

22. *Omnia planctu*, etc. Verba quidem sic jungi possunt: *repleverant omnia castra*, tota castra, *planctu tumultuque*. Sed *omnia* et *castra* in contextu nimis disjuncta sunt. Quare cum Freinshemio *castra* pro glossa habere malo, quam cum Heumanno *omnia* mutare in *omnes*. — *Prout cuique*. Prout quæque fortunam experiebatur; nec ullum calamitatis genus aberat, quum nulli ordini ætative parceret victor crudelis.

23. *Impotentis fortunæ*. Potentiam suam immoderate exercentis, omnia sibi permittentis. Impotens apud optimos quosque scriptores est is qui parum moderate agit, atque trahitur quo libido rapit. — *Quum ii, qui tum Dario tabernaculum exornaverant*: Ex his credere posses, Darii ministros Alexandrum Darii tabernaculo excepisse, quod nec verisimile nec ve-

omni luxu et opulentia instructum, eadem illa Alexandro, quasi veteri domino, reservabant; namque id solum intactum omiserant milites, ita tradito more,
24 ut victorem victi regis tabernaculo exciperent. Sed omnium oculos animosque in semet converterant captivæ mater conjuxque Darii: illa, non majestate solum, sed etiam ætate venerabilis; hæc formæ pulchritudine, nec illa quidem sorte corrupta. Acceperat in sinum filium nondum sextum ætatis annum egressum, in spem tantæ fortunæ, quantam paullo ante pater
25 ejus amiserat, genitum. At in gremio anus aviæ jacebant adultæ virgines duæ, non suo tantum, sed etiam illius mœrore confectæ. Ingens circa eam nobilium feminarum turba constiterat, laceratis crinibus, abscissaque veste, pristini decoris immemores, Reginas Dominasque, veris quondam, tunc alienis nomini-

rum est. Male Curtius Græca intellexit. Diodor. enim c. 36, sic habet: *οἱ δὲ τοῦ βασιλέως παῖδες* (h. e. pueri Alexandri regia, qui alias *σωματοφύλακες* vocantur, quibus custodia regis, cura corporis et leviora circa regem ministeria tradita erant, apud nostrates *Pages*), quum reliqui Macedones prædarentur, *καταλαβόμενοι τὴν τοῦ Δαρείου σκηνὴν*, balnea et mensas, quibus ille usus fuerat, apparabant, accensisque tædis bene multis regem exspectabant, ut ab hostibus reversus omnem Darii apparatum occuparet, Asiæque totius imperium felici hoc augurio præsumeret. — *Eadem illa*. Quibus tabernaculum exornaverant. Mox quidam *venturo domino*.

24. *Mater conjuxque*. Eadem et soror, quod hic notavit Arrianus, II, 2: *Καὶ ἡ γυνὴ αὐτὴ δὲ καὶ ἡ ἀδελφὴ Δαρείου*. Et in Oros. III, 16: « Inter captivos castrorum, mater, et uxor eademque soror, et filiæ duæ Darii fuere. » Statyra huic erat nomen. — *Nec illa quidem sorte corrupta*. Sc. pulchritudine venerabilis erat; sorte captivitatis ac mœroris nihil aut parum de pulchritudine ejus immutatum erat, ut recte locum explicuit Cellarius. Quinque Codd. *corruptæ* legunt; et mox multi, *receperat* pro *acceperat*.

25. *Circa eam*. *Circa eas* legit Freinshemius. Pronomen prorsus delet Heumannus. *Ingentem nobilium feminarum turbam* fuisse Curtius cum Diodoro tradit. Contra Arrianus *de paucis* loquitur, plurimis Damasci relictis. — *Laceratis crinibus, abscissa veste*. Ritus gentium orientis in magno dolore et luctu, ex sacris etiam literis notissimus. Vid. Xenoph. Cyropæd. lib. III, et in multis aliis locis, præsertimque Brisson. de Regn. Pers. II, 256. — *Tunc alienis nominibus invocantes*, vel *vocantes*, ut quidam

bus, invocantes. Illæ, suæ calamitatis oblitæ, utro 26 cornu Darius stetisset, quæ fortuna discriminis fuisset, requirebant; negabant se captas, si viveret rex. Sed illum equos subinde mutantem longius fuga abstulerat. In acie autem cæsa sunt Persarum peditum 27

Codd. habent. Hoc vult: fuisse illa nomina tunc non ipsarum propria et vera. Si enim his fuissent compellandæ, captivas et servas debuisse dici. Reginarum ergo nomen pertinebat non ad ipsas, sed ad alias, sc. quæ in dignitate ac potentia regia re ipsa essent constitutæ.

27. *Cæsa sunt*, etc. Diod. XVII, 36, numerat peditum 120,000, equitum 10,000. Arrian. II, 11, peditum circiter 90,000, equitum supra 10,000; universe 100,000. Justinus, XI, 9, rursum aliter: « Cæsa sunt peditum unum et sexaginta millia (*sex et nonaginta* legit Jac. Gronov. ad Arrian. II, 11), equitum decem millia, capta quadraginta millia. » Orosius, III, 16, iterum ab omnibus aliis abit: « Ibi tunc, inquit, peditum 80,000, equitum 10,000 cæsa sunt, capta autem, 40,000. » Plut. Alex. c. 33, generatim supra 110,000 cæsa ponit, sine equitum peditumque discrimine. Tanta est varietas scriptorum in unico cæsorum numero. Magnus fere semper fuit cæsorum olim numerus, et ratio est in promptu. Etenim veteres in præliis congrediebantur cominus, et manus revera conserebant. Hinc quando victi jam in fugam erant versi, maximus eorum cædebatur numerus a victoribus, qui vestigiis illorum hærebant: inprimis vero si tanta esset turba fugientium, h. e. aliquot centenorum millium. Hi enim simul ac ad angustias viarum accedebant, partim elidebantur a suis seo a suorum multitudine, partim conculcabantur ab equis, partim cædebantur ab hostibus, revera tamquam pecudes, quippe qui inermes jam erant, abjectis in fuga armis, ut essent ad fugiendum expeditiores. Ex victoribus autem nulli fere post prælium interibant. Hæc Perizonius in Curtio vindic. Et sane illius sententiæ annuerim, sed quum Curtius ex Macedonum parte *triginta omnino et duo desideratos* scribit, error manifestus est, e suis ipsiusverbis; dixerat enim, § 5: *Tum vero multum sanguinis fusum est .... in eodem vestigio stabant donec vincendo locum sibi facerent...* Et notandum est ibi, non de Persis tantum, sed de Macedonibus quoque fuisse locutum. Quid vero de Orosio existimandum est, qui, de pugna ad Granicum talia memorat, IV, 1: « In prima congressione persici belli, inter quadringenta ferme millia hostium interfecta, centum viginti equites, et novem tantummodo pedites in ejus exercitu defuisse referuntur. » Omnia hæc ridiculum in modum amplificata esse quem fugit? Diodor. l. l. pedites trecentos cæsos fuisse narrat. Unde tam Justini (lib. XI, c. 9), et Orosii, (III, 16), CXXX quam Curtii XXXII emendandum esse doctiores censoerunt. Arrianus universum Macedonum cæsorum numerum non tradidit; fortasse præeuntibus auctoribus suis, ne victoriæ gloriam macularent damna victoris. In solo autem conflictu cum Græcis Ptolemæum Seleuci filium, cum aliis circiter CXX non obscuri nominis Macedonibus cecidisse auctor est. Heinsio vero legendum videbatur:

centum millia, decem vero millia interfecta equitum. At ex parte Alexandri quatuor et quingenti saucii fuere, triginta omnino et duo ex peditibus desiderati sunt, equitum centum quinquaginta interfecti; tantulo impendio ingens victoria stetit!

1 XII. Rex, diu Darium persequendo fatigatus, posteaquam et nox appetebat, et eum assequendi spes non
2 erat, in castra paullo ante à suis capta pervenit. Invitari deinde amicos, quibus maxime assueverat, jussit, quippe summa duntaxat cutis in femore perstricta
3 non prohibebat interesse convivio; quum repente e proximo tabernaculo lugubris clamor, barbaro ululatu planctuque permistus, epulantes conterruit. Cohors quoque quæ excubabat ad tabernaculum regis, verita ne majoris motus principium esset, armare se cœpe-
4 rat. Caussa pavoris subiti fuit, quod mater uxorque

At a parte Alexandri quatuor sc. millia cæsa sunt (quod nimis est), *quingenti saucii fuerunt ex peditibus. XXX omnino et duo desiderati sunt equitum, centum quinquaginta interfecti.* Præter Arrianum, Diodorum, Plutarchum, Justinum, Callisthenis quoque descriptionem hujus prælii vide apud Polybium, tom. VI, lib. 12, c. 8 sqq. Maximam partem consentit cum Arriano; in eo vero errasse videtur, quod spatium inter mare et montes quatuordecim stadia (quæ fere sesquihora permeantur), æquare scribit; quem numerum justo minorem esse Arrianus docet. Hanc Polybii descriptionem quam *Ste-Croix* in gallicum cum notis transtulerat, *Exam. crit. p.* 253, nos in latinum vertere utile censuimus, in nostro III Excursu ad hunc librum, quem adi.

1. *Diu Darium persequendo.* Per ducenta stadia, si verum dixit Diod. XVII, 37. — *Et eum assequendi.* Vox *eum* abest a nostris Codd. qui mox etiam pro *in femore* legunt *in femine.* Cæterum Diod. l. l., Alexandrum affirmat media tantum nocte in castra reversum fuisse. V. quoque Arrian. II, 3, 1.

2. *Maxime assueverat.* Quibus familiarissime utebatur. — *Quum repente e proximo tabernaculo*, etc. Curtius hanc artis ostentandæ occasionem nactus de captivis feminis per totum caput scripsit. Brevius eadem narrarunt Arrian. II, 12; Diodor. XVII, 37, 38 et 114; Just. XI, 9; Plutarch. Alexand. c. 21; Valer. Max. IV, 7, ext. 2; Zonaras, tom. I, p. 134. In rebus majoris momenti consentiunt. Vide quid de hoc generoso Alexandri facinore censuerit nostras *Bougainville, Mém. de l'Ac. des Inscr. t. XXV, p.* 38 : « Le procédé d'Alexandre, *inquit*, est humain, si l'on veut, mais « il n'est pas noble : il eut dû rendre « la liberté à ses captives; mais il se « ressouvint qu'il était conquérant, et

Darii cum captivis mulieribus nobilibus, regem, quem
interfectum esse credebant, ingenti gemitu ejulatuque
deflebant. Unus namque e captivis spadonibus, qui 5
forte ante ipsarum tabernaculum steterat, amiculum,
quod Darius, sicut paullo ante dictum est, ne cultu
proderetur, abjecerat, in manibus ejus, qui repertum
ferebat, agnovit; ratusque interfecto detractum esse,
falsum nuntium mortis ejus attulerat. Hoc mulierum 6
errore comperto, Alexander fortunæ Darii et pietati
earum illacrymasse fertur. Ac primo Mithrenem, qui
Sardes tradiderat, peritum persicæ linguæ, ire ad
consolandas eas jusserat; veritus deinde ne proditor 7
captivarum iram doloremque gravaret, Leonnatum
ex purpuratis suis misit, jussum indicare falso lamentari eas vivum. Ille cum paucis armigeris in tabernaculum in quo captivæ erant pervenit, missumque a

« les conquérans ne peuvent pas toujours être généreux. »

4. *Cum captivis*. Vulgata fert : *cum captivis mulieribus*, sed ut vox abest ab optimis Codd. nec immerito pro glossa habetur, eam e textu, approbantibus Modio et Schmiedero, rejicere non dubitavi.

5. *Qui repertum ferebat*. Alii ululatus muliebris caussam afferunt, quod insignia regia Darii cum curru ab Alexandro in castra relata audiverint, ideoque Darium cæsum crediderint.

6. *Mithrenem, qui Sardes tradiderat*. Sic cum sex Codd. nostrisque inprimis Regg., Modio et Schmiedero præeuntibus, scripsi pro : *qui Sardes prodiderat*. Nam, ut notat Snakenburgius, respectu Alexandri aptius est verbum mitius *tradere;* captivis enim mox gravior et convenientior accommodatur locutio : *ne proditor*, etc. Post prælium ad Granicum Mithrenes, a Dario præfectus Sardibus, urbem et arcem sibi commissam sine obsidione Alexandro tradidit. Quo facto, Alexander (Arriano teste, I, 17, 4) Mithrenem, non tamquam captivum, sed honorifice secum circumducebat. De eodem ad reginas misso alii tacuerunt. Mox pro *renovaret* quod e nostris Codd. restitui, cur vulgo scriberent *gravaret*, caussam non video; nec cur retinerent *Darium vivum*. Prior enim vox in iisdem abest, et abesse debet. Ex Alexandri lachrymæ, ea misericordia, curaque reginarum in memoriam revocant quod acutissime a Tullio notatum est, pro leg. Manil. c. 9 : « Hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut regum afflictæ fortunæ facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt, aut vivunt in regno, quod regale iis nomen magnum et sanctum esse videatur. »

7. *Armigeris*. Id est, armatis, satellitibus, ut mox iidem vocantur.

8 rege se nuntiari jubet. At ii qui in vestibulo erant, ut
armatos conspexere, rati actum esse de dominis, in
tabernaculum currunt, vociferantes adesse supremam
9 horam, missosque qui occiderent captas. Itaque, ut
quæ nec prohibere possent, nec admittere auderent,
nullo responso dato, tacitæ opperiebantur victoris ar
10 bitrium. Leonnatus, exspectato diu qui se intromitte-
ret, posteaquam nemo procedere audebat, relictis in
vestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum. Ea ipsa
res turbaverat feminas, quod irrupisse non admissus
11 videbatur. Itaque mater et conjux, provolutæ ad pedes,
orare cœperunt, ut, priusquam interficerentur, Darii
corpus ipsis patrio more sepelire permitteret; functas
12 supremo in regem officio se impigre morituras. Leon-
natus, et vivere Darium, et ipsas non incolumes
modo, sed etiam apparatu pristinæ fortunæ reginas
13 fore. Tum mater Darii allevari se passa est. Alexander,
postera die, cum cura sepultis militibus quorum cor-
pora invenerat, Persarum quoque nobilissimis eum-
dem honorem haberi jubet, matrique Darii permittit
14 quos vellet patrio more sepeliret. Illa paucos, arcta

10. *Intromitteret.* Nostri Codd., cum multis aliis *introduceret.* — *Procedere.* Sc. ex tabernaculo, ad introducendum Leonnatum. Nostri Codd. legunt, *producere.* — *Non admissus.* Pro glossa hæc habet Heumannus. Diodor. XVII, 37, simpliciter refert Leonnatum Alexandri mentem reginis aperuisse. Justin. XI, 9, proxime cum Curtio consentit.

11. *Patrio more sepeliret.* Vid. Brissonium, fine lib. I. Fuit illa proprius Persarum mos in curandis funeribus, ut mortuos non cremarent, sed cera circumlitos terræ mandarent, impium quippe rati Ignem, quem pro Deo colerent, humanis cadaveribus veluti contaminare. Regum porro sepulchris titulos addi cum epitaphiis auctor est Strabo. Quorum præterea in morte, peculiare illud publici luctus argumentum erat, quod ignis, quem æternum vocitabant, extingueretur. — *Impigre morituras*, non invite mortem obituras esse.

12. *Sed etiam apparatu pristinæ fortunæ reginas fore.* Hoc est quod Arrianus sic expressit : Alexandrum ipsis non solum cultum et reliquum ornatum regium concedere, sed etiam ut reginæ (in posterum quoque) vocarentur, *ξυγχωρῆσαι Ἀλέξανδρος αὐταῖς καλεῖσθαι βασιλίσσας.* Vid. et Zonaram tom. I, p. 134.

propinquitate conjunctos, pro habitu præsentis fortunæ humari jussit; apparatum funerum, quo Persæ suprema officia celebrarent, invidiosum fore existimans, quum victores haud pretiose cremarentur. Jam- 15
que justis defunctorum corporibus solutis, præmittit ad captivas, qui nuntiarent, ipsum venire: inhibitaque comitantium turba, tabernaculum cum Hephæstione intrat. Is longe omnium amicorum carissimus erat 16
regi, cum ipso pariter educatus; secretorum omnium arbiter; libertatis quoque in admonendo eo non alius jus habebat, quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur: et sicut ætate par erat regi, ita corporis habitu præstabat.

14. *Haud pretiose. cremarentur.* Arrianus tamen μεγαλοπρεπῶς sepultos affirmat. Et Diodorus: « magnificentissimis hostiis diis, ait, litatum. » Sed Curtius ipse quoque paullo superius: *cum cura sepultis militibus.* Et ego facile crediderim, qui memini Alexandrum ad Granicum 25 equitibus primo conflictu occumbentibus statuas ex ære posuisse in templo Jovis a Lysippo factas, reliquos equites 60, pedites 30 cum armis condi præcepisse, parentibus eorum ac liberis vectigalium immunitatem concessisse, omniaque quæ corpore præstantur officia, remisisse.

15. *Justis .... solutis.* Hoc est: sepultis, ut IV, 12, 2. Freinsh: mavult: *jamque ustis defunctorum corporibus, præmittit*, etc. — *Cum Hephæstione intrat.* Arrianus, hæc quoque narraturus, λόγος ἔχει, ait, καὶ αὐτὸν Ἀλέξανδρον ἐλθεῖν εἴσω ξὺν Ἡφαιστίωνι, etc. Suspecta ei est narratio, quam nec Ptolemæus nec Aristobulus tradiderant, optimi de Alexandro scriptores. Alexander ipse quoque in epistola quadam (Plut. Alex. c. 22) se numquam Darii uxorem vidisse et videre voluisse testatur. Idem Gellius quoque, Noct. Att. lib. VI, 8, asserit, et Plut. de Curios. c. 21.

16. *Non alius jus habebat*, pro: non alius magis jus habebat. Conf. Nepotem, Dat. c. 8, « statuit congredi quam cum tantis copiis refugere », et Perizon. ad Sanct. Minerv. l. IV, c. 7. — *Quam vindicatum ab eo.* Hephæstione puta: potestate illa regis admonendi, ait, si quid forte fecisset perperam, utebatur Hephæstion ea prudentia et moderatione, ut constaret eum id facere ideo tantum, quoniam rex vellet et ab eo requireret, non quod ipse cuperet, aut tamquam jure aliquo, quod ad se pertineret, exercere gauderet. — *Corporis habitu præstabat.* Iisdem prope verbis Valer. Max., in hac ipsa historia, IV, 7: « Statura et forma præstabat. » Diodorus, XVII, 37: ἐχόντων ἀμφοτέρων ἰσότητας ἡλικίας, τῷ μεγέθει δὲ καὶ κάλλει προέχοντος τοῦ Ἡφαιστίωνος. Constat enim e multis Curtii et aliorum locis, Alexandrum mediocris tantum staturæ fuisse. Vid. V, 2; VI, 5; VII, 8. Et inde de eo locutus nostras *Bayle* (*Dict. philos.*

17 Ergo reginæ illum regem esse ratæ, suo more veneratæ sunt. Inde ex spadonibus captivis, quis Alexander esset, monstrantibus, Sysigambis advoluta est pedibus ejus, ignorationem numquam antea visi regis excusans; quam manu allevans rex, « non errasti, inquit,
18 mater; nam et hic Alexander est. » Equidem, si hac continentia animi ad ultimum vitæ perseverare potuisset, feliciorem fuisse crederem, quam visus est esse, quum Liberi patris imitaretur triumphum, ab Hellesponto usque ad Oceanum omnes gentes victoria emensus.
19 Vicisset profecto superbiam atque iram, mala invicta; abstinuisset inter epulas cædibus amicorum; egregiosque bello viros et tot gentium secum domitores in-
20 dicta causa veritus esset occidere. Sed nondum fortuna se animo ejus superfuderat: itaque orientem eam mo-

art. Macédoine), inquit: « Il n'y avait « rien de médiocre en sa personne que « la taille: tout le reste, bon ou mauvais, était excessif. » Ea laus uni Alexandro, inter omnes reges, si tamen nostrum Henricum exceperis, tribuitur, verum amicum habuisse. « L'amitié, inquit *S.-Evremond* (*Œuvres mêlées, t. I, p.* 191), fut sa plus « grande passion après la gloire. » Nullus unquam Alexandrum melius et eloquentius laudavit quam Plutarchus, quum capp. 70 et sqq. suas domi virtutes memorat, inprimisque suam cum Hephæstione et Cratero amicitiam.

17. *Suo more veneratæ sunt.* More Persarum, quem *προσκυνεῖν* vocant, id est, humi prosterni et adorare, ut ait Nepos, in Conone, 3; Valerius, l. I: « mater Darii Hephæstionem more Persarum adulata. » Diodorus: *προσκυνήσει*. Sic etiam Arrianus. — *Ex spadonibus captivis.* Cum Heumanno et Schmiedero præpositionem abesse mallem, abest quidem in quatuor Codd. Nostri Regg. eam retinent. Habuit Curtius auctorem communem cum Diodoro, qui, c. 37, sic: *διανευόντων δ' αὐτῇ τῶν παρεστώτων καὶ τῇ χειρὶ διανευόντων τὸν Ἀλέξανδρον, ἡ μὲν Σισύγγαμβρις*, etc.; confer. not. ad Curt. VII, 1, 9. — *Ignorationem nunquam visi....* excusans quod Alexandrum non nosset, quem nondum conspexerat.

18. *Liberi patris.* Conf. infra l. IX, 10. — *Oceanum.* Indicum. Has quidem sententias, quibus Alexandri virtutes et vitia tam æqua lance Curtius ponderavit, apud multos et ante et post eum reperire est, inter quos memorare liceat Arrianum et Plutarchum, de Alex. fortuna, apud veteres; apud recentiores vero *Rollin, Hist. anc. tom. III, édit. in-4°,* et *Fénélon, Dialog. des Morts, tom. I, Dial.* 24.

19. *Cædibus amicorum.* Cliti solius. — *Egregiosque bello viros.* Præcipue Parmenionem.

20. *Superfuderat.* Hanc vocem pro

derate et prudenter tulit; ad ultimum magnitudinem
ejus non cepit. Tum quidem ita se gessit, ut omnes 21
ante eum reges et continentia et clementia vincerentur.
Virgines enim regias excellentis formæ tam sancte
habuit, quam si eodem, quo ipse, parente genitæ forent :
conjugem ejusdem, quam nulla ætatis suæ pul- 22
chritudine corporis vicit, adeo ipse non violavit, ut
summam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori
illuderet : omnem cultum reddi feminis jussit, nec 23
quidquam ex pristinæ fortunæ magnificentia captivis,
præter fiduciam, defuit. Itaque Sysigambis : « Rex, in- 24
quit, mereris, ut ea precemur tibi, quæ Dario nostro
quondam precatæ sumus; et, ut video, dignus es, qui

infuderat maxima pars Codd. et edd. primarum habet ; ergo eam, invito Freinshemio, reponere non dubitavi : « nam, ut optime notat Schefferus, quod infunditur, id ab eo, cui infunditur, capitur atque continetur. At vero sequitur de Alexandri animo, *magnitudinem* fortunæ non *cepit*. Non ergo *infudit*, sed *superfudit* se fortuna animo, id est, superavit eum ac quasi demersit; » et Cellarius quoque : « obrutus et oppressus est a nimia felicitate. » Quam eleganter dictum est *superfuderat* notavit cum his *Ste-Croix*. Eodem sensu hæc apud Diodorum XVII, 38 : τοὺς πλείστους ὁρᾷν ἐστι τὴν εὐτυχίαν, ὥσπερ τὶ βάρυ φορτίον φέρειν ἀδυνατοῦντας.

22. *Conjugem ejusdem*, sc. Darii. *Ejusdem* desiderat, quo referatur. Sed accidit sæpissime, nec desunt exempla, ut scriptorum mentem præcurrat animus, et dum se, quod in animo habuerant, posuisse credunt, subjiciant reliqua, quæ ab iis, quæ mente acceperant potius, quam quæ chartæ illeverunt, pendent. Cæterum Alexandri castitatem non solum sui ipsius historici, sed alii quoque summis laudibus extollunt : vid. Marcellin. XXIV, 16; Stobæum, Serm. V; Athen. XIII, 8; Aul. Gell. VI, 8. Quidam tamen ante eum et continentes et clementes fuerant, interque alios Cyrus qui Pantheam servavit, ut narrat Xenoph. Cyrop. V. Sed eo magis laudandus est Alexander, quod pulcherrimæ erant hæ mulieres, et ipse earum specie formaque ita fuit percitus, ut, teste Plutarch. exclamaverit : ὡς εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ Περσίδες. Ipse tamen intactas eas servavit, nec passus est ullum *captivo corpori illudere*, id est, vim eis, quod captivæ essent, afferre.

23. *Præter fiduciam* Illius magnificentiæ puta. Hoc vult : usurpasse quidem fortunæ pristinæ magnificentiam, sed cum perpetuo timore quodam, ne forte mutaretur Alexander, et jure victoriæ statueret gravius aliquid in eas ut captivas.

24. *Quæ Dario precatæ sumus.* Sc. ut æternum imperes. Hoc enim, qui veniebant in colloquium regis apud

tantum regem non felicitate solum, sed etiam æqui-
25 tate superaveris. Tu quidem matrem me et reginam vocas, sed ego me tuam famulam esse confiteor : et præteritæ fortunæ fastigium capio, et præsentis jugum pati possum : tua interest, quantum in nos licuerit, si id potius clementia, quam sævitia, vis esse testatum. »
26 Rex bonum animum habere eas jussit. Darii deinde filium collo suo admovit : atque nihil ille conspectu tunc primum a se visi conterritus, cervicem ejus manibus amplectitur : motus ergo rex constantia pueri, Hephæstionem intuens : « Quam vellem, inquit, Darius
27 aliquid ex hac indole hausisset! » Tum tabernaculo egressus, tribus aris, in ripa Pinari amnis, Jovi atque Herculi Minervæque sacratis, Syriam petit; Damascum, ubi regis gaza erat, Parmenione præmisso.

Persas, solemniter precari solebant. — *Æquitate.* In captivas.

25. *Fastigium capio. Fast. cepi* mavult Heumann. Et sane *capio* præteriti significationem habet. Ut fastigio præteritæ fortunæ nunquam elata sum (idem sensus est verbo *cepi*, in § 20); ita præsentem conditionem facile patior. — *Tua interest.* Potes erga nos esse clemens, aut sævire; visne testari tuam potentiam clementia, aut sævitia?

26. *Darii filium.* Ochum, nondum sextum ætatis annum egressum. — *Ex hac indole hausisset.* Utinam Darius tam fortis et interritus esset, quam hic puer! ut recte quidem Curtiana interpretatur Cellarius. Sed auctorem male scripsisse cum Schmiedero existimo. Credine potest, Alexandrum serio optasse, ut graviorem habuisset hostem? Fide digniora sane Diod. XVII, 38, tradit Alexandrum Hephæstioni dixisse : ὁ παῖς ἂν ἐξ ἐτῶν καὶ τὴν ἀρετὴν ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν προφαίνων, πολλῷ βελτίων ἐστὶ τοῦ πατρός.

27. *Tribus aris.* Tamquam tropæis et victoriæ monimentis. Cicer. Famil. lib. XIII, ep. 4 : « Castra in radicibus Amani habuimus juxta aras Alexandri. » Pocock. se rudera istarum ararum invenisse credit; cf. *Ste-Croix, Exam. des Hist. d'Alex., p.* 282, *not.* 23. Errat ergo Pausanias, qui, lib. IX, scribit Alexandrum neque de Dario, neque de Indicis victoriis tropæum ullum erigendum curasse. Nec aras modo post hanc victoriam, sed urbem etiam Alexandriam eodem prope loco condidit, cujus meminere Plinius, Hist. Nat. V, 27; Herodián. III, 4; et Stephanus Byzant. qui eam Ἀλεξάνδρειαν τῆς Κιλικίας vocat. — *Ubi regis gaza erat.* Hoc non ita interpretare, ac si perpetuo Damasci (ut Susis, Pasagardis, etc.) thesauri regii servati fuissent, sed de maxima pecuniæ parte, de rebus pretiosis et de omni reliquo ad bellum inutili apparatu, quem Darius Ciliciam petens cum modico præsidio militum Damascum miserat. Vide

XIII. Atque is, quum præcessisse Darii satrapam 1
comperisset, veritus ne paucitas suorum sperneretur,
arcessere majorem manum statuit. Sed forte in ex- 2
ploratores ab eo præmissos incidit natione Mardus,
qui ad Parmenionem perductus, literas ad Alexan-
drum a præfecto Damasci missas tradit ei; nec dubi-
tare eum, quin omnem regiam supellectilem cum pe-
cunia traderet, adjecit. Parmenio, asservari eo jusso, 3
literas aperit, in queis erat scriptum, ut mature
Alexander aliquem ex ducibus suis mitteret cum
manu exigua. Itaque, re cognita, Mardum datis comi-
tibus ad proditorem remittit. Ille e manibus custo- 4
dientium lapsus, Damascum ante lucem intrat. Tur-
baverat ea res Parmenionis animum, insidias timen-
tis; et ignotum iter sine duce non audebat ingredi :

supra c. 8, 12, et 13, 5. Damascus isto tempore non fuit urbs tanta ac tantæ famæ, quantam sæculo p. Chr. nat. quarto nacta est. — *Gaza.* Ærarium, regia pecunia. Persica vox est quæ ad Græcos Latinosque transiit.

1. *Atque is, quum præcessisse Darii satrapam comperisset.* Vereor ne prima hæc verba corrupta sint. *Præcessisse* videtur esse pro : cessisse ex urbe, antequam Parmenion advenisset. At ille Satrapa Damasci *modicum* modo *præsidium* habebat, (c. 8, 12) atque eum ex urbe procedere non ausum ex sequentibus liquet. Accedit, plurimos Codd. Mstos in primis nostrum Reg. 5718 legere : *atque quum præcessisset, et Darii satrapa* (vel *satrapam*) *comperisset*, etc. nec ipsa sana. *Satrapa* esse nomen persicum, quod Latini nunc præfectum, nunc prætorem, aut etiam purpuratum interpretantur, adnotavit Raderus.

2. *Nec dubitare eum.* Id est, præfectum, qui secum constituerit, thesauros Alexandro tradere. Tellierio *eum* pro *se* positum videtur, ut ad nuntium referatur. De Impedimentis Damascum missis atque a Parmenione captis consentiunt omnes. Plutarchus Thessalos ob virtutem in prælio, præmii loco, ad prædam missos addit. Ab omnibus vero discedit Curtius, si ista impedimenta a præfecto *prodita* tradit, proditoremque paullo post ab uno suorum interfectum. Arriano teste, II, 5, 1, præfectus erat Cophen, Artabazi filius quem proditorem fuisse tantum abfuit, ut etiam post impedimenta capta Darii partes sequeretur, nec prius ad Alexandrum transiret, quam Dario interfecto. — *Adjecit.* Hanc vocem Modius, Raderus, et ipse Freinshemius glossam existimaverunt; sed quum in omnibus Codicibus et editis reperiatur, eam servandam esse censui. Multa quidem hujusmodi verba facilius rejiciunt interpretes.

3. *Ante lucem.* Ut sic minus proditio a Damascenis observetur.

felicitati tamen regis sui confisus, agrestes, qui duces
itineris essent, excipi jussit: quibus celeriter repertis,
quarto die ad urbem pervenit: jam metuente præ-
5 fecto, ne sibi fides habita non esset. Igitur, quasi pa-
rum munimentis oppidi fidens, ante solis ortum pe-
cuniam regiam (gazam Persæ vocant) cum pretiosis-
simis rerum efferri jubet, fugam simulans; re vera,
6 ut prædam hosti offerret. Multa millia virorum femi-
narumque excedentem oppido sequebantur; omnibus
miserabilis turba, præter eum, cujus fidei commissa
fuerat: quippe quo major proditoris merces foret,
objicere hosti parabat gratiorem omni pecunia præ-
dam, nobiles viros, prætorum Darii conjuges liberos-
que, præter hos urbium græcarum legatos, quos
Darius, velut in arce tutissima, in proditoris relique-
7 rat manibus. *Gangabas* Persæ vocant humeris onera
portantes: hi, quum frigus tolerare non possent,
quippe et procella subito nivem effuderat, et humus
rigebat gelu, tum adstrictas vestes, quas cum pecunia

5. *Gazam.* Editi plerique *quam gazam*, sed quum priorem vocem meliores Codd. omittant, nos delendam censuimus.

6. *Proditoris.* Alii legunt *proditionis.* Reputabat ille Damascenus prætor quod Abelox apud Liv. XXII, 22, 8, qui « transfugam sine magnæ rei proditione venientem ad hostes, nihil aliud quam unum vile atque infame corpus esse ratus, id agebat, ut quam maximum emolumentum novis sociis esset. » Vide similia apud Cæsar. de Bell. Civ. III, 60; Appian. I de Bell. Civ. — *Gratiorem omni pecunia prædam.* Merito; nam et si pecuniæ cupido fuisset, magno pretio captivos illos suis potuissent reddere; et si major utilitas optaretur, per hæc nobilissimorum potentissimorumque hominum pignora eorum fides sollicitari, certe audacia virtusque frangi poterat, metuentium, ne in suos vindicaretur, si quid hostibus damni intulissent.

7. *Gangabas.* Tres libri: *Cangabas.* — *Et humus rigebat gelu, tum adstrictas vestes.* Adstrictas vestes interpretatur Raderus per collectas in sarcinas, ut humeris ferri possent. Schefferus de iis, quæ corpori presse adhæreant; quæ hic quidem locum habere nequeunt. Unde cum Acidalio legendum censet (*et humus rigebat gelu tum adstricta*) *vestes*, etc. Sagacissima quidem est hæc conjectura, ut, si unus tantum Cod. tueretur, in textum recipere non dubitarem. Schmiedero quidem omnia ista frigora Curtius finxisse

portabant, auro et purpura insignes, induunt, nullo
prohibere auso; quum fortuna regis etiam humillimis
in ipsum licentiam faceret. Præbuere ergo Parmenioni 8
non spernendi agminis speciem: qui intentiore cura
suos quasi ad justum prælium, paucis adhortatus,
equis calcaria subdere jubet, et acri impetu in hostem
invehi. At illi, qui sub oneribus erant, omissis per 9
metum, capessunt fugam: armati, qui eos prose-
quebantur, eodem metu arma jactare, ac nota dever-
ticula petere cœperunt. Præfectus, quasi et ipse con- 10
territus (similans), cuncta pavore compleverat. Jace-
bant totis campis opes regiæ: illa pecunia stipendio
ingenti militum præparata; ille cultus tot nobilium
virorum, tot illustrium feminarum; aurea vasa; aurei
fræni; tabernacula regali magnificentia ornata; vehi- 11
cula quoque a suis destituta, ingentis opulentiæ plena:

videtur. Nivem enim, inquit, et glaciem ubivis terrarum in montibus excelsis reperiri, certum est; at in planitiebus circa Damascum, ob situm torridæ zonæ propinquiorem, maxime solis ardore flagrantibus, fortasse nemo unquam nivem vidit. Quum tamen mense Macedonico *Mæmacterioni* qui novembri vel decembri respondet, ad Issum pugnatum sit, non prorsus indigna est Curtii narratio cui fidem adhibeamus. — *Fortuna regis*. Darii victi et fugientis. Magnam enim fortunam e fastigio deturbatam illico ludibrium sequitur. Optime Phædr. lib. 1, fab. 22: « Quicumque amisit dignitatem pristinam, Ignavis etiam jocus est in casu gravi. »

8. *Parmenioni*. De cujus stratagemate vide Polyænum IV, 5. Calonibus, quum diffugerent, nuntiari jussit, quemque, qui manibus suis jumenta sua non apprehenderit, trucidatum iri. Quod barbaris metuentibus, thesauri Alexandro servabantur. Contraria, ut vides, narrat Curtius.

9. *Omissis*. Sc. oneribus illis; quod ex præcedentibus intelligendum. Nisi plane scripsit *omissis iis*. — *Prosequebantur*. Sic scripsi pro *persequebantur*, Modio præeunte. Mox vocem *similans* cum Freinshemio pro glossemate habeo. In margine ed. Gryph. ex conjectura legitur: *fugam similans*. Gronovius ingeniosissime, ut semper, conjecerat: *præfectus se et ipse conterritum simulans*, et meliori forsan verborum mutatione: *conterritus simulato cuncta pavore compleverat*.

10. *Stipendio ingenti*. Secunda vox glossa videtur Freinshemio, non mihi. Stipendium sane tanti exercitus, in summa computatum, erat ingens.

11. *Ingentis*. Quidam *gentis*, quod approbant Modius et Raderus; rejicit, et merito quidem, ut arbitror, Frein-

facies etiam prædantibus tristis, si qua re avaritia moveretur. Quippe tot annorum incredibili et fidem excedente fortuna cumulata, tunc alia stirpibus lacerata, alia in cœnum demersa eruebantur: non suffi-
12 ciebant prædantium manus prædæ. Jamque etiam ad eos, qui primi fugerant, ventum erat: feminæ pleræque parvos trahentes liberos ibant; inter quas tres fuere virgines, Ochi, qui ante Darium regnaverat, filiæ, olim quidem ex fastigio paterno rerum mutatione detractæ; sed tum sortem earum crudelius ag-
13 gravante fortuna. In eodem grege uxor quoque ejusdem Ochi fuit, Oxathrisque (frater hic erat Darii) filia, et conjux Artabazi principis purpuratorum, et
14 filius, cui Ilioneo fuit nomen. Pharnabazi quoque, cui summum imperium maritimæ oræ rex dederat, uxor cum filio excepta est: Mentoris filiæ tres; ac nobilissimi ducis Memnonis conjux et filius: vixque ulla do-
15 mus purpurati fuit tantæ cladis expers. Lacedæmonii

shemins. Non inepte, sed nullo auctore Codice, conjecit Rutgersius: *vehicula quoque suis destituta agentibus*, id est, *aurigis*. — *Si qua re avaritia moveretur*. Sic pro: *si qua res avaritiam moraretur* ex verissima Schefferi, varr. lectt. sequentis, conjectura scripsi. — *Stirpibus*. Hoc loco, radicibus et truncis arborum.

12. *Tres virgines*. Vox prior in multis Codd. omittitur. Natu minimam Arrian. VII, 4, 6, Parysatin vocat, quæ Alexandro nupsit. — *Ante Darium*. Post Ochum per quadriennium regnavit filius, Arses sive Arsames; cui a Bagoa exstincto successit Darius. — *Olim quidem*. Ex culmine paterni imperii dejectæ, rerum persicarum vicissitudine, patre et fratre regibus a Bagoa sublatis.

13. *Oxathris filia*. Darii frater ap. Arrian. VII, 4, 8, Oxyartes vocatur, ejusque filia Amastrine. — *Cui Ilioneo fuit nomen*. Nomen Ilioneus suspectum mihi est, græcam magis quam persicam linguam redolens. In Cod. Th. legitur *Hyoneo*; in nostro 5718, *Iloneo*. Artabazi filiorum, quotquot novi, nomina sunt Cophen, Pharnabazus, Ariobarzanes, Arsames: nullus, præter Curt., *Ilioneum* nominat.

14. *Mentoris*. Qui Memnonis frater fuerat, Rhodius, clarissimus suo tempore Persarum dux. — *Memnonis conjux*. Barsine, Artabazi filia, tunc vidua, græcis literis et moribus instituta, quam, propter generosam indolem formamque animo non minorem, Alexander postea, Parmenione suasore, uxorem duxit. Plut. Alex. c. 36. Sed Arrianus, VII, 1, Barsinen Darii, non vero Artabazi filiam fuisse dicit.

quoque et Athenienses, societatis fide violata, Persas sequuti; Aristogiton, Dropides et Iphicrates, inter Athenienses genere famaque longe clarissimi; Lacedæmonii, Pausippus et Onomastorides, cum Monimo et Callicratide, ii quoque domi nobiles. Summa pe- 16

15. *Societatis fide violata*. Societatem inierant cum Alexandro contra Persas, quam, legatis ad Darium missis, violaverant. — *Aristogiton, Dropides*, etc. Videtur Curtius in unum confudisse, quæ diverso tempore acciderant. Nam Arrianus, II, 15, 2, cui plurimum in hac historia tribuo, ad Damascum captos prodit Græcorum legatos, qui ad Darium ante prælium apud Issum advenerant, *Euthyclem*, Lacedæmonium; *Thessaliscum* Ismeniæ filium, et *Dionysodorum* olympionicen, Thebanos; *Iphicratem* autem, Iphicratis copiarum ducis filium, Atheniensem. Iterum III, 24, 7, post pugnam ad Arbela in Mardis reperisse Alexandrum Lacedæmoniorum legatos, qui ad Darium missi fuerant. Hi erant *Callistratidas*, *Pausippus*, *Monimus*, *Onomantes*, ac *Dropides*, Atheniensis. Quæ sane nomina non minimam cognationem habent cum iis, quæ in Curtii Codicibus leguntur, quos inde emendari posse autumo. Diversis ergo temporibus hi legati capti sunt. De secunda Græcorum legatione iterum loquitur Curtius infra VI, 5, 7 sqq. neglectis legatorum nominibus. *Aristogiton* Radero idem esse videtur, in quem duæ Demosthenis orationes exstant. Ab Arriano non nominatur. *Dropides* parum clarus fuisse videtur. *Iphicrates* vero ob patrem, rebus belló gestis clarissimum, insignis erat. Hi tres *genere famaque longe clarissimi* dicuntur. Quod nostris quidem temporibus de solo Iphicrate certum est. At ni fallor, in his secundum Curtii errorem video. Legerat in græco suo auctore, legatos græcos ap. Damascum captos, præter Euthyclem Lacedæmonium, hominem obscurum, ab Alexandro ob generis nobilitatem et quod ipsi jam famam nacti essent, dimissos nec in custodiam traditos esse. Clari vero erant, præter Iphicratem, Thebanorum legati, Thessaliscus generis nobilitate, Dionysodorus ob victoriam in Olympiis, Arrian. II, 15. Utriusque mentionem non fecit Curtius. Quod verum erat de his, idem de alteris alio tempore captis legatis, ex. e., Dropide, narrat; idque falsum est, saltem a nullo, qui exstant adhuc, scriptore traditum. Inter legatos Lacedæmonios apud nostrum non legitur Euthycles, qui solus Damasci captus erat. Cæterum hæc nomina omnia, ut solet in libris scriptis, corruptissima erant. Plurima emendavit Freinshemius. Onomastorides est Arriani Onomantes; Callicratides ejusdem Callistratidas. Ea ex nostris tantum Codd. 5717, 5718, attulerim, nempe: *Aristogiton*, *Rhopides*, *Leucrathes*, *Passipus et Onomastorides cum Omaio et Callicratide*. Menda omnibus obvia sunt.

16. *Pecuniæ signatæ*. Daricorum. Persæ nummis aureis utebantur, qui, vel quod Darii imaginem insculptam haberent, vel quod primus Darius Hystaspis eos excudi jusserat, Darici dicti sunt. Daricus si viginti censetur drachmis argenteis Atheniensibus, æquat circiter *un louis d'or de vingt francs*. Persarum etiam nummos sa-

cuniæ signatæ fuit talentorum duo millia et sexcenta; facti argenti pondus quingenta æquabat: præterea triginta millia hominum cum septem millibus jumento-
17 rum, dorso onera portantium, capta sunt. Cæterum dii tantæ fortunæ proditorem [sepulturæ] celeriter de-

gittarii nota signatos fuisse, et *sagittarium* dici numisma persicum elegans illud Agesilai dictum declarat, quem quum magistratus Lacedæmoniorum ex Asia revocarent, ferunt discedentem ad amicos dixisse, « se triginta sagittariorum millibus ex Asia a rege Persarum expelli. » Hæc enim nota erat persico numismati; et his deiatis Athenas Thebasque, et divisis inter eos, quorum summa esset in civitatibus auctoritas, bellum in Lacedæmonios totius Græciæ concitarunt Persæ, ut Plutarchus, Agesil., 25, et Artaxerx. 31, refert. — *Talentorum duo millia et sexcenta*. Sic scripsi cum nostris Codd. pro *et sexaginta*. Recte Freinshemius longe majorem pecuniam repertam esse suspicatur, quum alias ob caussas, tum maxime, quod Arrianus in castris ad Issum captis non ultra tria millia talentorum inventa fuisse tradidit, quia Darius majorem pecuniæ partem Damascum misisset. Verum est, qood adjecit: in nullam fere scriptorum partem plus fortunæ licuisse, quam in numeros. Cæterum si talenta attica intelligantur, æquant 14,040,000 fr.; si vero babylonica, quod verosimilius est, æquant 16,380,000 fr. — *Facti argenti*. Orig. XVI, 17: « Tria sunt genera argenti, auri et æris: *signatum*, quod in nummis est; *factum*, quod in vasis et signis; *infectum*, quod in massis est. » Sed pro *facti* omnes fere libri veteres *facile*. Quod si conjungitur cum sequenti *æquabat*, sensum habet non inconvenientem.

17. *Sepulturæ*. Vulgo *perfidiæ*, quod vero, ut pleonasmum illum taceam, nulla prorsus MSS. auctoritate nititur. Locum non integrum esse, facile apparet. Cui enim bono istud *sepulturæ*. Huic sententiæ variis diversisque conjecturis succurrere quidam conati sunt, sed vereor ne oleum et operam perdiderint. *Tan. Lefevre* I, ep. 51, legere voluit *securum sceleris*. Schefferus *seque ulturi*; « hoc est, inquit, persecuti sunt proditorem et se; proditorem, propter proditas fortunas regis sui; se, propter fidem, quam datam regi per deos solemni juramento fefellerat, etc. » Gronovius, rejecto *dii*, quod etiam in multis, in primis in nostris Regg. abest, ita legit: *cæterum t. fort. proditorem superi ultores celeriter*, etc. Et illud maxime omnium mihi placet. Clerico placuit *imposturæ* quamvis ipse non profiteri non possit talem vocem, excepto Ulpiano, in antiquis nusquam occurrere. Heinsios commendat: *dii scelus ulturi*. Quum vero in Th. et quibusdam aliis plane absit, Henmannus rectissime conjicit, vocem istam per librarii errorem in textum irrepsisse. Fieri etiam potuit ut insipiens librarius in margine verba *debita pœna* explicandi caussa adderet *sepulturæ*, et alius deinde hanc explicationem per errorem atque inscitiam in textum ipsum reciperet. Freinsh. quidem religionem putat, omittere vocem, quam omnes codd. retinere dicantur, quæque temere huc invadere non potuerit. Itaque sanandam potius quam recidendam censet, atque lectionem fingit, quam ipse tamen impro-

t

bita pœna persequuti sunt : namque unus e consciis ejus, credo, regis vicem etiam in illa sorte reveritus, interfecti [proditoris] caput ad Darium tulit, opportunum solatium prodito : quippe et ultus inimicum erat; et nondum in omnium animis memoriam majestatis suæ exolevisse cernebat.

bat : *dii t. f. pr. ulturi.* Sed in antecedentibus jam satis demonstravimus eam vocem non *temere* adesse. Cæterum *Vaugelas*, hunc locum ita vertit : *au reste, les dieux puniront bientôt l'auteur d'une si grande désolation.* Legisse igitur videtur : *auctorem sepulturæ tantæ fortunæ* vel *auctorem tantæ fortunæ sepultæ*, quod vero justo audacius foret. — *Interfecti proditoris.* Secundam vocem Schefferus ex glossa esse censet.

LIBER III.

EXCURSUS I.

DE PHALANGE MACEDONICA.

PHALANX, celeberrima illa Macedonum acies, seu militum ad pugnam constituendorum modus, a Philippo, viro qui arte atque disciplina militari plurimum pollebat, inventa, vel potius instituta esse videtur. Diodorus Sic. XVI, 3, eam rem his verbis tradidit: Τὰς δὲ στρατιωτικὰς τάξεις ἐπὶ τὸ κρεῖττον διορθωσάμενος καὶ τοὺς ἄνδρας τοῖς πολεμικοῖς ὅπλοις δεόντως κοσμήσας, συνεχεῖς ἐξοπλισίας μὲν καὶ γυμνασίας ἐναγωνίους ἐποιεῖτο. Ἐπενόησε δὲ καὶ τὴν τῆς φάλαγγος πυκνότητα καὶ κατασκευὴν, μιμησάμενος τὸν ἐν Τροίᾳ τῶν ἡρώων συνασπισμὸν καὶ πρῶτος συνεστήσατο τὴν Μακεδονικὴν φάλαγγα. Acies illa haud absimilis, quæ jam temporibus trojani belli apud Græcos in usu fuit, et quam Philippus in concinnanda phalange macedonica respexisse atque imitatus esse dicitur, ab Homero, Iliad. N. 130, ita describitur:

Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ·
Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ,
Ψαῦον δ' ἱππόκομοι κόρυθες λαμπροῖσι φάλοισι
Νευόντων· ὡς πυκνοὶ ἐφέστασαν ἀλλήλοισιν.
Ἔγχεα δ' ἐπτύσσοντο θρασειάων ἀπὸ χειρῶν
Σειόμεν'· οἱ δ' ἰθὺς φρόνεον, μέμασαν δὲ μάχεσθαι.

Atque instructos ita Achivos, idem poeta sæpius, v. c. Iliad. M, 43, et N, 152, πυργηδὸν σφέας αὐτοὺς ἀρτύναντες dixit.

Alexander, ipso patre magistro arte bellica institutus, eique et virtute et sagacitate atque solertia minime impar, Philippo deinde successit, ejusque insistens vestigiis, non veterem solum disciplinam servavit, sed etiam, quæ prava aut minus apta ibi invenisset, sedulo emendavit: id quod scriptores rerum ab illo gestarum passim

arguunt; inprimis Arrianus, qui VII, 28, illum *καὶ τάξαι στρατιὰν καὶ ὁπλίσαι τε καὶ κοσμῆσαι δαημονέστατον* vocat.

Quæ autem de vera macedonicæ phalangis ratione, ex diversis illis, qui in antiquis scriptoribus exstant, locis, quorum tamen nullus aliter de illa agit, nisi *ὡς ἐν παρόδῳ*, colligi possunt, hæc fere sunt :

Macedonica phalanx constabat XVI millibus peditum gravis armaturæ, quæ in totius aciei medio posita atque in decem cohortes divisa erant, quarum singulæ plerumque latitudine centenos, altitudine senos denos milites comprehendere solebant. Qui vero numerus pro loci natura immutabatur, et, ubi æquitas iniquitasve soli ita ferret, altitudine deminuta, in latitudinem ordines extendebantur, altitudine vero in vicem aucta, latitudo contrahebatur. Varias illas aciei commutationes Curtius noster verbis *circumire*, *discurrere in cornua*, *mutare pugnam* indicasse videtur.

Arma Phalangitarum erant, gladius longus (Diod. Sic. XVII, 53), *ἀσπὶς* seu scutum majus, atque *σαρίσσα*. Hæc *σαρίσσα* unum et viginti pedes longa maximo illis erat usui, id quod e sequentibus apparebit. In itinere laxis ordinibus procedebat phalanx; ad pugnam vero instructa, ita erat coarctata, ut singulis militibus vix spatium trium pedum concederetur. Ab hoste deinde lacessita, multo arctius sese contrahere solebat; et vir viro, armaque armis ita conserebantur, ut cuique militum vix XVI digitorum spatium relinqueretur. Tum milites priorum ordinum sarissam ita tenebant, ut XV pedes alia super aliam ante ipsos promineret, qua cuspidum infesta atque impenetrabili copia hostibus maximus injiciebatur terror, et ad cominus pugnandum accedere nullo modo poterat; in ordinibus vero posterioribus prostantes, sarissarum cuspides ita subrigebant, ut antecedentibus commilitonibus adversus missilia hostium tecto atque tutamento essent. Simul etiam postremi milites non solum sustinebant ordines præcedentes omni qua poterant vi, sed etiam impediebant, quo minus retrocedere aut fugere possent, adeo ut iis qui in fronte et medio aciei essent, nihil prorsus liceret, nisi aut vincere aut mori.

Quid igitur mirum, si Alexander tantæ tot electissimorum exercitatissimorumque juvenum multitudinis dux prudentissimus audacissimusque, quotiescunque contra artis bellicæ rudes aut molles luxuque effeminatas gentes bellum gereret, superior semper evaderet, atque e perpetuis suis victoriis splendidum deinde caperet consilium, totum terrarum orbem in potestatem suam redigendi ?

Plura de Phalange Macedonica disseruere Polyb. XII, passim, et XVII, 26; Ælian., de Instruendis acieb.; Plutarchus, in Paullo Æmilio et Pelopida; conf. etiam Crophii Antiquitat. Macedonic. lib. III; Potteri Archæolog. græc. lib. III, c. 2; et *Follard*, *Commentaires sur l'Histoire de Polybe*.

Ea quidem Cunzius, de origine et ordine phalangis. Ut vero plane lector non phalangis solum, sed cujuslibet etiam græci exercitus compositionem et motus intelligat, quædam ex Arriani tacticis transcribo, quibus illustrior fiat Alexandri expeditio ex Arriano, si quis eam cum Curtio conferre voluerit.

« *Ordo* nominatur certus numerus virorum, a præfecto suo iisque qui sequuntur ipsum, a tergo constitutorum usque ad postremum, qui et *Uragus* dicitur. Numerum autem ordinis alii definiverunt viris octo, alii decem, alii duodecim, alii etiam sedecim. Nobis autem summus latitudinis illius numerus sit virorum sedecim, nam convenientem habet magnitudinem, et ad longitudinem, et ad latitudinem phalangis, et transmittere jacula velites a tergo stantes poterunt. Et sive duplicetur latitudo, fiatque virorum triginta duorum, non enormis erit, sive contrahatur frons, fiatque virorum octo, non tamen latitudine omni phalanx erit destituta. Si vero numerus ejus octonarius dividatur in quaternarium, plane latitudo omnis amittetur.

« Oportet autem præfectum ordinis cujuslibet, primumve, constituere ac eligere optimum, qui et *Protostata*, et *ductor* vocatur. Ordinem autem aliqui et *versum* vocant, aliqui etiam *decuriam*, forsan, quod ex decem apud eos viris constaret. De *Enomotiæ* autem vocabulo alia aliaque est sententia. Quidam enim putant aliud quid significare, quam ordinem, alii quartam partem ordinis vocari *Enomotiam*; ac præfectum quidem ejus *Enomotarcham* dicunt. Duas autem Enomotias, *Dimœriam*, cumque qui ipsi præest, *Dimœritam*. Xenophon autem quanta pars sit ordinis Enomotia, non declarat. Quod vero minus quid, quam totum dimidium sit, apparet ex eo, quod *Lochagos* per Enomotias dicat constituisse suum ordinem. Cæterum qui locum suum habet statim post *Lochagum*, *Epistata* dicitur, qui vero post hunc, *Protostata*, et qui post ipsum, iterum Epistata, ut quilibet ordinis versus sit compositus ex Protostatis et Epistatis per vices. Oportet autem non Lochagum solum optimum ordinis totius, sed et Uragum non multo deteriorem eligi.

« Multa nam ipsi quoque, eaque non levia, in præliis commit-

tuntur. Est igitur ordo, versus ex Epistatis Protostatisque in medio Lochagi et Uragi constitutus. *Syllochismus* vero est conjunctio lochi, seu ordinis unius cum altero, fitque, quum primi ordinis Lochagus, Lochago secundi adjungitur, ejusdem Epistatæ, Epistata ordinis secundi, atque sic deinceps. *Parastata* autem appellatur, qui in jugo alii associatur, ut Lochagus primus, Lochago secundo, Epistata primus, Epistatæ secundo, atque sic deinceps, usque ad Uragos ordinum. Cumque multi ordines sic inter se sunt sociati, *Syllochismus* id vocatur.

« Tota autem omnis multitudinis conjunctio *Phalanx* appellatur. Cujus longitudo est ordo primus, consociatio prima ex Lochagis constans, quæ et *frons* a quibusdam dicitur. Sunt qui et *faciem*, et *jugum*, et *os* hoc ipsum, itemque qui *Protolochiam*, seu primum ordinem appellant. Quicquid autem est post frontem ad Uragos usque, *latitudo* dicitur. Qui vero in longitudinem directe inter se sunt conjuncti Protostatæ, dicuntur *jugare*. Qui autem secundum latitudinem directe inter se sunt conjuncti cum Uragis et Lochagis, *versare*. Dividitur autem phalanx in partes duas maximas, divisione frontis per totam latitudinem. Et harum quidem partium una, quæ a dextra est, *dextrum* appellatur *cornu*, sive *caput*; quæ vero a sinistra, *sinistrum cornu*, sive *cauda*. Ubi autem est divisio illa longitudinis, ibi dicitur esse *umbilicus*, et *firmamentum*.

« Post graviter armatos plerumque collocantur leves, ut habeant munimentum aliquod ab illorum armis; graviter armati autem commodum, ex missilium jaculatione, facta ab iis qui post ipsos collocati sunt. Quanquam et in locis aliis aliter interdum leviter armati fuerint collocati, ad utrumque nempe *cornu*, vel si alterum ex his munitum fuit flumine, aut fossa, aut mari, tantum ad alterum, idque ad reprimendum ex superiori loco hostium incursum in illud, aut ad prohibendam ejus circumventionem. »

Definita vero divisione exercitus, ita de numero militum agit:

« Numerum ejusmodi, qui periti horum fuere, constituerunt, qui ad unitatem usque posset æqualiter in duo dividi; ut sedecim millium et trecentorum octoginta quatuor virorum, si haberi possunt, gravis armaturæ aciem, hujus autem dimidium levis armaturæ, et rursum hujus dimidium, equitum aciem. Ita enim numerus hic usque ad unitatem dividetur, ut duplicari conjunctus in latitudine, et contractus extendi facile celeriterque possit, si

quando requirat usus. Et quia ordinis versusve cujuslibet latitudinem virorum sedecim constituimus, quatuor et viginti supra mille ordines erunt dicti nnmeri totius.

« Hi autem dividuntur in *tagmata* sua, quorum quodlibet deinde suum proprium habet nomen : nam ordines duo juncti inter se, vocantur *Dilochia*, constans viris triginta duobus; quique præest eis, *Dilochita*. *Tetrarcha* vero, qui viris sexaginta quatuor præest. Duæ autem *Tetrarchiæ* appellantur *Taxis*, ordinum quidem octo, virorum vero centum viginti octo; quique præest eis, *Taxiarcha*. Fit et ex viris centum corpus, cui qui præest, *Hecatontarcha* nominatur... ordinum qnidem sedecim, virorum autem ducentorum quinquaginta sex ; quique ei præest, *Syntagmatarcha*. Quidam vero corpus hoc *Xenagiam* nominant, quique præest ei, *Xenagum*. In quolibet autem corpore virorum ducentorum quinquaginta sex, selecti sunt viri, *signifer*, *uragus*, *tubicen*, *minister*, *præco*, totumque quadrata figura dispositum sedecim viros habet in longitudinem, et sedecim in latitudinem. Duo autem Syntagmata continent viros quingentos et duodecim, ordines duos et triginta; quique his præest, *Pentacosiarcha* dicitur. Duæ autem *Chiliarchiæ*, *Merarchia*, quæ continet viros bis mille quadraginta octo, quiqne præest eis, *Merarcha* dicitur; ordines autem centum viginti octo. Quidam corpus hoc appellant *Telos*. Duæ porro Merarchiæ *Phalangarchia* dicuntur, quæ continet viros quater mille nonaginta sex, ordines ducentos quinquaginta sex ; quique præest ei, *Phalangarcha* nominatur. Aliqui hoc corpus vocant *Strategiam*, quique præest ei, *Strategum*. Duæ autem Phalangarchiæ, *Diphalangarchia*, quæ continet viros octies mille centum nonaginta duos, ordines quingentos et duodecim. Dicitur autem hoc corpus a quibusdam quoque *Merum*, et *Cornu*. Duæ autem Diphalangarchiæ dicuntur *Tetraphalangarchia*, quæ habet ordines mille viginti quatuor, viros decies sexies mille trecentos octoginta quatuor. Ut si totam multitudinem exercitus pedestris proponere velimus, occurrant in eo *cornua* quidem duo, *Phalangarchiæ* vero quatuor, *Merarchiæ* octo, *Chiliarchiæ* sedecim, *Pentacosiarchiæ* duæ et triginta, *Syntagmatarchiæ* quatuor et sexaginta, *Taxiarchiæ* centum viginti octo, *Tetrarchiæ* ducentæ quinquaginta sex, *Dilochiæ* quingentæ duodecim, *Lochi* sive ordines mille viginti quatuor.

« Collocatur autem phalanx in longitudine quidem aliquando largius, si permittit locus et utile est; aliquando vero densius,

quo condensatione tali tutius hostes possint invadi, quemadmodum Epaminondas in pugna leuctrica ordinavit Thebanos, et ad Mantineam omnes Bœotios, velut cuneum, constituens, et irruens in aciem Lacedæmoniorum; vel etiam quo facilius incurrentes possint submoveri, quemadmodum contra Sauromatas et Scythas hoc est utile.

« Est autem condensatio, aciei largius stantis in angustius quædam coarctatio, secundum Parastatam et Epistatam, hoc est, in longitudinem pariter ac latitudinem. *Synaspismus* vero, quum phalanx condensatur in tantum, ut propter cohæsionem contextumque omnium inter se, in latus nullum amplius vergere ordines valeant. Et per hujusmodi Synaspismum, Romanorum fiunt *testitudines*. Plerumque autem corpus hoc quadratum est, aliquando tamen ovali figura, vel altera parte longius, aut rotundum; quique stant in eo primi, scuta ante se protendunt; qui vero constituti sunt post ipsos, tendunt ea super istorum capita, et alii super horum, atque ita totum corpus undequaque tegitur, adeo, ut et jaculatores superne, velut in tecto queant versari, nec saxa, quamvis ingentia compagem istam dissolvant, sed devolvantur ei robori injecta in humum.

« Phalanx macedonica terribilis hostibus non opere solum, verum etiam aspectu fuit. Vir enim armatus stabat in condensatione spatium duorum cubitorum summum occupans. *Sarissarum* autem longitudo pedum erat sedecim, quorum quatuor quidem cedunt manibus tenentis corporique, duodecim autem prominent ante corpus cujuslibet ex Protostatis : qui autem substituti sunt in jugo secundo, eorum sarissæ subtractis pedibus duobus ultra Protostatas prominent ad pedes decem : qui vero in tertio, eorum ultra Protostatas prominent ad pedes octo et amplius : qui in quarto, ad pedes sex : qui in sexto denique, ad pedes duos. Ad quemlibet igitur Protostatam prominebant sarissæ sex, undequaque alia post aliam provenientes, ut armatum quemlibet sex tuerentur sarissæ, viribusque suis impetum promoverent ejus; quique in sexto stabant jugo, si non sarissis, pondere saltem corporum juvabant eos, qui stabant ante ipsos, ut impetus phalangis in hostem redderetur intolerabilior, et Protostatarum fuga impossibilior.

« Uragos autem non tam ex promptitudine animi, quam usu et experientia rerum bellicarum eligi oportet, ut sciant, quomodo ordines jugare debeant, iisque qui flagitium aliquod volent committere, obstent, nec concedant suum ordinem deserere. Sed, si

quando Synaspismo opus est, hic est potissimum, qui in arctum constitutos ante se compellit, unde robur omne agmen nanciscitur. »

Prætereo quæ de levis armaturæ et equitatus ordine memorat, ut omnes exercitus motus et conversiones referam.

« Cæterum *clisis*, est motus qui fit a viris singulis, eaque, quæ in hastam dicitur, fit in dextrum latus, quippe ubi miles hastam tenet; quæ vero in clypeum, fit in sinistrum, ubi gestat clypeum. Ac siquidem simplex fit clisis, vultus convertitur in latus; si vero duplex, vultus militis convertitur ad tergum. Cæterum hæc species nunc *metabole* vocatur. *Epistrophe* autem est, quum syntagma totum ad parastatam simul et epistatam condensatum velut unius viri corpus in hastam, vel clypeum inclinamus, stante lochago velut centro, totoque agmine circumacto, et capiente locum anteriorem, conspectum vero ad dextram, manente quolibet epistata et parastata. *Anastrophe* autem est restitutio epistrophes in locum priorem. *Perispasmus* autem appellatur motus agminis ex duabus epistrophis constans, ita ut priorem locum posteriore permutent. *Experispasmus* vero, ex tribus epistrophis constans, motus continuus totius agminis, ita ut si commutatio fiat in hastam, aspectus vertatur in sinistram, si vero in clypeum, vertatur in dextram.

« Στοιχεῖν seu versare dicitur, quum recta serie incedunt cum lochago et urago, æqualia inter se spatia servantes. Ζυγεῖν seu jugare, quum recto ordine incedit quilibet secundum longitudinem ex iis, qui sunt in versu jugante. Jugant autem simul cum lochago lochagi omnes, eumque epistata ejus lochagorum aliorum epistatæ, et sic deinceps cæteri similiter. *In rectum dare*, est vultum militum in priorem locum vertere, ut si quis in hostes conversus jubeatur inclinare in hastam, deinde dare se in rectum, debebit is rursum convertere se in hostem.

« *Exeligmorum* autem species sunt duæ, una per versus, alia per juga; utraque iterum in tres species dividitur. Est enim unus exeligmus, qui Macedonicus, et alius, qui Laconicus, et alius, qui Creticus vocatur, quem ipsum Persicum et Chorium etiam invenio dictum. *Macedonicus* est, qui priorem phalangis locum transfert, verum frontem, quam habuit in anteriora, vertit in posteriora. *Laconicus* vero, qui posteriorem locum capit, et similiter frontem, quam habuit in anteriora, vertit in posteriora. *Creticus* autem, qui et *Persicus* vocatur, eumdem quidem phalangis reti-

nere locum facit agmen totum, singulos autem armatos relinquere locum suum, et capere alium, lochagum quidem uragi, uragum vero lochagi, et pro fronte in anteriora, frontem in posteriora vertere.

« *Exeligmi* autem per juga finut, quum quis ad sectiones statuere vult cornua, ad cornua vero sectiones, et medium phalangis omne confirmare, et similiter ad dextra ponere sinistra, et ad sinistra, dextra. Qui in partibus majoribus facere exeligmos timent, propter hostium vicinitatem, et nihilominus mutare aciem debent, ii facere eos possunt, per singula syntagmata. Exeligmus qui fit per versus, Macedonicusque vocatur, fit, quum mutatur lochagus, quique sequuntur, ab hasta se vertentes, alii post alios collocantur. Exeligmus autem Laconicus vocatur, quando lochago vertente se ab hasta versum totum in alium æqualem priori vertit locum, cæteri autem sequentes ordine post eum similiter statuuntur; vel, quando uragus immutatur, ac qui post eum constitutus uragus, ab hasta præcedens ante eum collocatur, cæterique similiter alius ante alium statuitur, donec lochagus fiat protostata. *Chorius* autem exeligmus fit, quum lochagus conversus in hastam procedit in versu, donec venerit ad locum uragi; uragus autem, donec ad lochagi. Atque ita quidem fiunt per versus; ad eumdem vero modum et per juga quomodo fiant non difficile est intelligere.

« *Diplasiasmorum* vero sive duplicationum genera sunt duo, quædam per juga, quædam in latitudinem. Atque harum quidem quælibet aut numero fiunt, aut loco. Numero quidem, si pro mille viginti quatuor in longitudine faciamus bis mille quadraginta octo, eumdemque locum phalanx tota retineat. Fit hoc autem insertis in medio armatorum epistatis, qui sunt in latitudine, atque ita densatur frons phalangis. Quod si hos restituere volumus figuræ priori, exclamemus, *qui in longitudine sunt inserti, revertantur in ordinem.* Sin vero duplicare locum etiam voluerimus longitudinis, ut, exempli gratia, stadiorum quinque aciem extendere in decem, ex latitudine insertos in longitudinem medium inter armatos intervallum jubebimus ad dextram explicari, reliquos vero eorumque dimidiam partem ad sinistram a versibus secundis ad cornua incipientes, atque ita duplex obtinebit spatium universa acies. Quod si restituere hos volumus priori formæ, explicare eos, qui sunt ad cornua collocati, jubebimus ad loca, quæ prius habebant. Non autem penitus sunt conducibiles hæ duplicationes, si hostes in propinquo sunt, quod tumultus quamdam speciem in exercitu nostro præ-

beant, exercitusque ipse in transmutatione minus ordinate firmiterque collocetur. Verum longe melius, extendere levis armaturæ milites atque equites, ut ex duplicatione, absque mutatione phalangis pedestris, terror hostibus injiciatur. Est autem dnplicatio necessaria, quando circuire cupimus cornu adversariorum, aut cavere, ne ipsi circumeant.

« Latitudo autem duplicatur, si secundus versus primo adjungitur, ita ut secundi versus lochagus epistata fiat lochagi in primo versn, epistata primi versus, epistatæ secundi versus epistata. Ita namque qui primus erat versus secundi, secundns fiat versus primi, secundus vero versus secundi, qnartus primi versus. Atque sic deinceps sese habet versus omnis erga primum, quando secnndum latitudinem celeriter duplicandum. Ita namque et versus qnartus tertium dilatat, si ei addatur; et in universum omnes pares, si imparibus inserantur. Nec vero, quomodo secundum latitudinem locus duplicari debeat, intellectu est difficile, itemque quomodo acies ex eo restituatur ad priorem formam.

« *Plagia* quidem seu *transversa* phalanx, quæ longitudinem latitudine multo habet majorem; *orthia* vero, sive *recta*, quum fit processus in cornu; sic autem etiam latitudo major fit longitudine. In universum vero longum agmen dicitur, cujus longitudo major est latitudine; rectum autem, cujus latitudo major longitudine. *Laxa* vero seu *obliqua* phalanx, quæ cornu alterutrum, quodcumqne visum fuerit imperatori, hostibus habet proxime objectum, eoque solo præliatur, atqne alterum servat velnt in subsidium. *Parembolam* sive *insertionem* nominant, quum in spatiis quorumdam, qui priori positi sunt loco, intermediis, qui stant in posteriori loco, collocantur recta cum eis linea, ut sic impleatur spatium vacuum, ante in phalange relictum. *Prostaxis* vero, quum ab utroqne mero, vel tantum alterutro ad cornu ponitur globus, qui phalangis fronti recta linea respondeat. *Entaxin* autem seu *injunctionem* vocant, quando leviter armatos in intervalla peditum inserunt, virum viro adjungentes. *Hypotaxin* vero, seu *subjunctionem*, quando leviter armatos ad extremitates phalangis subjungit aliquis figura quasi inflexa. »

Concludamus panca memorando quibus ducum et præfectorum mandata noscantur.

« Cæterum mandata brevia perspicuaque dari oportet. Fit hoc autem, quando, uti absque ambiguitate intelligere possint milites, operam damus. Ut si dicas, *inclina*, addasque *in hastam clypeumve*,

qui sueti sunt celeriter obtemperare mandatis, aliter aliterque id accipientes, diversimode facient. Non igitur dicendum, *inclina in hastam*, vel *inclina in clypeum*, sed inverse, *in hastam inclina*, *in clypeum inclina*. Sic enim universi idem intelligent efficientque. Ad eumdem ergo modum neque *immuta*, neque *explica* dicendum, quum mandatum datur. Hæc enim generis actionem innuentia audientes inducunt ad actiones alias aliasque, sed species præponendæ sunt generi, ut, *ad hastam immuta*, vel *ad clypeum*. Exinde quoque potius dicimus, *Laconicam explica*, aut *Choriam*, aut *Macedonicam*. Si vero non præponas qualem, et simpliciter dicas, *explica*, alii aliam explicationem explicabunt.

« Nihil autem æque utile in itineribus pugnisque ac silentium exercitus totius. Id quod et Homerus ostendit in poemate. Nam de ducibus Græcorum ait, quod κέλευε δὲ οἷσιν ἕκαστος ἡγεμόνων; de exercitu vero, οἱ δ' ἄλλοι ἀκὴν ἴσαν, οὐδέ κε φαίης Τόσσον λαὸν ἕπεσθαι ἔχοντ' ἐνστήθεσσιν αὐδὴν, Σιγῇ δειδιότες σημάντορας. Barbarorum vero confusionem ostendere cupiens, κλαγγῇ καὶ ἐνοπῇ ἰέναι τυς Τρῶας ἴσα καὶ ὄρνιθας. Et rursum in alio carmine : Τῶν δ' ὥσ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ, Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων, et persequens avium tumultum, ὡς Τρώων ἀλαλητὸς, ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν ὀρώρει. Ὀυ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος, οὐδ' ἴα γῆρυς. At vero de Græcis ait : Ὀι δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ φυσὶν μενεα πνειόντες, ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν ἀλλήλοισιν. Sic enim et duces celeriter imperia proponent, et proposita exercitus celeriter intelliget. Imperia vero ista sunt.

« *Age, ad arma. Lixa discedat a Phalange. Tace, et attende jussis. Sursum hastas, deorsum hastas. Uragus versum corrigat. Serva intervalla. Ad hastam inclina. Ad clypeum inclina. Procede. Sic consiste. In rectum restitue. Latitudinem duplica, restitue. Laconicam explica, restitue. In hastam converte, restitue.* Atque ista quidem, ceu in arte compendiosa, sufficere videntur, de veteribus Græcorum ac Macedonum aciebus ei, qui ne harum quidem imperitus esse volet. »

EXCURSUS II.

DE REBUS PERSARUM SACRIS.

Quum græci, tum romani scriptores religionem aliarum gentium e sua ipsorum superstitione fingere, diisque alienis eorum quos ipsi colerent nomina inducere solent. In primis vero hoc factum est, quotiescunque de Persarum religione loquuntur. Sic Herodotus, Xenophon, Plutarchus passim et Curtius III, 3, 9 seqq. multa falsa fideque nostra prorsus indigna tradunt de cultu Persarum Jovis, Solis atque Ignis. Si autem viris doctissimis, qui accuratius in illam rem inquisiverunt, credere licet, quid de religione Persarum veterum statuendum sit, optime discimus e *Th. Hyde* libro de religione veterum Persarum atque inprimis ex ipso persicæ religionis fonte, Zoroastris placitis atque institutis, quæ libro illo notissimo continentur, qui inscribitur *Zent-Avesta*, et quem *Anquetil du Perron* e Perside ipsa ad nos adductum primum in sermonem franco-gallicum transtulit. Inde in germanam linguam studio I. F. Kleukeri versus, prodiit Rigæ 1776-1777, voluminibus III, forma 4°. Idem vir doctissimus alia duo voll. animadversionum adjecit, quæ quadriennio post ibidem formaque eadem edita sunt, quorumque in posteriore omnia, quæ græci atque latini scriptores de religione Persarum tradiderunt, summa cum cura collecta atque inter se collata sunt. Præter ea vero lectu quoque dignissima sunt, quæ super iisdem rebus disseruit *C. Meiners* vir ill. in Commentationum vol. I, p. 87....99, nec non in Novarum Commentationum tom. VIII, pag. 145....148.

Secundum Zoroastris institutionem, unum Persæ colebant Deum, mundi omniumque rerum caussam, cui vero neque templa aut aras ponebant, neque cujus pictam fictamve imaginem sculptumque signum habebant. Quinimmo insaniæ arguebant, qui Deum formæ hominis assimilarent, atque, si Ciceroni, II de Legg. fides habenda est, ob eam maxime caussam Græcorum templa inflammabant, quod hi parietibus deos includerent, quibus deberent omnia esse pa-

tentia ac libera, quorumque hic mundus esset templum et domus. Cæterum nou vana esse, quæ Curtius h. l. de rebus Persarum sacris in agmine isto adhibitis tradit, e plurimorum scriptorum conseusu liquet. In primis conferenda sunt quæ Xenophon, Cyrop. VIII, 3, 6, de rebus iisdem narrat : Μετὰ δὲ τούτους ἐξήγετο ἅρμα λευκὸν χρυσόζυγον ἐστεμμένον, Διὸς ἱερόν· μετὰ δὲ τόδε, Ἡλίου ἅρμα λευκὸν, καὶ τοῦτο ἐστεμμένον, ὥσπερ τὸ πρόσθεν· μετὰ δὲ τοῦτο ἄλλο τρίτον ἅρμα ἐξήγετο. Φοινικίσι κατεστρωμμένοι οἱ ἵπποι, καὶ πῦρ ὄπισθεν αὐτοῦ ἐπ' ἐσχάρας μεγάλης ἄνδρες εἵποντο φέροντες. Ἐπὶ δὲ τούτοις ἤδη αὐτὸς ὁ Κῦρος ἐφ' ἅρματος. Curtius a Xenophonte non divertit, nisi quod pro curru Solis equum habet, et ignem saerum ante eurrum ponit, qui apud Xenoph. omnes illos currus sequitur. Herodot. VII, 40, de eadem re loquitur, atque in curru illo Jovis numerum addit equorum : εἵπετο ἅρμα Διὸς ἱρὸν, τὸ ἵπποι μεν εἷλκον λευκοὶ ὀκτω. Et Dio. Chrysostomus, orat. Borgsten., p. 448, edit. Mor., Curtio magnopere consentit adversus Xenophontem : Καὶ δὴ τῷ Διῒ τρέφουσι ἅρμα Νισαίων ἵππων (οἱ δὲ εἰσι κάλλιστοι καὶ μέγιστοι κατὰ τὴν Ἀσίαν) τῷ δὲ γε Ἡλίῳ ἕνα ἵππον.

Omnes autem illæ res nihil nisi symbola in cultu divino adhibita fuerunt, quod optime demonstravit Kleukerus, in libro supra laudato. *Magus*, interprete *Hyde*, c. 31, significabat sacerdotem, eodemque redit explicatio Porphyr. de Abstinent. lib. IV, et omnia etiam, quæ de Magis traduntur, tali ejus nominis significationi minime adversantur. Eorum enim omnis rerum sacrarum erat cura atque in primis custodia sacri æternique ignis, quem in πυρείοις sive πυραθείοις, h. e. sacrariis igni illi dicatis servabant. Præter ea futura prædicebant, somnia, prodigia et ostenta omnis generis interpretabantur, quam ob caussam a Curtio nostro vates dieuntur. De bis Magis eorumque cantu Dio. Chrysost. l. l. ita: οἱ Μάγοι τὸν θεὸν τοῦτον (Δία) ὑμνοῦσιν (in Curt. *Magi proximi patrium carmen canebant*) ὡς τέλειον τε καὶ πρῶτον ἡνίοχον τοῦ τελειοτάτου ἅρματος. Τόδε ἰσχυρὸν καὶ τέλειον ἅρμα τοῦ Διὸς οὐδεὶς ἄρα ὑμνησεν ἀξίως τῶν τῇδε· οὔτε Ὅμηρος, οὔτε Ἡσίοδος, ἀλλὰ Ζοροάστρης καὶ Μάγων παῖδες ᾄδουσι παρὰ ἐκείνου μαθόντες.

Cæterum tantam sapientiæ famam habebant Magi, ut dignissimi viderentur quibus educatio atque institutio principum puerorum regumque futurorum committeretur, neque quisquam Persarum rex esse posset, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque percepisset. (Cic. Nat. Deor. I, 41, et Plato, Alcibiad. I.) Quibus rebus factum est, ut maxima semper eorum esset auctoritas, quum

apud reges, tum apud populum. Quum vero in Persia non indigenæ, sed advenæ Medicæque originis essent (Herodot. passim), et ingenitum quoddam inter Medos et Persas intercederet odium, facillime borum invidiam iramque movebant, quotiescumque auctoritate sua abutebantur, vel ad reges obtruncandos, vel ad populum opprimendum. Luculentissimum ejus rei exemplum erat Magophonia, de qua videantur in primis Herodot. III, et Ctesias.

His Cunzii verbis pauca addere liceat quibus præcipua persicæ theogoniæ figmenta, philosophiæque dogmata noscantur. Magi credebant *Mithram* fuisse banc animam sanctam justamque cui, post mortem, Deus Solis imperium tribuit. Pingebatur tauro insidens quem mordebat scorpio. *Arimanes* erat noctis et mali Deus. Mithras *Angelos* sive *Daimonas* creavit. Quos inter quum bellum ortum esset, huic *Hormisda Choda*, sive Deus supremus, finem imposuit, misso in hunc orbem suo vate Zoroastre. Libri Magorum sunt *Zend* et *Sadder*. Ex hac religione fluxere Guebrorum, Parsiorum, Gaurorum, Ghiaberorum religiones. Magi credebant Deum magno orbis corpori mistum, et quamdam esse astronomicam metempsychosin a Pythagorea prorsus diversam. Putabant esse animis, post mortem, per septem portas transeundum, hasque transmigrationes non nisi multorum sæculorum serie posse fieri, priusquam ad solem, qui, ex eorum sententia, piorum sedes erat, pervenirent. Magi in maximo honore erant apud optimates et plebem : instituendorum regum provincia illis mandata erat, nec ullus rex coronabatur nisi prius a Magis fuisset quodammodo interrogatus de variis doctrinis.

EXCURSUS III.

DE PRÆLIO AD ISSON.

Multos quidem errores apud Curtium in describendo ad urbem Isson prælio videre fuit. Plures in notis ipsis emendavimus, omnia vero in unaquaque sententia corrigere longius fuisset, nec res, hac quidem ratione, tam perspicuæ fuissent quam si pugnam omnem

ex ordine exposuerimus, Arriano optimisqne historicis in testimonium vocatis. Primum igitur constituenda dies est qua pugna fuerit commissa. Difficillimum est hanc e solo Curtio indicere : apud eum enim non satis longum tempus intercidit inter *æstatem illam* qua, III, 5, 1, Alexander Ciliciam intravit, et hiemem *nivosam et gelu rigentem* adversus quam *Gangabas* suos regiis vestibus munit Curtins, III, 15, 7. Arrianus quidem pugnam commissam fuisse scribit mense *Mæmacterione*. Quis vero erat mensis ille ? Suidas Januarium, alii Septembrem esse volunt. Ego sane eum Novembrem aut Decembrem fuisse dixerim; Novembrem, si Harpali cyclo utaris, Decembrem, si Metonis. Vide de ea re *Barthelemy*, *Voyages du jeune Anacharsis*, *t.* VIII, *p.* 145 *sqq. edit. Didot*, et *Brottier*, *Vauvilliers*, etc. ad Plutarch. Vit. Alex. cap. 5. Hujus ergo prælii diem fuisse in extremo Novembri, μηνὸς φθίνοντος, non sine jure dixeris. Nunc locus describatur quo pugnatum est.

De situ locorum jam locutus sum; hic universam regionem describam. Est circa Issum, prope pylas syrias, Cltima ciliciæ campestris planities, a terra undique Amano monte, ab altera parte mari cincta, tanta, ut quadraginta millia hominum ea ratione qua veteres solebant, commode possent in aciem constitui : per mediam labitur Pinarus, rivus magis quam fluvius, a dextra præruptis plerumqne ripis cinctus, qui in Amano ad Syriæ confinia, circa pylas amanicas, ortus, ita profluit ut medium inter occasum et meridiem cursum teneat, atque per medios campos inter Issum et pylas syrias in mare deferatur. Prope mare loca planissima sunt atque equitatui idonea; introrsum vero, ut in mari promontoria, quæ a dextra Alexandri erant, Darius occupari jusserat. Alexandro igitur, qui universas copias explicare poterat, locus erat commodissimus; Darius vero alios suorum a tergo aliorum, in inutilem altitudinem constituere coactus fuit : priores tantum pugnare poterant, reliqui impedimento magis erant quam usui.

In hujusmodi planitie, is fuit Alexandri exercitus ordo. In extremo cornu dextro, *Agema* et *Hypaspitas* disposuit, duce Nicanore; prope eos Cæni Perdiccæque phalangem, ad usque mediam aciem, quaquidem incipienda res erat. In lævo stabant Amyntæ, Ptolemæi et Meleagri phalanges: omnibus his præerat Craterus.

Hic copias distribuimus, ut quisque in campum descendebat; quod solito historicorum mori repugnat, quippe qui alterum exercitus cornu totum describunt antequam ad alterum transeant.

Alexander prope seipsum in dextro cornu *Hetairon* equitatum explicat, Thessalos quoque et Macedonas, Peloponnesiis et cæterorum sociorum equitibus, ad Parmenionem, in lævum cornu transire jussis. Parmenio toti lævo cornu præerat, nec longe a littore discedere debebat, ne scilicet ab hostibus circumiretur, quod Persis, utpote numero multo majoribus, facillimum erat. Contra Nicanori procul a montibus consistendum, extra telorum jactum; illi enim ab hostibus occupabantur. Alexander dextro cornu solus præerat.

Ut vero omnem fere Persarum equitatum ad littora maris ruere vidit, in Parmenionem, qui Peloponnesios tantum et sociorum equites secum habebat, Alexander Thessalos ad sinistrum cornu transire jubet, sed a tergo suorum, ne ab hostibus conspicerentur. Equitatui dextri cornu præmisit leviter armatos, Protomacho, et Pæonas, Aristone ducibus. Antiochus, cum sagittariis, pedites tegit; Agriani, præfecto Attalo, paucique equites et sagittarii hostibus, qui montes occupaverant, opponuntur. Sic illud ipsum dextrum cornu in duas partes divisum erat, unum Dario imminens, qui trans flumen cum majori sui exercitus parte steterat, alterum contra hostes, qui montibus insederant. Hunc ordinem requirebat ipsa montium figura, in sinus speciem delineata, quibus pars dextri Macedonum cornu claudebatur.


In sinistro cornu, peditibus præerant Cretenses sagittarii, Thracesque, Sitalce duce, præque eis, in prima acie ibant equites et mercenarii.

Quum in dextro cornu macedonica phalanx in minorem latitudinem quam sinistrum hostium cornu protendebatur, a quo facile circumiri posset, id Alexander latius efficit, additis duobus *Hetairon* cohortibus, præeuntibus Perida et Pantordano, his a tergo exercitus ire jussis, ut hostem fallerent: quumque Barbari, in lateribus montium stantes, non descendebant, Alexander, qui eos primum cum Agrianorum Sagittariorumque manu propulerat, tum eis trecentos tantum equites opponit, et dextri cornu frontem a reliquis hujusce partis copiis occupari jubet, additis Græcis, et ita hoc exercitus sui latus magis explicat quam oppositum cornu Persarum.

Darius vero, quum Alexandrum instructa acie procedentem animadverteret, 30,000 equites et 20,000 sagittarios Pinarum transgredi jubet ut suum ipse exercitum instruere posset. Darius primum macedonicæ phalangi 30,000 Græcorum opposuit gravis

Qu

PL. III.



Berthe sculp.

armaturæ. Hoc robur erat persici exercitus, virtute par macedonicæ phalangi acies.

Notandum sane est solos Græcos mercenarios, hos præsertim, quibus Memnon præerat, Asiæ victorem diu retardasse, et hoc ex eo colligendum, Alexandrum nempe, si hinc Memnon, solus ille Alexandri æmulus, a fato non fuisset interceptus, et illinc Lacedæmonii, omnes Peloponnesi civitates incitando, Memnoni auxilio venissent, Europam inter Asiamque veluti æstuantem, debellatum forsan fuisse.

Hi 30,000 Græcorum, 60,000 Cardacis firmabantur, quum locorum situs majorem numerum ferre non posset.

Ad sinistrum cornu Darius 20,000 hominum collocat, partem dextro Alexandri oppositam, partem in montibus qui in tergis macedonici exercitus protendebantur. Reliqui omnis nationis milites post Græcos mercenarios stabant, inutile vulgus, quippe Darius 600,000 hominum numerabat.

Instructa in hunc modum acie, Darius equitatum cis Pinarum revocat. Majorem hujus partem contra Parmenionem in littore mittit, cæteros ad sinistram in montes; ut vero animadvertit illos ob locorum difficultatem inutiles sibi futuros, magnam partem in dextrum rejicit, ipse in medio, ut vetus erat regum persarum mos, pugnaturus.

Quibus ita ex utraque parte dispositis, Alexander lento gradu, suisque sæpius subsistere jussis, procedit. Darius in arduis fluminis ripis semper stabat; ipse etiam, qua facilior erat aditus, vallo fluvium munierat.

Alexander, inter ordines obequitans, hortatur suos. Hi, universo clamore, pugnam postulant. Ille, ne phalangis ordines turbaret, pedetentim progreditur. Ubi intra teli jactum perventum est, qui circa eum stabant, et ipse Alexander cum dextro cornu, citatissimo cursu ad flumen ruunt, ut hoc impetu Persas terrerent, manus citius consererent, et sic ab eorum sagittis tuti forent.

Id Alexandro ex voto succedit : Persarum sinistrum cornu in fugam vertitur, et ex eo Macedones facilem victoriam retulere.

Ex altera parte, phalanx dextrum cornu secuta fuerat, dum media acies arduis fluminis ripis et a Græcis mercenariis inhibita, nec eodem impetu ruere, nec frontem ordinesve servare poterat; eam mercenarii vi maxima ex utroque latere aggressi, rumpunt. Hic acriter pugnatum est; hinc Græci Macedonas in fluvium propellere, inde Macedones Alexandri phalangisque huc usque invictæ decus

tueri nituntur. Æmula utriusque gentis virtute mutuoque odio, utrinque crescit rabies. Ptolemæus, Seleuci filius, maximis facinoribus editis, et centum vigintique insignes Macedones in acie occubuere.

Interea dextrum Alexandri cornu, debellatis omnibus qui contra se steterant, ad sinistrum in Græcos vertit, a littore pulsos, turbatosque in utrumque latus aggreditur, et cum maxima strage fugat.

In primo concursu, Persarum equites quos Darius Thessalis opposuerat, eos ultra flumen non exspectaverant; sed, flumine trajecto, quasdam thessalici equitatus turmas in fugam verterant. Thessali, ut eorum impetum vitarent, utque suos Persæ ordines rumperent, subitum terrorem turpissimamque fugam simulaverunt. Audaciæ fiduciæque pleni, Persæ eos prosequuntur, nulloque servato ordine, nulla cura adhibita, in ipsos ruunt. Tum vero Thessali faciem in hostes vertunt, novoque ardore pugna restituitur. Persæ horum impetum maxima cum virtute sustinuere, donec fugatum Darium occisosque Græcos cernerent. Tum omnes undique in fugam vertuntur, non sine maximo ipsorum damno; quum enim gravissima erat eorum armatura, nec ullo ordine per augustos calles fugerent, alii alios inter se oppresserunt. Interea ipsos Thessali vehementer urgebant, nec minor equitum fuit quam peditum strages.

Ut Darius lævum suorum cornu ab Alexandro victum vidit, inter primos ipse aufugit, curru vectus dum plana loca fuere; sed ubi in montes et ardua itinera pervenit, tum, relicto curru abjectisque umbone, arcu et imperii insignibus, equum conscendit. Nox eum Alexandro eripuit; ille enim tum demum Darium secutus fuerat, quum restitutam suam phalangem, fugatos mercenarios debellatosque Persarum equites viderat.

Maximi tamen momenti Alexandro fuisset, si regem ipsum cepisset. Persarum exercitum fugavisse non satis erat; res cum eo erat, qui alterum colligere posset. Uno verbo, non Asiam solum, sed regium nomen affectabat Alexander. Dario capto aut interfecto, nil jam supererat, quod metueret.

Persæ centum circiter millia hominum, interque eos multos egregios duces desideravere. Alexander, quum Darium assequi non amplius speraret, ad suos revertitur.

Ea est Issica hæc pugna tam variis modis scripta. Ipsi etiam qui res Alexandri primi tractavere, in ea describenda gravissime erra-

verunt, interque alios Callisthenes, quem refellit Polybius his verbis, in quibus optimum est historicæ critices exemplum.

« Mentionem hoc loco faciemus unius duntaxat pugnæ, acie instructa pugnatæ, quæ et nobilissima fnit, neqne longe abest a temporibus quorum modo meminimus, cui deniqne, quod est omninm maximum, Callisthenes ipse interfuit. Eam dico pugnam, quam in Cilicia Alexander cum Dario commisit. Jam Alexander, inquit Callisthenes, fauces superaverat, quas Ciliciæ pylas vocant. Darius, per amanicas pylas dncto agmine, in Ciliciam cum copiis jam pervenerat, nbi certior factus ab indigenis, præcessisse Alexandrum Syriam petentem, sequi illum institit. Ad fances ut ventum, prope amnem Pinarum castris locum cepit. Patet autem eo loci; nt hic ait, intervallum a mari àd montis radices stadia quatuordecim; per hoc spatium transverso limite dictus amnis labitur, qui quidem in jngis exortus, mox per intercisa montis latera erumpit, ac deinde per patentes campos ad mare usque defertur, præruptis et inaccessis collibus enm cingentibus. His ita positis, addit Callisthenes Alexandrum conversa signa versus hostem reduxisse, coque jam appropinquante, consilium cepisse Darium et ejus duces, universam phalangem co ipso in loco, ubi tendebant, ordinandi, sicut a principio fecerant, flumine, quod castra ipsa præfluebat, pro munitione hosti objecto. Postea subjicit, Darium secnndum mare equites constitnisse, proximos his in fluminis ripa mercenarios, cetratos deinde, ita ut montes contingerent.

« Sed quonam modo ante phalangis aciem hos Darius locaverit, propter ipsa castra fluvio labente, complecti mente difficile est, in tanta præsertim hominum multitudine : nam, Callisthene ipso teste, equites erant 30,000, et mercenarii pari numero. Quæ multitudo armatorum quo spatio potuerit capi, scire est pronum : in veris namque ac legitimis præliis, ita plnrimnm equestris acies ordinatur, ut ejns profunditas sit equitum octo. Jam inter turmas vacuum spatium sit oportet pro cujusque fronte, quo possit commode, vel in latus, vel retrorsum conversio turmarum institui; hac ratione stadium equites octingentos capit; stadia decem, equitum octo millia; stadia quatuor ter mille ducentos, ita ut locum illum, quem diximus stadiorum quatuordecim, eqnitum millia undecim et ducenti fuerint impleturi. Quod si nniversam multitudinem equitum tricies mille in aciem eo loci instrueres, parum abest, quin triplex agmen efficeres, secundo primum subseqnente, tertio secundum : cedo igitur locum, ubi mercenariorum manus

esset posita : nisi forte dicat aliqnis, pone equites eam stetisse; at hoc Callisthenes non dicit, qui scribit, quum induceretur in pugnam acies, conductitium militem et Macedonas inter se concurrisse, qua ex re necessario intelligendum, dicti loci partem dimidiam versus mare ab equitibus fuisse occupatam, dimidium alterum montes versus cepisse mercenarios. Quæ quum ita sint, facile iniri ratio potest, quanta esset equitum profunditas, et quam longo intervallo fluvius Pinarus a Darii castris distaret. Ait deinde, ubi jam hostes appropinquabant, Darium, qui in media versabatur acie, mercenarios e cornu ad se vocasse : quod qua ratione sit dictum, dubitare licet : nam mercenarios sane et equites sese invicem contigisse in medio illo spatio, prorsus est necesse. Darius igitur, qui jam inter mercenarios esset, qui, et quorsum, aut quomodo mercenarios vocabat? Postremo ait, equites, qui in dextro stabant cornu, in hostem invectos, Alexandrum ipsum esse aggressos; illum cum suis horum impetum forti animo excepisse, et vice versa in ipsos invectum, atrocem pugnam accendisse. At enim inter duas acies medium fuisse fluvium, et quidem ejusmodi fluvium, qualem ante describebat, sine dubio Callisthenes erat oblitus.

« Similia his sunt, quæ de Alexandro scribit, quem ait in Asiam trajecisse cum peditum 40,000, equitum 4,500, deinde quum inibi esset, ut in Ciliciam intraret, supplementum advenisse ei e Macedonia peditum 5,000, equitum 800, qua ex multitudine si quis tollat pedites quidem 3,000, equites vero 300, ita ut numerum quam maxime augeat eorum, qui propter varios usus potuerunt abesse, relinquentur tamen peditum duo et quadraginta millia, equitum quatuor millia. His ita positis, narrat Callisthenes, Alexandrum de adventu Darii in Ciliciam certiorem esse factum, quum ab ipso stadia centum non amplius distaret, postquam fauces ipse jam superasset; propterea, converso itinere, iterum per fauces reduxisse : in primo agmine fuisse phalangem, proximum huic equitatum, in ultimo agmine impedimenta. Simul ventum in campos patentes, edixisse omnibus Alexandrum, ut in legitimum phalangis ordinem instruerentur, seque manipulis applicarent, ac profunditatem aciei instituisse, armatorum binum et tricenum, postea vero senum denum, postremo ubi jam hostes appropinquabant, octonum; sed deliria hæc sunt, prioribus etiam majora. Enimvero stadium unum capit homines mille sexcentos, quoties intervallorum rationes ad faciendum iter sunt accommodatæ, octonis denis

profunditatem agminis constituentibus, et viro quoque pedes senos ab altero distante. Quod quum ita sit, perspicuum est, decem stadia pedites captura esse 16,000; viginti stadia, duplicem numerum. Ex his facile intelligitur, oportuisse, quando Alexander aciem suam ita ordinavit, ut ejus profunditas esset militum senum denum, campos illum esse nactum viginti stadia patentes; quanquam etiam sic superfuerint, quos locus non capiebat, equites omnes, cum peditum decem millibus.

« Subjicit his, Alexandrum, ubi jam ab hoste stadia duntaxat XL aberat, copias suas fronte recta et æquata in eum duxisse, quo delirio vix quidem majus aliud queat excogitari. Nam ubi terrarum ejusmodi loca invenias, maxime antem in Cilicia, per quæ loca phalangem, sarissis armatam, stadia viginti in latitudinem porrectam, quadraginta in longitudinem stadia, fronte recta et æquata ducas? nam si quis acie sic ordinata procedere decreverit, tot se illi impedimenta offerent, ut ne percensere quidem illa facile aliquis valeat: ad cujus rei faciendam fidem vel illa successerint, quæ ab ipso Callistbene dicuntur. Qui quidem ait, torrentes fluvios, qui e montibus cadunt, tot locis biatus aperire in subjecta planitie, ut pars magna Persarum fugientium in illis cavernis perierit. At hercules, voluit Alexander, paratam suorum aciem esse, sicunde hostis apparuisset; quasi vero potuerit quicquam esse imparatius ea phalange, cujus frons esset dissipata et divulsa! Quanto namque facilius erat futurum, ex agmine, ad iter composito, phalangis aciem instruere, quam interruptas in fronte et divulsas copias ad priorem figuram lineamque rectam revocare, atque in locis sylvosis et fractis apte ad pugnam eos dirigere? Erat igitur profecto longe satius, divisas copias ducere, in duo vel etiam quatuor agmina partitas, quæ se aliud post aliud sequerentur, quando et viæ ad ita faciendum iter aptæ poterant inveniri, et legitimam repente instrnere aciem facile erat futurum: quum præsertim per præcursores sciri multo ante hostis adventus posset. At hic, nt alia taceam absurda, quum per loca plana exercitum fronte æquata duceret, ne equites quidem præmisit; sed peditibus eos exæquavit.

« Omnium vero absurdissimum est hoc. Ait, Macedonem hostibus appropinquantem octo militum profundam aciem struxisse; ex eo apparet, phalangem illam stadia quadragiuta necessario in longitudinem patuisse. Sed demns, densatam sic fuisse aciem, quod ait poeta, ut conserti invicem hærerent; omnino tamen stadiorum viginti locum illum esse oportuit; at ipse ait, minorem fuisse sta-

diis quatuordecim : hujus quoque spatii partem aliquam propter mare.... dimidium hujus numeri in dextro cornu : quin etiam scribit idem, aciem universam a montibus mediocri spatio fuisse distantem, ne hosti, qui radices montis obtinebat, subjiceretur. Scimus sane, dicere illum, partem aciei Alexandri in forcipis figuram fuisse reflexam. Idcirco etiam nos hic relinquamus in eum usum decem peditum millia, qui major est numerus eo quem ipse desiderat. Ex istis tandem sequitur, vel ipso auctore Callisthene, phalangis longitudinem stadia undecim ad summum patuisse, intra quod intervallum duo et triginta millium hominum consertis clypeis densatorum acies, tricenos milites in profunditate habens, necessario fuerit contenta. At ille ait, profunditatem aciei octonum hominum fuisse, quum est pugnatum. Sunt vero hoc genus peccata ejusmodi, ut excusationem nullam prorsus admittant. Nam quod per rerum naturam fieri potest, id statim fidem sua sponte invenit. Quoties igitur aliquis viritim ponit intervallum, et certam loci mensuram designat, numerumque hominum, hic si mentiatur, nulla ratione potest excusari.

« Jam quæ his adjecit absurda alia commemorare longum sit, pauca tantum afferemus. Ait, Alexandrum in ordinanda acie summo studio ad id operam dedisse, ut cum ea parte hostilis aciei pugnam capesseret, in qua Darius ipse staret. Darium quoque initio ex adverso Alexandri pugnare voluisse, mox vero sententiam mutasse. At quomodo dignoscere sese invicem reges potuerint, et rescire, in qua parte sui exercitus uterque stationem cepisset, aut quo tandem post mutatam sententiam transierit Darius, nihil plane horum dicitur. Præterea qui potuit phalanx ordinata amnis supercilium præruptum et spinis obsitum (nam hæc loci illius facies pæne ubique), ascendere et superare? Tantæ hujus absurditatis Alexandrum damnare, nefas profecto fuerit, quem constat, et disciplinam, et usum rerum bellicarum a puero fuisse edoctum; sed scriptorem potius, hominem adeo rudem et imperitum, ut quid in talibus fieri queat aut nequeat internoscere non potuerit. »

Ea Polybius, lib. XII, capp. 8 et sqq. Si vero ipsi rerum gestarum testes, ea, quæ viderunt, hoc modo narrarunt; quæ demum fides habenda est historicis, ab eventibus, annorum et locorum intervallo divisis. Vide hunc Polybii locum translatum in *Ste-Croix*, pag. 253.

Q. CURTII RUFI

DE REBUS GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Cap. I. Darius ad Euphratem contendit. Alexander literis a Dario superbe scriptis superbius respondet, atque Phœniciæ oppidis occupatis, Abdalonymum Sidoniis regem præficit. Amyntas transfuga a Persis in Ægypto occiditur. Variæ variis locis præfectorum Darii clades. Agis, Lacedæmoniorum rex, Antipatro bellum molitur. — II, III. Tyrii, Alexandrum recipere recusantes, obsidentur, quæ obsidio diuturnitate cladibusque nobilitatur variis. — IV. Tandem Tyrus vi capta, maximaque hominum strage facta, luctuoso deformatur incendio. — V. Darii iterata de pace ad Alexandrum legatio, submissior quidem, sed repudiata tamen. Græci Alexandrum corona aurea donant : ille per præfectos multas provincias in potestatem suam redigit. — VI. Ad bellum sese accingit Darius. Alexander, Gaza expugnata, ejus præfectum Betim crudeli afficit supplicio. — VII. Ægypto in potestatem redacta, Alexander ad Jovis Hammonis oraculum proficiscitur. Varia quærit. — VIII. Alexandria in Ægypto condita, Ægyptum et Africam Ægypto junctam præfectis tradit regendas, atque in Syriam redit. Hectoris mors. Samaritæ deficientes puniti. Variis rebus in Syria peractis, Alexander ad Euphratem conten-

dit. — IX. Darius, copiis Babylone contractis, Tigrique superato, per Assyriam progressus ad Bumadum castra locat; Alexander Euphratem et Tigrim superat. Præmissi quidam equites Persarum fugantur. — X. Milites, ob lunæ defectum turbatos, per Ægyptios vates confirmat Alexander. Persas vastatores conjicit in fugam. Darii uxor captiva, mœrore confecta, supremum diem obit. Unde Alexandri lacrymæ, Darii suspiciones, luctus et ira. — XI. Pacem Darius tertio quærens ad deditionem bellumve ab Alexandro provocatur. — XII. Ad prælium dum Persarum ingens exercitus paratur, Macedones, panico quodam terrore defuncti, arma alacriter capessunt. — XIII. Consilia de nocturno prælio Parmenionis et Polyperchontis Alexander damnat; somnoque refectus interrito vultu suos ad pugnam accendit. Acies macedonica. — XIV. Alexandri ad Græcorum, Dariique ad Persarum exercitum ante pugnam orationes. — XV. Cruenti ad Arbela prælii descriptio. Victor Alexander Darium victum persequitur. — XVI. Parmenio in discrimine constitutus, Alexandrum retrahit. Tandem integra victoria politi Macedones, reliquos Persas fuga sibi quærere salutem cogunt.

1 CAPUT I. DARIUS tanti modo exercitus rex, qui, triumphantis magis quam dimicantis more, curru sublimis inierat prælium, per loca, quæ prope immensis agminibus compleverat, jam inania et ingenti solitu-
2 dine vasta, fugiebat. Pauci regem sequebantur: nam nec eodem omnes fugam intenderant; et, deficienti-

1. *Triumphantis magis quam dimicantis more*. Romanorum hoc erat, ut curru veherentur, si triumpharent; Persarum vero reges vix aliter quam curru vecti in publicum procedebant. Ut ut sit, rhetores jam notavere quo verborum delectu, quo ordine et numero Darium ante pugnam cum Dario victo opposuerit Curtius. Simile Xerxis fatum a Justino depingitur II, 13: « Erat res spectaculo digna, et æstimatione sortis humanæ, rerum varietate miranda, in exiguo latentem videre navigio, quem paullo ante vix æquor omne capiebat; carentem etiam omni servorum ministerio, cujus exercitus propter multitudinem terris graves erant. » Vid. Florum, IV, 2. — *Pauci regem*.... Darius fugiebat per amanicas pylas. Arrianus, cum Curtio consentit. Ille enim in libro II, c. 13, ita loquitur : *Δαρεῖος δὲ τὴν μὲν νύκτα ξὺν ὀλίγοις τοῖς ἀμφ' αὐτὸν ἔφυγε.*

bus equis, cursum eorum, quos rex subinde mutabat,
æquare non poterant. Unchas deinde pervenit, ubi 3
excepere eum Græcorum quatuor millia: cum quibus
ad Euphraten contendit; id demum credens fore ip-
sius, quod celeritate præcipere potuisset. At Alexan- 4
der Parmenionem, per quem apud Damascum recepta
erat præda, jussum eam ipsam et captivos diligenti as-
servare custodia, Syriæ, quam Cœlen vocant, præfe-
cit. Novum imperium Syri, nondum belli cladibus sa- 5
tis domiti, aspernabantur: sed celeriter subacti obe-
dienter imperata fecerunt. Aradus quoque insula de-

3. *Unchas*. Alii *Onchas* et *Orchas*. Arrianus, II, 6, 1, Sochos appellat locum Syriæ, bidui itinere a pylis syriis distantem, ubi Darius, antequam Ciliciam intraret, fuerat. Unchas igitur et Sochos eumdem locum esse, interpretes judicarunt. — *Græcorum quatuor millia*. Arrianus, II, 13, 1, Græcos barbarosque hoc numero fuisse in universum tradit. — *Cum quibus ad Euphraten*, intellige ex Arriano, urbem Thapsacum, ut ibi Euphraten transiret, *contendit*; ut, quam primum fieri posset, Euphraten medium inter se et Alexandrum haberet, quam caussam, veriorem sine dubio, Arrianus adjecit. Nostri Regg. Codd. legunt: *Jam regius tum ad Euphraten*, sed manifesto errore. — *Præcipere*. Alii *præripere*, sed *præcipere* restitui ex nostr. Codd. et e Plutarcho hoc ipso loco: *Δαρεῖον μὲν οὐχ εἷλεν, τέτταρας σταδίους ἢ πέντε προλαβόντα τῇ φυγῇ.* Sensus est: ratus id solum mansurum in sua potestate, quod celeritate prior occupare potuisset.

4. *Parmenionem*. Menona non Parmenionem fuisse scribit Arrianus, et hoc nomine Curtius a Freinshemio reprehenditur, sed illum merito e culpa eximit *Schmieder*, his verbis: « Arrian. II, 15, 1, Parmenionem ab Alexandro Damascum cum thesauris captis remissum docet, ut illos custodiret; alio vero loco II, 13, 9, Menona Cerdimmæ filium cum equitibus sociis Syriæ Cœlæ præfectum esse. Posterior locus corruptus est, voce *κοίλῃ* e glossa recepta; nam Alexander regioni, quam tum nondum sciebat occupatam, satrapam dare nequibat. Factus est Syriæ superioris, non Cœlesyriæ, satrapa non Menon, sed Cerdimas sive Arimmas quidam; sic enim variatur in Arriano p. 114 et 161. Scribendum forte est Arymbas, et pro verbis: *Ἀλέξανδρος σατράπην μὲν Συρίας τῇ κοίλῃ Μένωνα τὸν Κ. ἐπέταξε*, lego: *Ἀλ. δὲ σατράπην μὲν Συρίας τῇ μὲν ἄνω τὸν Κ. ἐπέταξε*, etc. Quum autem Cœlesyriam captam sciret, Parmenioni, viro inter Macedonas secundo, Damascum remisso, alium Satrapam Alexander addere vix potuisset. Curtius igitur, mihi quidem, hac in re errasse non videtur; eumque sibi constare, infra videbis IV, 5, 9, et 8, 10. » — *Syriæ*... *Syri*.... *Aradus*.... Ut hæc omnia latius cognoscas, adi indicem geographicum.

6 ditur regi. Maritimam tum oram et pleraque longius
etiam a mari recedentia, rex ejus insulæ Strato possi-
debat : quo in fidem accepto, castra movit ad urbem
7 Marathon. Ibi illi literæ a Dario redduntur; quibus
ut superbe scriptis vehementer offensus est : præcipue
eum movit, quod Darius sibi regis titulum, nec eum-

6. *Strato*. Arrianus Stratonem non ipsum regem, sed filium regis Gerostrati, qui tum cum navibus suis apud classem Persarom erat, fuisse tradit. Gerostratus, audita deditione suorum, cum classe sua ad Alexandrum transibat. Arrian. II, 20, 1.

7. *Regis titulum*. Operæ pretium est, argumentum istarom literarum ex Arriano adscribere. Darius scripserat; Alexandrum quidem injusti belli hujus auctorem esse, sed a fortuna in prælio adjutum : se *regem a rege* uxorem petere et matrem liberosque; ac bello composito socium Alexandri esse velle. Rescripserat Alexander; se ulcisci injurias Græciæ, suis majoribus et sibi a Persis, inimicitiarom auctoribus, illatas; se per duas victorias esse dominum Asiæ et omnium quæ Darius habuerit. Quod si agnosceret Darius, ad se veniat, quæcumque velit accepturus. Nunc enim *suam et Darii dignitatem non esse eamdem*. Si de regno contradiceret, denuo pugnaret. Longe aliud argumentum literarum Darii est in Curtio, Diodoro XVII, 39, et Justino, XI, 12. In Curtio ejus insolentiæ sunt, ut victoris magis quam victi videantur. Diodorus præter pecuniam etiam Asiam intra Halyn Alexandro promissam tradit. Idem, Alexandrum veras Darii literas occultasse, aliasque ipsum supposuisse, quibus suos ad bellum persequendum magis accenderet; facinus Alexandro prorsus indignum, nec verum. Justinus de duabus utrinsque regia literis loquitur. Curtius ineptus est, ac vere puerilis, si Alexandrom modo ob regis maxime titulum suo nomini non adjectum iratum fingit ideoque rescripsisse : *Rex Alexander Dario* : modo in epistola ipsa Darium *tanti exercitus regem* vocari patitur. Gualterus, Alexandreidos II, epistolas profert ante prælium ad Granicum scriptas, quas sive finxerit poeta, sive alicunde desumpserit, adeo singulares sunt, ut eas referre operæ pretium videatur : « Rex regum Darius consanguineusque deorum Scribit Alexandro famulo. Licet indole clarus, Parce puer teneris et adhuc crescentibus annis. Non est apta legi, quæ non maturuit arbos. Quos tibi sumpsisti temerarius exue cultus; Armorum et gremio castæ te redde parentis : Quæque tuæ potius ætati congrua misi Lora tibi, teretemque pilam forulosque capaces, In sumptus, comitum fomenta, viæque levamen. At si tanta tuam vexat vesania mentem, Ut paci lites et amico præferat hostem, Non equites, verum furiata mente clientes, Emittam, qui te correptum verbere, duris Afficiant pœnis, tenebrisque perennibus addant. Frendit Alexander modice turbatus eisque, Qui sibi detulerant Medi mandata tyranni, Percincte retulit : Melius interpretor, inquit, Et magis egregie vestri munuscula regis. Forma rotunda pilæ sphæram speciemque rotundi, quem mihi subjiciam, pulchre determinat orbis, His in subjectos mihi Persas

dem Alexandri nomini adscripserat. Postulabat autem 8
magis quam petebat; ut, accepta pecunia, quantam-
cumque tota Macedonia caperet, matrem sibi ac con-
jugem liberosque restitueret: de regno, æquo, si vellet,
Marte contenderet. Si saniora consilia tandem pati po- 9
tuisset, contentus patrio, cederet alieni imperii fini-
bus; socius amicusque esset: in ea se fidem et dare
paratum et accipere. Contra Alexander in hunc ma- 10
xime modum rescripsit: « Rex Alexander Dario. Ille,

ntae habenis, Qnum Darii victas veteres effregero gazas. »

8. *Postulabat.* Quasi jure quodam: quasi jubebat potius quam rogabat. Etsi ista sæpe promiscue usurpantur, *petere*, *postulare*, *poscere*, tamen accuratius distinguentibus plus est *postulare* quam *poscere*, ut hoc loco manifestum est: sed interdum plus *poscere* quam *postulare*, ut indicat illud Ciceronis in Verrem, « incipiunt postulare, poscere, minari. » — *Quantamcumque tota Macedonia caperet.* Nimium hoc est, vel si explicare velis: pecunia, quæ omnium omnino Macedonum cupiditati satis faceret. Non contemnenda igitur est lectio solius Pal. 1, *quantacumque totam Macedoniam caperet*, h. e. capere posset, si non haberet; pecuniam totius Macedoniæ pretio æqualem. — *Æquo marte contendere.* Sive æquis viribus dimicare, h. e. ita pugnare, ut in neutram partem victoria inclinet. Hocne Darium, hoc Alexandrum voluisse credis? minime; uterque vincendi cupidissimus erat. Nec ignorabat Curtius phrasin; conf. ex. c. IV, 15, 29. Forte legendum est: *de regno æque* ac huc usque, *si vellet*, *Marte* (h. e. bello) *contenderet*, vel simile quid. Deinde cum uno Codice præfero: *si saniora consilia tamen pati potuisset* Nec enim male huc usque Alexandee res gesserat, nec sine fortuna, ut dici posset: tandem eum ad saniora consilia perductum esse potuisse. Si legis *tamen*, intelligendum est: quam ut Marte contendere, bellum gerere, malit.

9. *Potuisset.* Pro *posset*, enallage temporis, aliis quoque auctoribus usitata. — *Contentus patrio.* Id est, macedonico regno, exiret persici imperii terris... paratum se esse, ad hæc præstanda, suam Alexandro fidem dare, et ab eo vicissim accipere.

10. *Ille, cujus nomen sumpsisti, Darius.* Sic rescripsi cum Modio. Vulgo cum aliquot Codd. legitur: *Celes, cujus nomen sumps. Dar.* Satius forsan foret omittere utrumque cum nostris regiis, qui scribunt: *Cujus nomen...* Celes, vox græca, Radero docente, est equus unicus, et equo vehens, quem sellarium vocant. Quamvis Raderus ex Eustathio in Odyss. VI, Darii Hystaspis fil. epitaphium afferat: *Céles* seu *eques et sagittarius optimus fui;* ego tamen subscribo Snakenburgio: non spernendam quidem plane lectionem veterum quorumdam Codd., exhibentium h. l. vocem *Celes;* tam abstrusam tamen et remotam eruditionem, quam effingunt viri doctissimi, Curtio in persona Alexandri obtrudendam non esse censet, quum ejus nullus alius

cujus nomen sumpsisti, Darius Græcos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasque Græcorum Ionias omni clade vastavit : cum magno deinde exercitu mare tra-
11 jecit, inlato Macedoniæ et Græciæ bello. Rursus Xerxes, gentis ejusdem, ad oppugnandos nos cum immanium barbarorum copiis venit : qui, navali prælio victus, Mardonium tamen reliquit in Græcia; ut ab-
12 sens quoque popularetur urbes, agros ureret. Philippum vero parentem meum quis ignorat ab iis interfectum esse, quos ingentis pecuniæ spe sollicitaverant vestri ? impia enim bella suscipitis, et quum habeatis arma, licitamini hostium capita : sicut tu proxime talentis mille, tanti exercitus rex, percussorem in me

meminerit scriptor. Forsan errorem esse scioli librarii, qui, hunc Codomannum cognoscens, per literam *C.* voluerit designare, unde postea ex *C. ille* vel *C. is* coaluerit *Celes*. Si conjecturæ locus esset, Freinshem. placebat: *Rex Alexander Dario Celeti. Ille, cujus*, etc. Codomannus Darii nomine honoratus est : illud enim nomen non proprium, sed appellativum erat, quo *Dominum* designabant Persæ. Vid. *Herbelot, biblioth. orientale*, p. 285, et *Hyde*, de relig. Vet. Pers. c. 20. Hesychius hoc nomen ita interpretatur: *Δαρεῖος ὑπὸ Περσῶν ὁ φρόνιμος.* — *Græcos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasque Græcorum Ionias*; conf. Herodot. V, ab initio. Græcorum asiaticorum Arrianus mentionem non fecit, nec immerito. — *Macedoniæ et Græciæ*. Non ipse quidem per se, sed ab eo in Macedoniam missus erat Mardonius, Herod. VI, 43, sqq. in Græciam Datis et Artaphernes, ibid. c. 94, sqq.

11. *Xerxes*. Vulgo, *rex Xerxes*, sed primam vocem quæ abest a nostris Regg. Codd. multisque aliis, sustuli. Unus quoque omittit *gentis ejusdem*, quæ sine dubio ex glossa sunt. In sqq. mallem cum marg. ed. Gryph. : *cum immanibus barbarorum copiis*. De Xerxis bello v. Herod. VII, 5 sqq. — *Navali prælio*. Apud Salaminus insulam.

12. *Philippum*. Idem Arrian. II, 14, 10; scilicet conatur Alexander transferre paternæ cædis invidiam in Persas, quum ipse, certe mater Olympias eo crimine suspecti haberentur. Vid. Supplem. I, 9 et 10. — *Licitamini. Liceri*, notat Raderus, est semel pretium deferre, sine respectu aliorum emere volentium; *licitari* autem cum multis et sæpius augere pretium. Sed sæpius *licitari* sine auctione dicitur, ut auctor est Valla, et *liceri* cum auctione legitur apud Ciceronem. — *Sicut tu...* Vid. Curt. III, 5, 16, et Arrian. I, 26. Alexandrum Lyncestem respexit sine dubio, cui Darius promiserat: *ἢν ἀποκτείνῃ βασιλέα Ἀλέξανδρον, αὐτὸν βασιλέα καταστήσειν τῆς Μακεδονίας, καὶ χρυσίου τάλαντα πρὸς τῇ βασιλείᾳ ἐπιδώσειν χίλια.* Vid. quoque de his literis *Ste-Croix, Exam. crit.*, p. 267.

emere voluisti. Repello igitur bellum, non infero : et 13
diis quoque pro meliore stantibus caussa, magnam par-
tem Asiæ in ditionem redegi meam : te ipsum acie vici.
Quem etsi nihil a me impetrare oportebat, utpote qui
ne belli quidem in me jura servaveris, tamen, si ve-
neris supplex, et matrem, et conjugem, et liberos sine
pretio recepturum te esse promitto : et vincere et con-
sulere victis scio. Quod si te nobis committere times, 14
dabimus fidem impune venturum. De cætero quum
mihi scribes, memento non solum regi te, sed etiam
tuo scribere. » Ad hanc perferendam Thersippus missus. 15
Ipse in Phœnicen deinde descendit : et oppidum By-
blon traditum recepit. Inde ad Sidona ventum est, ur-
bem vetustate famaque conditorum inclytam. Regna- 16
bat in ea Strato, Darii opibus adjutus; sed quia dedi-
tionem magis popularium, quam sua sponte fecerat,
regno visus indignus, Hephæstionique permissum, ut,

13. *Ne belli quidem jura*. Quod percussorem in Alexandrum emere voluerit. — *Si veneris supplex*. Quod signum deditionis fuisset.

14. *Sed etiam tuo*. Scil. regi. Innuit Darium in terris vivere, quas per victorias suo Alexander imperio subjecisset.

15. *Descendit*. Quia Phænice erat paulo inferius sita quam urbs Marathon. — *Byblon*. Arrian. II, 15, pactionibus ait traditam, absente tamen rege Enylo, VI, 20, 1, qui cum Anthophradate in classe persica versabatur. — *Sidona*. Sidon erat vetustissima ac prima Phœnicum urbs, cujus coloniæ fuerunt plurimæ; cf. Mannert. t. IV, 1, p. 338 et 372. Sed cur potissimum *conditorum* fama inclyta dicatur, non justa fuit caussa. Condita est temporibus tam antiquis, ut nec annus nec quidquam de conditoribus constet. Agenor autem, Cadmi, Phœnicis et Europæ pater, quem Curtius IV, 5, 15, Sidonis et Tyri conditorem vocat, fabulosus est. Exstabat tamen Tyri ædificium, quod Arrian. II, 24, *Agenorion* appellat. De ipsa Abdalonymi historia de qua mox agitur vide excursum I ad hunc librum.

16. *Strato*. Alius a Stratone, Aradi regulo. Pro *Darii opibus adjutus* mallem : *Darii partibus addictus*. Deinde nunc legitur *e Sidoniis. . . . , arbitraretur* ex conjectura Gronovii pro *Sidones. . . arbitrarentur :* nisi tamen legere malueris cum nostris Regg. Codd. : *quem fastigio Sidonis dignissimum arbitraretur*, id est : quem solio, prima Sidonis dignitate dignissimum putaret. Hoc Sidoniorum in Persas odium ab Arriano quoque II, 15, et Diodoro Siculo XVII, 47 memoratur.

quem eo fastigio e Sidoniis dignissimum arbitraretur,
17 constitueret regem. Erant Hephæstioni hospites, clari inter suos juvenes, qui, facta ipsis potestate regnandi, negaverunt, quemquam patrio more in id fastigium
18 recipi, nisi regia stirpe ortum. Admiratus Hephæstio magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent. « Vos quidem macti virtute, inquit, estote, qui primi intellexistis quanto majus esset regnum fastidire, quam accipere. Cæterum date aliquem regiæ stirpis, qui meminerit a vobis acceptum ha-
19 bere se regnum. » At illi, quum multos imminere tantæ spei cernerent, singulis amicorum Alexandri, ob nimiam regni cupiditatem, adulantes; statuunt neminem esse potiorem quam Abdalonymum quemdam, longa quidem cognatione stirpi regiæ annexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem
20 stipe. Caussa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat: intentusque operi diurno, strepitum armorum,
21 qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat. Subito

17. *Inter suos*. Hoc est, inter Sidonios. — *Macti estote*. Gratulantis et fausta precantis hæc vox est, cujus passim apud auctores occurrunt exempla. Ex antiquo nomine adjectivo *mactus* quod ex *magis* et *auctus* conflatum putant, unicus superest in utroque numero vocandi casus, *macte* et *macti*, quos tamen pro primo et quarto quoque casu usurpatos legimus: quin etiam adverbii significatione Plautus adhibuit, pro *impense*, *vehementer*. Vid. Virgil. nostræ edit. Æneid. IX, 641. — *Quanto majus esset*. Idem Claudianus Epith. Pallad. vers. 81: «... magnum delata potestas Majorem contempta probat.»

19. *Imminere tantæ spei*. Appetere tantum honoris fastigium, pulchra quidem, ut mihi videtur, et vivida imagine expressa sententia. — *Adulantes*. Omnes Codd. *adulantibus*, unde Acidal. conjecit: *singulis amicos Alexandri adulantibus*. Vulgata lectio prævaluit. — *Abdalonymum*. Ex diversa nominis scriptura hanc elegi, cum meis Codd., Radero quoque et Schmiedero. Alii alia, nempe *Abortonium*, *Alynominum*, *Ballonium*, etc. Eum *Abdalominum* vocat *Tellier*, nempe ex *Abdallah* quod *Servum dei*, et *omin* quod *fidelem* seu *verum* in Syriaca lingua sonat. — *Exigua colentem stipe*: Justino enim et Diodoro auctoribus, alienum colebat hortum. *Stipem* vero pro diario et mercede interdum auctores sumunt.

20. *Non exaudiebat*. Ignorabat ista

deinde, de quibus ante dictum est, cum regiæ vestis
insignibus hortum intrant, quem forte steriles herbas
eligens Abdalonymus repurgabat. Tunc rege eo salu- 22
tato, alter ex his : « Habitus, inquit, hic, quem cernis
in meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi
est. Ablue corpus inluvie æternisque sordibus squali-
dum : cape regis animum, et in eam fortunam, qua
dignus es, istam continentiam profer. Et quum in re-
gali solio residebis, vitæ necisque omnium civium do-
minus, cave obliviscaris hujus status, in quo accipis
regnum; immo hercule, propter quem. » Somnio simi- 23
lis res Abdalonymo videbatur : interdum, satisne sani
essent qui tam proterve sibi illuderent, percontaba-
tur. Sed ut cunctanti squalor ablutus est, et injecta ves-
tis purpura auroque distincta, et fides a jurantibus
facta, serio jam rex, iisdem comitantibus, in regiam
pervenit. Fama, ut solet, strenue tota urbe discurrit : 24
aliorum studium, aliorum indignatio eminebat : ditissi-
mus quisque humilitatem inopiamque ejus apud amicos

omnia, quæ hactenus inter Alexandrum et Darium gesta erant. Propter paupertatem enim operi intentus, ut necessarium sibi compararet victum, otii non habebat tantum, ut præberet aures ista commemorantibus, aut in caussas motuum publicorum sollicite inquireret. Hic sensus est Senecæ verbis, Epist. 17 : « Paupertas expedita est, secura est : quum classicum cecinit, scit non se peti. » Hic Abdalonymus in mentem revocat venustissimam illam pastoris imaginem quem adit Herminia, cujusque fortunatam sortem dulcibus illis numerosisque carminibus depinxit *Torquato Tasso*, *Gierusalemme liberata*, *canto* VII, *oct.* 8 : « Figlio, ei rispose, d' ogni oltraggio « e scorno La mia famiglia e la mia « greggia illese Sempre qui fur, nè « strepito di Marte Ancor turbò questa « remota parte. »

22. *Squalore*. Pro squalidis hisce pannis induendus tibi est. — *Æternisque sordibus*. Hoc est, perpetuis jugibusque, ut recte Barthius. Codex Voss. 1, habet *terrenisque*, nostri omnes *æternisque* quod Palmerius, Modius et Acidalius nequicquam mutare conantur. — *Continentiam*. Animum paucis contentum, atque ab omni superbia abhorrentem. — *Propter quem*. Eadem enim et præsenti fortunæ et præteritæ paupertati caussa, probitas.

23. *Serio*. Opponitur verbo *illuderent*. Hoc est : citra jocum, citra illusionem; vere rex factus. Male quidem *sero* scribunt nostri et alii Codd.

25 Alexandri criminabatur. Admitti cum rex protinus jussit, diuque contemplatus : « Corporis, inquit, habitus famæ generis non repugnat : sed libet scire, inopiam qua patientia tuleris? » Tum ille : « Utinam, inquit, eodem animo regnum pati possim! hæ manus suffecere desi-
26 derio meo : nihil habenti nihil defuit. » Magnæ indolis specimen ex hoc sermone Abdalonymi cepit; itaque non Stratonis modo regiam supellectilem attribui ei jussit; sed pleraque etiam ex persica præda : regionem quoque urbi appositam ditioni ejus adjecit.
27 Interea Amyntas, quem ad Persas ab Alexandro transfugisse diximus, cum quatuor millibus Græcorum, ipsum ex acie persequutis, fuga Tripolin pervenit; inde, in naves militibus impositis, Cyprum transmisit : et quum in illo statu rerum id quemque, quod occupasset, habiturum arbitraretur, velut certo jure possessum, Ægyptum petere decrevit : utrique regi hostis, et semper ex ancipiti mutatione temporum pendens, hortatusque milites ad spem tantæ rei, docet, Sabacem præ-
28 torem Ægypti cecidisse in acie : Persarum præsidium et sine duce esse et invalidum : Ægyptios, semper prætoribus eorum infestos, pro sociis ipsos, non pro hos-

25. *Regnum pati.* Hoc est, regiam majestatem sustinere. Sil. Ital. l. XIV, v. 91 : « Caligare alto in solio, neque pondera regni Posse pati... » Pro *nihil habenti* non male conjecerunt viri docti : *nihil aventi.* Sic senex ille Corycius apud Virg. Georg. IV, v. 132, qui « Regum æquabat opes animia... » Et poeta apud Senec. Epist. 198 : « Is minimo eget mortalis qui minimum cupit : Quod vult habet, qui velle, quod satis est, potest. »

27. *Cum quatuor millibus.* Octo circiter millibus dicit Arrian. II, 13, 2. Pro *persequutis* mavult Raderus *prosequutis.* Græci mercenarii, quos coegerat Memnon, e classe persica Tripolim vecti, inde ad exercitum Darii iverant. Post pugnam issicam ad easdem naves, quibus advenerant, reversi, fugæ caussa in alias descendebant, reliquas incendebant. Amyntæ defectionem Curtius sine dubio in libro II, qui periit, narraverat. — *Ancipiti mutatione.* Temporibus inserviens et variis rerum mutationibus.

28. *Sine duce esse.* Nesciebat Amyntas, Mazacen superesse, lib. IV, 7, 4. — *Eorum*, pro suis. — *Infestos*, pro *infensos* ex nostris Codd. restitui.

tibus æstimaturos. Omnia experiri necessitas cogebat : 29
quippe quum primas spes fortuna destituit, futura præsentibus videntur esse potiora : igitur conclamant, duceret quo videretur. Atque ille, utendum animis, dum spe calerent, ratus, ad Pelusii ostium penetrat, similans a Dario se esse præmissum. Potitus ergo Pe- 30
lusii, Memphin copias promovit : ad cujus famam Ægyptii, vana gens, et novandis, quam gerendis, aptior rebus, ex suis quisque vicis urbibusque, ad hoc ipsum concurrunt, ad delenda præsidia Persarum : qui territi, tamen spem retinendi Ægyptum non amiserunt. Sed eos Amyntas prælio superatos in urbem compellit, 31
castrisque positis, victores ad populandos agros eduxit :

29. *Primas spes.* Prima spes fuerat, victore Dario se beatos fore, qua destituti proximam sequuntur, et Ægyptum animo præcipiunt. — *Destituit.* Irritas fecit. — *Pelusii ostium.* H. e. ostium Nili pelusiacum. Defendunt quidam lectionem *pelusium ostium. Ægyptii* ob id ipsum *vana gens* dicuntur, quod *novandis rebus aptiores* erant, *quam gerendis.* Plerique veterum scriptorum cum Curtio consentiunt. Plinius, paneg. 31, de Ægyptiis locutus : « Ventosa est, inquit, atque insolens natio. » Vopiscus in Saturn. ex epistola Hadriani : « Genus hominum seditiosissimum, vanissimum. » Herod. IV, 8, de Alexandrino populo : *φύσει τὰς γνώμας κουφότατος ὤν.* Ob has caussas veritus est Cæsar Ægyptum provinciam facere, et quum Augustus provinciam fecisset, non majoris quam equestris dignitatis præsidem imposuit, ut narrant Suetonius, c. 35, et Dio Cassius, li, 455.

30. *Ad hoc ipsum.* Illa repetitio *ad hoc ipsum*, *ad delenda*, Scheffero intoleranda videtur. Ex libris antiquis unus omittit *hoc*, alter *ad* posterius. Hinc adducitur, ut existimet scripsisse Curtium : *ad ipsum concurrunt et delenda præsidia Persarum.* Quamvis Schefferianæ conjecturæ non assentiar, non sane mihi placet hæc præpositionis *ad* iteratio. Mei antiquissimi Codd. 5717, 5718, non habent prius illud *ad.* — *Spem retinendi.* Sic scripsi cum Modio et Codd. pro : *spem obtinendi.*

31. *Victores ad populandos agros eduxit : ac, velut in medio positis omnibus hostium, cuncta agebantur.* Sic vulgo. Codicum vero alii in alia, inter se diversa, plus minusve obscura, discedunt, ut, quæ Curtii fuerit manus, prorsus ignoretur. Vulgata explicari potest. Si post *hostium* interpunxeris, sententia est : ac, quia cuncta hostium Græcis velut exposita erant, cuncta Græci rapiebant. Sic locum explicuit Schefferus. Reliqui nihil interpretantur, solum ut conjecturis fundamenta darent, inteoti. Schmiederus scribebat *opibus* pro *omnibus.* Si mihi quoque post tot viros quos collegit in editione sua Snakenburgius, quibusque sua addidit P. Wessel. ad Diod. XVII,

ac, velut in medio positis omnibus hostium, cuncta
32 agebantur. Itaque Mazaces, quamquam infelici prælio suorum animos territos esse cognoverat, tamen palantes et victoriæ fiducia incautos ostentans, perpulit ne dubitarent ex urbe erumpere, et res amissas recu-
33 perare. Id consilium non ratione prudentius, quam eventu felicius fuit: ad unum omnes cum ipso duce occisi sunt. Has pœnas Amyntas utrique regi dedit, nihilo magis ei, ad quem transfugerat, fidus, quam illi,
34 quem deseruerat. Darii prætores, qui prælio apud Isson superfuerant, cum omni manu, quæ fugientes sequuta erat, assumpta etiam Cappadocum et Paphlagonum
35 juventute, Lydiam recuperare tentabant. Antigonus, prætor Alexandri, Lydiæ præerat: qui, quamquam

48, dicere liceat quid, ad sanandum hunc locum, proponerem; servata codicibus sua auctoritate, sic omnia scribam: *Victores ad populandos agros eduxit*, aut si malueris cum Cod. Theocr. *Victores festinant ad p. a.*: tum deleta vocula *ac*, quam nostri regg. Codd. omittunt, *velut in medio positis divitiis hostium, cuncta agebantur.* Nostri enim regii et cæteri antiquissimi Codd. habent: *positis dis* aut *diis* quod esse pro *divitiis* omisso quodam compendiario lineamento non absurde putandum est. Et sic nihil in Codd. mutarem, nihil adderem, nihil auferrem, et illud *omnibus* rejicerem quod cum *cuncta* quod sequitur redundare videtur. Ut ut sit, hanc notam verbis Cunzii claudam, quæ omnem litem diriment: « Equidem non dubito, quin verba: *ac velut in medio pos. omn. host. cuncta agebantur. Itaque* pro glossemate habenda et prorsus rejicienda sint. Si enim *eduxit* periodum claudit, et *Mazaces* novam incipit, nihil omnino desideratur, et satis constat, librarios sæpissime ausos esse sententias margini forte adscriptas textui inserere. »

32. *Mazaces.* Ægypti post Sabacen satraps; a Dario constitutus dicitur ab Arrian. III, 1, 3; quod factum esse debuit, quum Sabaces ex Ægypto ad Darii exercitum abiret, ante pugnam issicam.

34. *Cappadocum et Paphlagonum.* Paphlagones in fidem acceperat Alexander, Arriano teste; oportet ergo illos defecisse: nisi forte juvenes quidam prædæ caussa sequebantur. Cappadociam autem non totam, sed quæ circa Halyn est, tantummodo subegerat, eodem teste. Apud alios de his conatibus non vidi mentionem factam. Curtium autem *Schmied.* errasse putat, quum *Lydiam* recuperandam scriberet. Præferret *Phrygiam:* nam Phrygia propior est Ciliciæ; igitur necessario prius recuperanda erat, quam ad Lydiam perveniri poterat: et Arrianus, I, 29, 5, Antigonum non Lydiæ, sed Phrygiæ satrapam factum refert.

plerosque militum ex præsidiis ad regem dimiserat,
tamen, barbaris spretis, in aciem suos eduxit. Eadem
illic quoque fortuna partium fuit: tribus præliis alia
atque alia regione commissis, Persæ funduntur. Eodem 36
tempore classis Macedonum ex Græcia accita Aristo-
menem, qui ad Hellesponti oram recuperandam a Dario
erat missus, captis ejus aut mersis navibus, superat. A 37
Milesiis deinde Pharnabazus, præfectus persicæ classis,
pecunia exacta, et præsidio in urbem Chium intro-
ducto, centum navibus Andrum et inde Syphnum pe-
tiit: eas quoque insulas præsidiis occupat, pecunia
multat. Magnitudo belli, quod ab opulentissimis Eu- 38
ropæ Asiæque regibus, in spem totius orbis occupandi,
gerebatur, Græciæ quoque et Cretæ arma commove-

36. *Aristomenem.* De hoc et ejus classe nihil habent reliqui. Pro *mersis navibus* libri plerique: *eversis navibus.*

37. *A Milesiis. Miletum* enim expugnaverat Alexander, v. Arrian. I, 18 sqq. eam igitur recuperans Pharnabazus pecunia multat. *Chium*, insulam Ioniæ oppositam, jam ceperat Memnon, Arr. II, 1; Pharnabazus autem, in Cycladas profecturus, præsidio firmat. *Andrum* vero et *Siphnum* ideo petiit, quod ibi classis macedonica quindecim navium esset. Datames enim Persa cum decem navibus in Cycladas missus fuerat, quem Proteus, macedonicæ classis præfectus, inopinato apud Siphnum adortus, octo ejus navibus captis, in fugam egerat. Arr. II, 2.

38. *Græciæ quoque et Cretæ.* Quamquam infra (lib. VI princ.) iterum de his rebus dicendum est, præcipua tamen hoc loco congerere placuit, ut inde melius intelligantur, quæ Curtius brevibus tetigit. Agis, Lacedæmoniorum rex, quum Persarum classis circa Siphnum versaretur, ab Autophradate triginta talenta argenti, et decem triremes ad bellum contra Macedones accepit. Arrian. II, 13. Tum fratrem Agesilaum cum exercitu in Cretam misit; vel, si Diodoro fides, XVII, 48, ipse cum 8,000 Græcorum ex prælio apud Isson servatorum in eamdem trajecit, plurimaque ejus oppida in potestatem redacta Persarum partes sequi coegit. Quo audito, Alexander Cretensibus et iis Peloponnesiorum, qui non defecerant, Amphoterum cum magna classe (Curt. IV, 8, 45; Arr. II, 6, 4); Antipatro vero pecuniam contra Lacedæmonios misit, Arrian. III, 16, 17. Lacedæmonii cum plerisque Peloponnesiis et aliis Græcis, exceptis Atheniensibus, post pugnam ad Arbela, dum Persis aliquid virium superesset, pro libertate pugnare decernentes, Agide duce 20,000 peditum, 2,000 equitum cogunt. Antipater tum Memnoni, qui Thraciæ prætor defecerat, bellum intulerat. Quo, ut potuit, composito, cum 40,000 Agidem

39 rat. Agis, Lacedæmoniorum rex, octo millibus Græcorum, qui ex Cilicia profugi domos repetierant, contractis, bellum Antipatro, Macedoniæ præfecto, molie-
40 batur. Cretenses, has aut illas partes sequuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum præsidiis occupabantur. Sed leviora inter illos fuere discrimina; unum certamen, ex quo cætera pendebant, intuente fortuna.

1 II. Jam tota Syria, jam Phœnice quoque, excepta Tyro, Macedonum erant; habebatque rex castra in continenti, a quo urbem angustum fretum dirimit.
2 Tyrus, et claritate et magnitudine ante omnes urbes

aggreditur. In prælio Agis cum 5300 suorum cadebat, Lacedæmoni fundebantur; Diod. XVII, 62, 63. Legatos deinde Lacedæmonii ad Antipatrum mittebant, qui concilium Græcorum, quid fieri placeret, consuluit. Illi integram rem Alexandri judicio submittendam decreverunt. Obsidibus Antipatro traditis Lacedæmonii legatos in Asiam mittebant, veniam delictorum petituros, Diod. c. 75; quam, Curtio teste, VI, 1, 20, præter auctores, impetravere.

40. *Macedonum præsidiis.* Alia Macedonum præsidia in Creta esse non potuerunt, quam quæ Amphoterus in classe sua adduxit, post reditum Alexandri ex Ægypto; cf. infra c. 8, 15. Cretenses vero inviti ad bellum tracti videntur. Creta enim insula hostibus Alexandri, continentem possidentis, commodissima erat ad naves reficiendas et maria infestanda. — *Unum certamen.* Unum prælium, quo in oriente debellaretur. Sensus est: sed levis momenti fuere hæc certamina, quum fortuna quasi intenta esset in unum illud bellum ex quo reliquorum exitus pendebat.

1. *A quo.* Conjecerat Heins. *a qua*, sc. terra continenti: sed ut *a quo* ab omnibus Codd. scribitur, verosimile est a Curtio subanditam fuisse vocem *littus* ad *continens*, non vero *terra*, ut mos est. — *Angustum fretum.* Quatuor stadia latum; prope continentem, non profundum atque cœnosum; in profundissima parte, prope muros urbis, tres circiter orgyias altum. Arrian. II, 18, 5.

2. *Tyrus.* Distinguendæ sunt Palætyros et Tyrus: hæc erat in insula, quæ nunc adhuc, licet sit deserta, *Sur* vocatur: illa triginta stadia ab insula meridiem versus in continenti. Illa antiquior, Sidonis colonia, magnitudine, coloniis, commercio et navigatione clarissima, ab Assyriis capta et destructa est. Rudera, templum Herculis et domicilia forte quædam exstabant adhuc Alexandri tempore. Palætyro deleta, Tyrii in hac insula novam urbem condiderunt, minorem quidem antiquiori, quam Alexander tamen munitissimam opulentissimamque invenit. Florebat maxime commercio indico. Persis aliqua ratione subjecta, suis legibus utebatur, suum regem habebat. Itaque et Alexandro socia magis quam subjecta esse velle videri poterat.

Syriæ Phœnicesque memorabilis, facilius societatem
Alexandri acceptura videbatur, quam imperium. Co-
ronam igitur auream legati donum afferebant; com-
meatusque large et hospitaliter ex oppido advexerant.
Ille dona ut ab amicis accipi jussit; benigneque lega- 3
tos alloquutus, Herculi, quem præcipue Tyrii colerent,
sacrificare velle se dixit. Macedonum reges credere
ab illo deo ipsos genus ducere : se vero ut id faceret
etiam oraculo monitum. Legati respondent, esse tem- 4
plum Herculis extra urbem in ea sede quam Palæ-
tyron ipsi vocent: ibi regem deo sacrum rite facturum.

— *Coronam*. Coronæ aureæ inter dona victoribus aut præpotentibus, cultus gratia et gratulationis, mitti solita sæpe memorantur. Non regibus solum, sed etiam aliis dari consueverant. Livius, l. XXXI, c. 5: « Rhodiorum populus corona aurea virtutis gratia donatus. » — *Advexerant*. Sic cum sex Codd. dedi pro *adduxerant*.

3. *Herculi*. Vox *Harokel* in Punico mercatorem significasse dicitur. Posset igitur Tyri ejusdem nominis deus mercatorum fuisse, quem Græci Herculem vocarent. Verum ex Selden. de diis syriis, p. 109, præcipuum deum atque genium Tyriorum ab ipsis vocatum esse *Melcart*, eumque plura in istis regionibus templa habuisse discimus. Hoc saltem certum est, plura eaque diversa numina in diversis regionibus culta a Græcis Herculis nomine vocata esse. Cicero, de nat. Deor. III, 16, sex Hercules numerat, quibus septimus, Hercules Libys, ex Sallustii Jugurtha c. 89, et octavus, Gallicus, ex Luciani Hercule, addendi sunt. Tyriorum Herculem diversum fuisse ab Argivo, ex quo Macedonum reges originem traxisse credebantur, et in cujus honorem pelle capitis leonini se ipsos coronabant (vide Alex. numismata, et Constant. Porphyrog. lib. II de Themat.), haud dubie Alexander, jam ex Herodoto, scivit. Eam igitur rationem, ut *stirpis auctori* sacra faceret, Alexandrum adjecisse ipsum, sibi non persuadet *Schmieder*. Alii etiam auctores nec de hac, neque de secunda caussa, oraculi scilicet monitu, aliquid prodiderunt. Herculi Tyrio sacrificare voluit ex more suo religioso, quo omnibus diis, locorum, quos capiebat, præsidibus, reverentiam suam exhibebat.

4. *In ea sede*. Sic dedi cum sex Codd. pro vulgato *in eam sedem*. Tum pro *vocant* cum novem Codd. scripsi *vocent*. Idem habent quoque nostri Regg. Codd. Sed Cod. 5718 scribit: *vocant*. — *Rite facturum*. Quia id templum antiquissimum et primum fuerat; cf. Just. XI, 10. Vera caussa fuit, quod Tyrii medios se gerere, nec Persas nec Macedones in urbem admittere statuerant. Scilicet hoc pro præsenti rerum statu rationi convenientissimum, et quoad eventum belli, qui adhuc incertus erat, tutissimum Tyriis videbatur. Arrian. II, 16, 11, qui, hæc ipsa Alexandrum locutum esse fingit, in oratione de qua infra mentio est, § 15.

5 Non tenuit iram Alexander, cujus alioquin potens non
erat. Itaque « vos quidem, inquit, fiducia loci, quod
insulam incolitis, pedestrem hunc exercitum sperni-
tis, sed brevi ostendam in continenti vos esse;
proinde sciatis licet, aut intraturum me urbem, aut
6 oppugnaturum. » Cum hoc responso demissos monere
cœperunt, ut regem quem Syria, quem Phœnice re-
7 cepisset, ipsi quoque urbem intrare paterentur. At
illi, loco satis fisi, obsidionem ferre decreverunt.
Namque urbem a continenti quatuor stadiorum fre-
tum dividit, Africo maxime objectum, crebros ex alto
8 fluctus in litus evolvit; nec accipiendo operi, quo Ma-
cedones continenti insulam jungere parabant, quid-
quam magis, quam ille ventus obstabat, quippe vix
leni et tranquillo mari moles agi possunt; Africus vero
prima quæque congesta pulsu illisa maris subruit: nec

5. *Alexander.* Hanc vocem nostri Regg. Codd. omittunt, et sane deleri poterat. — *Alioquin*, et in aliis rebus. Vox Ciceronis ævo minus frequens, post ætatem Augusti frequentius probatis auctoribus usurpata, ut notavit Burmann. ad Quintil. Institut. I, 1. — *In continenti vos esse.* Scil. aggere struendo, e continenti ad insulam.

6. *Cœperunt.* Vulgata habet, *amici cœperunt*, sed quia prior vox a codd. plurimis abest, ut testatur *Schmieder*, et a nostris quoque regiis, hanc prorsus delendam censui.

7. *Quatuor stadiorum fretum.* Idem testatur quidem Diod. Sic. sed Strabo et Scylax dissentiunt. Hic, in suo periplo, trium tantum fuisse dicit, πόλις ἀπέχει στάδια ἀπὸ θαλάττης γ'. — *Africo*, scilicet vento. Qui apud Græcos Λίψ, idem Latinis *Africus* appellatur, quod ab occasu hyberno Italiæ ex Africa spiret. In gallica lingua, *sud-ouest.* — *Evolvit.* Vulgata habet, *evolvens*, quod ex plurimis codicibus, præeuntibus Modio et Schmiedero, rejeci, atque interpunctionem emendavi. Cæterum ipsa ferme verba ex Virg. Æn. 1, 86, mutuatus est Curtius: « . . . . . creberque procellis Africus, et vastos volvunt ad littora fluctus. » Pro *accipiendo* Heins. mavult *occipiendo*. Pro *pulsu illisa mari*, suffragante Pal. I, et Scheffero, dedi *pulsu illisa maris*. Freinsh. malebat : *pulsu illisi maris obruit.* — *Per nexus operum.* Infra III, 6, vocantur *compages operis*. Cum septem Codd. malui *exsistit* quam *exstitit*. Nostri Regg. Codd. in omnibus his pravas lectiones habent, ut ego quidem existimo, *pulsu illisa mari*, *enixus operum*, *exstitit*. Posterioris sententiæ sensus est : nec ulla moles tam solida est, quam non alluvione deterat aqua inter juncturas operum se insinuans; imo quando ventus va-

ulla tam firma moles est, quam non exedant undæ per
nexus operum manantes; et ubi acrior status exsistit,
summi operis fastigio superfusæ. Præter hanc difficul- 9
tatem haud minor alia erat: muros turresque urbis
præaltum mare ambiebat; non tormenta, nisi e na-
vibus procul excussa, mitti, non scalæ mœnibus ap-
plicari poterant: præceps in salum murus pedestre
interceperat iter; naves nec habebat rex, et, si admo-
visset, pendentes et instabiles missilibus arceri pote-
rant. Inter quæ parva dictu res Tyriorum fiduciam ac- 10
cendit. Carthaginiensium legati ad celebrandum anni-
versarium sacrum more patrio tunc venerant: quippe
Carthaginem Tyrii condiderunt, semper parentum loco

lidior est, supra ipsius molis cacumen assurgens.

9. *Præaltum mare.* Curtius non eam maris partem, qua fretum erat, sed universum, quod muros ambibat, intellexit. Quod si fuisset *præaltum*, gavisus esset Alexander; tum enim naves ad murum applicari potuissent. At Arrianus, II, 21, 5, contrarium plane dixit: « naves Macedonum, quæ machinas muro admoturæ erant, nec ipsæ quidem facile urbi admoveri eam ob caussam potuerant, quod magna vis saxorum a Tyriis in mare projecta, accessum probiberet. Alexander saxa et mari eximenda statuit, etc. » Si legeretur *præaltos*, consentiret Arr. II, 18, 13. — *Ambiebat. Ambibat* sæpius usurpatur. Sed utrumque in usu esse existimo. Nec mirum, ut notavit Raderus, si hoc verbum a reliquis ab eo compositis desciscat; quum etiam in præsenti hoc illi sit singulare, ut e mutet in *i*, reliquis omnibus retinentibus *e*, ut *redeo*, *adeo*. *Ambio* tantum, non *ambeo* dicitur, ut in imperfecto sequatur quartum, quemadmodum sequitur in præsenti. — *Non tormenta.* Tormenta interdum quoque pro telis ex tormento missis poni, jam ex lexicis vulgatis discitur. Non opus est conjectura quam dedit Gronovius legens *tormento* pro tormenta. — *Præceps in salum.* Sensus est: muri in mare usque procurrentes peditibus intercluserant iter; rex non habebat naves, et etiamsi arcessivisset et ad muros appulisset, poterant telis repelli, ut pote instabiles et suspensæ fluctibus. — *Mitti* pro *emitti* cum sex Codd. scripsi.

10. *Ad celebrandum anniversarium sacrum.* Sine dubio Herculis Tyrii, cui ex præda et annuis proventibus decimas mittere solebant; vid. Just. XVIII, 17; Diod. XX, 14; Polyb. Exc. Legat. c. 114, cujus hæc verba sunt: *Συμβαίνει δὲ τὰ πλοῖα ταῦτα κατ' ἐκλογὴν λαμβάνεσθαι ἐκ τῆς Καρχηδόνος, ἐφ' οἷς εἰς τὴν Τύρον ἐκπέμπουσι οἱ Καρχηδόνιοι τὰς πατρίους ἀπαρχὰς τοῖς θεοῖς.* Idem Polyb. navem istam vocat *ναῦν ἱεραγωγόν*. — *Condiderunt.* Vid. Justin. XVIII, 4, sqq.; Oros. III, 16. Om-

11 culti. Hortari ergo Pœni cœperunt, ut obsidionem forti animo paterentur; brevi Carthagine auxilia ventura. Namque ea tempestate magna ex parte punicis classi-
12 bus maria obsidebantur. Igitur bello decreto, per muros turresque tormenta disponunt: arma junioribus dividunt: opifices (que), quorum copia urbs abundabat, in officinas distribuunt. Omnia belli apparatu strepunt: ferreæ quoque manus (*harpagonas* vocant), quas operibus hostium injicerent, corvique et alia

nibus notum Virgilianum illud, Æn. I, 12: « Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni, Carthago.... » In quod vid. Virgil. nostræ editionis notas.

11. *Pœni.* Carthaginienses, sic dicti ex *Phœnicibus*, detracta aspiratione, ut ex πορφύρα, *purpura*. Tum ex Pœnis ductum nomen *Punicus, a, um*, usitata Latinis mutione *œ* in *u*, quemadmodum ex *pœna, punio*, ex *mœnia, munio*.

12. *Bello decreto.* Ut Dario quoque moram ad bellum reparandum suppeditarent, ejusque gratiam inirent. Diod. c. 40. — *Tormenta.* Machinas, quibus majora tela excutiebantur, ut balistæ et similes. Livius, XXXI, 17: « Abydeni, tormentis per muros dispositis, non terra modo adeuntes aditu arcebant, sed navium quoque stationem infestam hosti faciebant. » — *Harpagones.* Quorum usus erat vel in attrahendis retinendisque navibus, vel ut hostilem navem in sublime erigerent, rursumque demissam in fluctus præcipitarent. T. Liv. XXX, 10, ita eas descripsit: « asseres ferreo unco præfixo *harpagonas* vocat miles. » Quamquam autem Cæsar, bell. civ. I, 57, ferreas manus et harpagonas distinguere videtur, valde dissimiles tamen inter se vix esse potuerunt. Utræque inserviebant muris diruendis et navibus attrahendis; conf. Frontin. Stratag. II, 3, 24. — *Corvique.* Conti forcipe sive volsella præfixi, quibus in primis naves hostium vellicarent atque attraherent. A corvini rostri similitudine *corvi* appellati sunt. Alias forsan *lupi* vocantur. Corvi descriptionem, quia mirifice hunc Curtii locum illustrat e Polybio, lib. I, excerpam: « Lignea, inquit, columna proris inerat, longitudinis quatuor ulnarum, latitudinis palmarum trium; in ejus apice rotam constituerant. Huic præterea tabulæ inhærentes scalas conficiebant, quarum latitudo erat pedes quatuor, longitudo sex ulnæ; foramen autem tabulæ erat oblongum, et circumambibat columnam post primas statim scalæ duas ulnas. Habebat autem velut sepem, ad utrumque oblongum latus, genu tenus altam. In ligni extremo ferrum erat, instar mallei, peracutum. Præterea annulus funi alligatus, ita ut hæc machina frumentariis similia videretur. Igitur simul ac navis hostium adventabat, laxato fune scalæ demittebantur, ferrum pondere ac vi ligni super hostium navem delapsum figebatur: si adversa prora erat, bini milites per scalas descendebant, duo primi præferentes scuta, reliqui latera scutis protecti; si vero obliqua erat hostium navis, in eam ex tota pariter navi desiliebant. »

tuendis urbibus excogitata, præparabantur. Sed quum 13
fornacibus ferrum, quod excudi oportebat, impositum
esset, admotisque follibus ignem flatu accenderent;
sanguinis rivi sub ipsis flammis exstitisse dicuntur, id-
que omen in Macedonum metum verterunt Tyrii. Apud 14
Macedonas quoque, quum forte panem quidam mili-
tum frangerent, manantis sanguinis guttas notaverunt;
territoque rege, Aristander peritissimus vatum, si
extrinsecus cruor fluxisset, Macedonibus id triste fu-
turum ait: contra, quum ab interiore parte manaverit,
urbi, quam obsidere destinassent, exitium portendere.
Alexander, quum et classem procul haberet, et lon- 15
gam obsidionem magno sibi ad cætera impedimento

13. *Sanguinis rivi*, etc. De hoc prodigio apud cæteros auctores nihil reperitur. Curtius solus hanc rem tradidit; tacet ipse Plutarchus, qui sæpissime miraculorum mentiones serere solet ad movendos lectorum animos. Alii alia narrarunt. Vid. Arrian. II, 18; Plut. Alex. c. 24; Diod. Sic. XVII, 41. — *In Macedonum metum*. Crediderant, hoc prodigio aliquid portendi, quod Macedonibus metum injicere deberet. Qua vero ratione non satis assequor. Nec operæ pretium est, in his ineptiis multum laborare. Fuit ea veterum religio, ut magnis rebus instantibus prodigia et omina vel videre crederent, vel fingerent, eaque plurimum multa.

14. *Frangerent*. Sic cum pluribus Codd. et Diodoro XVII, 41, scribere malui pro *frangeret*. — *Aristander*. Telmissensis (Arrian. I, 11, 3). Telmissi autem, Lyciæ maritima urbe, ars divinandi et prodigiorum interpretatio inprimis colebatur. — *Peritissimus vatum respondit*. Cum melioribus Codd. et ultimam vocem omisi, et *ait* addidi post *futurum*. Ridiculæ istæ prodigiorum interpretationes veterum ingenio et doctrinis æterno dedecori sunt. Quam belle enim in utramque partem omnia interpretabantur! confer Frontinum I, 12, 4: «Q. Sertorius, quum equitum scuta extrinsecus, equorumque pectora cruenta subito prodigio apparuissent, victoriam portendi interpretatus est; quoniam illæ partes solerent hostili cruore respergi.»

15. *Ad cætera*. Debebat adhuc Palæstinam subigere et Ægyptum, ut, occupata omni maris ora, Persæ nec classem habere, nec bellum in Macedoniam transferre possent: tum Darium, quam posset celerrime, persequi; ne denuo magnum exercitum contrahendi tempus relinqueretur. Cæterum de hac legatione reliquorum nemo quid habet. Tyrios vero Macedones quosdam, ex Sidone navigantes, cepisse, atque in muros sublatos, ut ab exercitu cerni possent, cæsosque in mare præcipitasse, refert Arr. II, 24, 6. — *Atque ille*, l. *itaque ille*. Cum non paucis etiam præfero *jam indigna*. Hic famosæ illius obsidionis narratio incipit de qua

videret fore, caduceatores, qui ad pacem eos compellerent, misit : quos Tyrii contra jus gentium occisos præcipitaverunt in altum ; atque ille, suorum tam
16 indigna nece commotus, urbem obsidere statuit. Sed ante jacienda moles erat, quæ urbem continenti committeret. Ingens ergo animos militum desperatio incessit, cernentium profundum mare, quod vix divina ope posset impleri : quæ saxa tam vasta, quas tam proceras arbores posse reperiri ? exhauriendas esse regiones, ut illud spatium aggeraretur ; et exæstuare semper fretum, quoque arctius volutetur inter insulam et
17 continentem, hoc acrius furere. At ille, haudquaquam rudis tractandi militares animos, speciem sibi Herculis in somno oblatam esse pronuntiat, dextram porrigentis : illo duce, illo aperiente, in urbem intrare se visum. Inter hæc, caduceatores interfectos, gentium jura violata, referebat : unam esse urbem, quæ cursum
18 victoris morari ausa esset. Ducibus deinde negotium datur, ut suos quisque castiget : satisque omnibus sti-

multi multa retulere. Arrianus, hoc loco, scripsit orationem quam in suo concilio habuit Alexander, prudentiæ et politicæ virtutis plenam, quaque probatur quam merito Alexandrum vir ille laudaverit, clarissimum patriæ nostræ decus, *Montesquieu*, *Esprit des Lois*, lib. X, c. 13 et 14. Sed quia de Tyro res est, non possum quin mirer tantum virum, antithesis tantum gratia, hanc sententiam scripsisse : « La bataille d'Issus lui *donna* Tyr et « l'Égypte ; la bataille d'Arbelles lui « donna toute la terre. » *Donum* quidem septem mensium obsidione, et maximis terra marique laboribus emptum !

16. *Cernentium*. Libri scripti *cernentibus*. Utrumque pro glossa habet Modius. Nam et ad *profundum mare*, et ad *reperiri* subaudiendum est *dicebant*, sive *querebantur*.

17. *Illo aperiente*. Ex hoc ipso viso Tyrum cum labore captum iri, quod Herculis res gestæ non sine labore fuissent, pronuntiaverat Aristander. Arrian. II, 18. Plutarchus aliud præter ea somnium refert una cum interpretatione satis ingeniosa. Ἑτέραν δὲ ὄψιν Ἀλ. εἶδεν κατὰ τοὺς ὕπνους. Σάτυρος αὐτῷ φανεὶς ἐδόκει προσπαίζειν πόῤῥωθεν. Εἶτα βουλομένου λαβεῖν ὑπεξέφυγεν. Τέλος δὲ πολλὰ λιπαρήσαντος καὶ περιδραμόντος, ἦλθεν εἰς χεῖρας. Οἱ δὲ μάντεις τὸ ὄνομα διαιροῦντες οὐκ ἀπιθάνως ἔφασαν αὐτῷ, Σὰ γενήσεται Τύρος.

18. *Castiget*. Verbis increpet, ut

mulatis, opus orsus est. Magna vis saxorum ad manum
erat, Tyro vetere præbente: materies ex Libano monte
ratibus et turribus faciendis vehebatur. Jamque a fundo 19
maris in altitudinem modicam opus excreverat, non-
dum tamen aquæ fastigium æquabat; et, quo longius
moles agebatur a litore, hoc magis, quidquid ingere-
batur, præaltum absorbebat mare: quum Tyrii parvis 20
navigiis admotis, per ludibrium exprobrabant, illos
armis inclytos dorso, sicut jumenta, onera gestare: in-
terrogabant etiam, num major Neptuno esset Alexan-
der? hæc ipsa insectatio alacritatem militum accendit.
Jamque paullulum moles aquam eminebat, et simul 21
aggeris latitudo crescebat urbique admovebatur, quum

Infra XIII, 8. — *Orsus est.* Non jussu solum, sed exemplo præiens militibus cophinum terra plenum primus gestavit, Polyænus, IV. « Et, ut inquit Polyb. X, nihil militibus majori incitamento est quam ducem ipsum cernere cum suis laborantem. » — *Ex Libano monte.* Anti-Libano; vid. Plutarch. Al. et Arrian. II, 20. Anti-Libanis enim multo propior erat Tyrus. Idem error infra in fine hujus cap. recurrit. Attamen excusari potest Curtius. Nam multi Græcorum quoque omnes montes, qui Phœniciam cingunt, Libanum vocant. Vid. Indic. geographicum. — *Ratibus et turribus.* Bene hoc, quamvis paullo aliter Arrianus, II, 18, 6. Si lapides ex Tyro vetere sumpti dicuntur, illius forte rudera propius ab insula aberant, quam supra ex Strabone dixi, forte ob magnitudinem urbis antiquæ. — *Vehebatur.* Alii *advehebatur.* Noster regius cod. 5717: *advehebantur.*

19. *In altitudinem modicam* vulgo *montis.* Ego cum septem Codd. scripsi *in altitudinem modicam;* non Curtii caussa, qui eodem jure h. l. hyperbolice loqui potuit, quo mox fretum non profundum appellat *præaltum mare;* conf. notam ad § 1, huj. cap. Tum in uno legitur *æquabatur*, pro *æquabat*, quod Schefferus præfert hoc sensu: nondum fastigium operis æquabatur aquæ, i. e. æquale fiebat. Sed vulgata proba est.

21. *Aquam eminebat.* Snakenburg. monente, hoc ita dictum est ac *fastigium excessit* (lib. V, 1, 28), vi præpositionis *e*, quæ pro *extra* ponitur. Vid. Sanct. Minerva lib. III, cap. 3. *Aquæ imminebat* Cod. Theocr. — *Aggeris latitudo.* Ad 200 pedum latitudinem jacta erat moles, idque brevi tempore, quia universi urbium vicinarum incolæ ad laborem acciti erant. Diod. XVII, 40. — *Urbique admovebatur.* Noster 5717, *admovebantur;* noster 5718, *ubique admovebatur;* alii alia. Unde Gronovius suspicabatur, ingeniosa quidem conjectura, *urbsque admovebatur*, quia ea, quibus nos appropinquamus, aut admovemur, sic nobis admoveri dicuntur. Quædam

Tyrii magnitudine molis, cujus incrementum eos ante fefellerat, conspecta, levibus navigiis nondum commissum opus circumire cœperunt: missilibus eos quo-
22 que qui pro opere stabant incessere. Multis ergo impune vulneratis, quum et removere et appellere scaphas in expedito esset, ad curam semet ipsos tuendi
23 ab opere converterant. Igitur rex munientibus coria velaque jussit obtendi, ut extra teli ictum essent: duasque turres ex capite molis erexit, e quibus in
24 subeuntes scaphas tela ingeri possent. Contra Tyrii navigia procul a conspectu hostium litori appellunt, expositisque militibus, eos qui saxa gestabant, obtruncant. In Libano quoque Arabum agrestes, incompositos Macedonas aggressi, triginta fere interficiunt, paucioribus captis.

1 III. Ea res Alexandrum dividere copias coegit: et,

exempla refert. — *Commissum opus.* Scil. cum urbe. Opus illud multis post sæculis exemplo fuit ministro illi, et, ut ita dicam, Galliæ Regi (*le cardinal de Richelieu*), quum urbem (*La Rochelle*) obsidio circumiret, et adversus populos pugnaret eadem virtute, qua Tyrii, præditos, eodem situ superbos, et præterea religionis libertatisque amore excitatos. — *Qui pro opere stabant.* Qui opus i. e. aggerem defendebant. — *Quum et removere.* Quum facile esset Tyriis et applicare navigia ad molem et ea reducere. Post *converterant* nostri Regg. Codd. et quidam alii rescribunt sententiam: *et qua longius..... absorbebat mare*, quam supra in § 19, omiserant.

23. *Coria velaque.* Vide Arrianum, IV, 4; Lipsium, Poliorc. V, 9. Eadem narrat Diod. XVII, 45, cujus textum feliciter hic emendat Freinshemius. Joseph. III, 7; Cæsar de bello civ. II, 9, ea aliaque adversus telorum vim commenta exponunt. De his quoque, et de cæteris operis hujus obsidionis, vid. *Ste-Croix*, *Exam. crit.*, p. 270 et sqq., et *Maizeroy*, *Art des sièges*, p. 73 et 74. — *Extra teli ictum. Extra teli jactum* est, quo pertingere jacta tela nequeunt; *extra teli ictum*, quo perveniunt, sed sine noxa, prohibito allapsu aut tactu.

24. *Arabum agrestes.* Conf. Plut. c. 24. Etiam Arrianus de expeditione Alexandri contra Arabes in Antilibano monte loquitur lib. II, 20, quibus undecim dierum spatio domitis, Sidonem, unde profectus erat, reversus sit. Expeditionis caussam non adjecit. Hic erant olim quoque, ut nunc, gentes Arabicæ Syris intermixtæ. A Curtio vocantur *agrestes*, ut ab iis distinguantur, qui in desertis arenosis vagabantur. Arabes istarum regionum omni ævo maxime rapto vivere assueverunt.

ne segniter assidere uni urbi videretur, operi Perdiccam Craterumque præfecit; ipse cum expedita manu
Arabiam petiit. Inter hæc Tyrii navem magnitudine 2
eximia, saxis arenaque a puppi oneratam, ita ut multum prora emineret, bitumine ac sulphure illitam remis concitaverunt; et quum magnam vim venti vela quoque concepissent, celeriter ad molem successit:
tunc prora ejus accensa, remiges desiliere in scaphas, 3
quæ ad hoc ipsum præparatæ sequebantur. Navis autem igne concepto latius fundere incendium cœpit: quod, priusquam posset occurri, turres et cætera opera
in capite molis posita comprehendit. At qui desilie- 4
rant in parva navigia, faces et quidquid alendo igni aptum erat in eadem opera ingerunt. Jamque non

1. *Perdiccam Craterumque.* Polyæn. IV, 3, 4: « Parmenionem in hac obsidione reliquit. » — *Cum expedita manu.* Arrian. teste, cum quibusdam equitum alis, scutatorum agmine, Agrianibus et sagittariis. Si *Arabia* petita dicitur, intellige Arabes in istis montibus. Eamdem rem Plutarch. Alex. testatur, sed expeditionis ejus caussam non addit. Auctor est, Alexandrum insigne ibi subiisse periculum, et hoc quidem Lysimachi pædagogi amore. Cæterum ea expeditio famam movit, Alexandrum Arabiam omnem vi armorum subegisse, et Plin. Hist. Nat. XII, 14, auctor est, Alexandrum Arabia potitum navim inde thure onustam Leonidæ misisse monentem, ut deos in posterum largius adoraret. Cf. et Plut. l. l. Eadem retulit Freinshem. in supplemento.

2. *Inter hæc.* Aliter Arrianus, qui prius machinas Macedonum incensas molemque dirutam refert; tum Alexandrum classis comparandæ curam habuisse; atque interim, quum nova moles inciperetur, novæque machinæ conficerentur, expeditionem in Antilibanum fecisse. — *Navem magnitudine eximia.* Arrian. II, 19, illam ναῦν ἱππαγωγὸν vocat, fusiusque eam describit.

3. *Prora accensa.* In quam congesta erant, quæcumque ingentem flammam excitare poterant. Confer. Arrianum, lib. II, c. 19.

4. *Alendo igni aptum erat.* Modius scribit *igni erat*, expungitque *aptum*, ut inepte dictum; sed cur? quum nulla Codd. auctoritate nititur. Huic et multis aliis interpretibus qui scriptorum voces sententiasque, ut libebat, mutarunt, sæpius iteranda sunt illa Acidalii verba: « Mala quædam scabies est et pruriginosa libido mutandi, si quid novitatis specie blanditur. Ac sæpe vulgatæ lectiones defendendæ nobis, immerito ab aliis damnatæ: in quo quidem non minus de Curtio bene meremur, quam ubi comminiscimur ipsi novas. Etiam is corrigit, qui corrigere probibet, ubi nibil corrigendum. » —

modo Macedonum turres, sed etiam summa tabulata conceperant ignem, quum ii, qui in turribus erant, partim haurirentur incendio, partim, armis omissis, in
5 mare semetipsi immitterent. At Tyrii, qui capere eos quam interficere mallent, natantium manus stipitibus saxisque lacerabant, donec debilitati impune navigiis
6 excipi possent. Nec incendio solum opera consumpta; sed forte eodem die vehementior ventus motum ex profundo mare illisit in molem, crebrisque fluctibus compages operis verberatæ se laxavere, saxaque in-
7 terluens unda medium opus rupit. Prorutis igitur lapidum cumulis, quibus injecta terra sustinebatur, præceps in profundum ruit: tantæque molis vix ulla vestigia invenit Arabia rediens Alexander. Hic, quod in adversis rebus solet fieri, alius in alium culpam referebat; quum omnes verius de sævitia maris queri
8 possent. Rex, novi operis molem orsus, in adversum ventum non latere, sed recta fronte direxit; ea cætera opera, velut sub ipsa latentia, tuebatur: latitudinem

Summa tabulata. Snakenburg. tabulata non de turrium contignationibus, sed de trabibus vel asseribus in capite molis aut summa operis parte superinjectis, ut iis ingredi milites, aut promoveri turres possent, interpretatur. — *Haurirentur incendio*. Flammis absorberentur.

6. *Motum*. Mare commotum a fundo usque ad aggerem ventus impulit. Nostri *totum*, cui nullus sensus est. Sed mox cum eis et præeunte Modio, recepi *laxavere* pro *se laxavere* quod in edd. est. — *Compages operis*. Intellige tigna et palos, quibus ab utroque latere moles continebatur.

7. *Prorutis cumulis*. Sic iterum *proruto vallo* infra IV, 13, 26; Diod. XVII, 42, non totam, sed magnam molis partem dirutam refert a vento Argeste, de quo vide Wesselingii notam. *Arabia rediens*. Undecim dies ibi manserat Alexander, teste Arriano. — *Solet fieri*. Secunda vox abest ab uno cod.

8. *Ea cætera opera velut sub ipsa*. Sic dedi cum plurimis Codd. Inprimisque nostris Regg. et cum Modio Schmiederoque, pro *quod cætera opera velut sub ipso*, etc. Sententia est: novam molem ita exstrui jussit, ut frons ejus adversa esset Africo; eo consilio, ut, quæ aggeris partes pone frontem essent, ipsa fronte tegerentur, nec vento molem a latere subruere liceret. — *Tuebatur*, a ventorum motique maris vi. Frangebantur enim ibi fluctus aquarum. Diod. l. l. *ἐκ τῆς ἑσπέρας*

quoque aggeri adjecit, ut turres in medio erectæ procul teli jactu abessent. Totas autem arbores cum ingen- 9
tibus ramis in altum jaciebant, deinde saxis onerabant; rursus cumulo eorum alias arbores injiciebant : tum humus aggerebatur; superque alia strue saxorum arborumque cumulata, velut quodam nexu continens opus junxerant. Nec Tyrii, quidquid ad impediendam molem excogitari poterat, segniter exsequebantur. Præcipuum auxilium erat, qui procul hostium con- 10
spectu subibant aquam, occultoque lapsu ad molem usque penetrabant; falcibus palmites arborum eminentium ad se trahentes : quæ ubi sequutæ erant, pleraque secum in profundum dabant; tum levatos 11
onere stipites truncosque arborum haud ægre moliebantur : deinde totum opus, quod stipitibus fuerat innixum, fundamento lapso, sequebatur. Ægro animi

ἐκκόπτων ὑπερμεγέθη δένδρα παρεκόμιζε, καὶ σὺν αὐτοῖς τοῖς κλάδοις ἐγχώσας ἐνέφραξε τὴν βίαν τοῦ κλύδωνος. — *Ut turres in medio erectæ* (vel *excitatæ*) *procul teli jactu* (vel *ictu*) *essent.* Quam velis, elige lectionem, neutra placet Schmiedero nec mihi. Tam ingens latitudo aggeri nullo modo adjici poterat, ut turres procul ab teli jactu abesse possent. Veriora scripsit Arrian. lib. II, 19, 10 : « latior factus est agger, quo plures caperet turres, hoc est quo melius defensi possent. » Adde : quo minus denuo a fluctibus dirui posset. Hæc etiam moles inutilis fuit. Nam murus ei oppositus 150 circiter pedes altus, latitudine altitudini respondente, et saxis ingentibus gypso inter se commissis exstructus erat, ut contra eum machinæ nihil proficerent. Confer Arrian. lib. II, c. 22, 8.

9. *Velut quodam nexu.* Vincula, quibus opus quasi nectebatur, erant arbores cum ramis.

10. *Qui subibant aquam*, urinatores. Arrian. l. l. ὕφαλοι κολυμβηταὶ ἐξάπτοντες βρόχους τῶν λίθων ἀπὸ τοῦ χώματος ἀνέσπων αὐτοὺς ἔξω τῆς θαλάττης. — *Falcibus.* Conjicit Heinsius, *forcipibus.* Cunzius *falces* interpretatur contos ferro incurvato præfixos. Notæ sunt in primis falces murales, quibus muri diruebantur. Arrian. l. l. pro illis habet βρόχους. — *Palmites arborum.* Palmitem non nisi de vite usurpari manifestum est. Saltem arborum ramos sic vocari, in Plinio non invenitur. Videtur Curtius suos auctores græcos esse sequutus, qui h. l. κλήματα posuerunt. Κλήματα palmites significant, et pro virgis, viminibus, virgultis, baculis etiam usurpari solent apud Plutarchum et alios. Certe a stipitibus et truncis arborum mox distinguuntur.

Alexandro, nec perseveraret, an abiret, satis certo,
classis Cypro advenit, eodemque tempore Cleander
cum Græcis militibus in Asiam nuper advectis. Centum
et nonaginta navigia in duo dividit cornua; lævum
Pnytagoras, rex Cypriorum, cum Cratero tuebatur;
Alexandrum in dextro quinqueremis regia vehebat.
12 Nec Tyrii, quamquam classem habebant, ausi navale
inire certamen, tres omnino naves ante ipsa mœnia
13 opposuerunt: quibus rex invectus ipsas demersit. Postera die, classe ad mœnia admota, undique tormentis,
et maxime arietum pulsu, muros quatit: quos Tyrii

11. *Classis Cypro advenit.* Advenerant ad Alexandrum, relicto Autophradate, reges Phœniciæ cum 80 navibus; circa idem tempus decem naves ex Rhodo; 13 ex Lycia et Cilicia; una ex Macedonia. Paullo post Cypri reges, quum omnem Phœnicen captam viderent, cum 120 navibus Sidonem venerunt, seque Alexandro dediderunt. Arr. II, 20. Habebat igitur 224 naves. Plut. Alexand. 24, ducentas dixit, numero rotundo. Diod. XVII, 41, 42, ita loquitur, ac si Alexander a principio classem habuisset; sed error inde est, quod diversas res in una quidem hac obsidione, sed diverso tempore gestas inter se commiscet. — *Cleander.* Conf. III, 1, 1. Adduxerat Cleander 4,000 Græcorum mercenariorum. Si Cleander *advectus* dicitur, cave ne eum ista classe Cypria putes. Sine dubio solum Hellespontum transvectus, reliqua pedestri itinere ivit. Ceterum in pluribus hujus loci verbis Codd. multum variant. Ego omnem sententiam ex probatissimis nostris 5717, 5718 ita restitui, præeunte Modio, nisi quod *navigia* scripsi pro *navigium* quod prius legebatur. Freinshemius, Schmiederus et cæteri sic locum legebant: *Ægro animi Alexandro, et utrum perseveraret an abiret, satis incerto, classis Cypro advenit; eodemque tempore Cleander cum Græcis militibus in Asiam nuper advectus. Centum et octoginta navium classem...... etc.* — *Pnytagoras, rex Cypriorum.* Non omnium, sed unius urbis, Salaminis. Erant enim plures Cypri reguli. Vide infra c. 8, 14.

12. *Tres omnino naves* Antea legebatur: *triremes omnes... demersit.* Quod per se incredibile est, et ex sqq. falsum esse comparet. Arriano teste, Tyrii, quotquot potuerunt navibus, portuum fauces obstruxerant. Tres modo triremes, quæ longius extra fauces positæ erant, a Phœnicibus demergebantur. Totidem demersas tradit etiam Diod. Accedit, plurimos Codd. hoc loco habere: *tres vel tris omnino ante, etc.* Non dubitavi igitur cum Modio et quibusdam editis scribere: *tres omnino naves ante, etc.* reliquæ enim naves omnes ante portus, in portuum faucibus, locatæ erant, tres extra portum ante mœnia ipsa. Aliis placuit Freinshemii conjectura, qui, reliquis intactis, legit: *tribus rex invectus, ipsas demersit.*

PL PARTICULIER DE LA VILLE DE TYR,
ET D bâtie sur les deux ILES AMBROSIÆ.
Pour la Col
d
Par J

Port Inférieur
Palais du Roi

res,
se ita
proræ
distarent intervallo quantum ...
ut alligati hinc inde ad utramque puppim asseres atque antennæ, imposita pontium ac militum onera ferre pos-

... terum, quum omnes scriptores de hac tempestate sileant, vix fit injuria Curtio, si tempestatis poeticam aliquam

[illegible] legebatur. Freinshemius, Schmiederus et cæteri sic locum legebant : *Ægro*

Freinshemii conjectura, [illegible] intactis, legit : *tribus rex invectus, ipsas demersit.*

raptim obstructis saxis refecerunt; interiorem quoque
murum, ut, si prior fefellisset, illo se tuerentur, undi-
que orsi. Sed undique vis mali urgebat; moles intra 14
teli jactum erat; classis mœnia circumibat: terrestri
simul navalique clade obruebantur. Quippe binas qua-
driremes Macedones inter se ita junxerant, ut proræ
cohærerent; puppes intervallo, quantum capere pos-
sent, distarent: hoc puppium intervallum antennis 15
asseribusque validis deligatis, superque eos pontibus
stratis, qui militem sustinerent, impleverant: sic in-
structas quadriremes ad urbem agebant: inde missilia
in propugnantes ingerebantur tuto, quia proris miles
tegebatur. Media nox erat, quum classem, sicuti dic- 16
tum est, paratam, circumire muros jubet: jamque
naves urbi undique admovebantur, et Tyrii despera-
tione torpebant, quum subito spissæ nubes intendere
se cœlo, et quidquid lucis internitebat, effusa caligine

13. *Interiorem quoque murum.* Post veterem murum, quinque cubitorum intervallo in medio relicto, murum alterum decem cubitos latum ædificarunt, vacuum inter utrumque spatium lapidibus ingestaque terra complentes. Ex Diod. XVII, 43.

14. *Intra teli jactum.* Id est, usque eo processerat, ut hostes atque urbem inde petere possent. — *Terrestri simul navalique clade obruebantur.* Hoc est, propugnatores murorum vulnerabantur, interficiebantur telis et a terra ex mole, et ex navibus missis. — *Binas quadriremes.* Non duas solum, sed plures, commissis frontibus, binas inter se ita junxerunt, ut ambarum quidem proræ cohærerent, puppes vero tanto distarent intervallo quantum satis erat, ut alligati hinc inde ad utramque puppim asseres atque antennæ, imposita pontium ac militum onera ferre possent. — *Capere possent.* Sic Cod. Th. Vulgo *c. poterant.*

15. *Quadriremes ad urbem.* Modius ex libris veteribus mavult *remis ad urbem.* Paullo post, ubi miles *proris tectus* dicitur, fateor, me rem non intelligere. Licet proræ fuerint altiores puppibus, munimento tamen esse non poterant. Nec credo cum Tellierio eas, pondere militum in puppes incumbentium, multum fuisse erectas, quod sane fieri sine naufragii discrimine non potuisset.

16. *Circumire muros.* Sic restitui ex plur. Codd. pro *circ. urbem.* — *Torpebant.* Ratione et sensu carebant. — *Spissæ nubes intendere.* Densa nubila obduxere cœlum. — *Effusa:* forte *offusa.* J. Fr. Gron. ad Liv. I, 57. Ceterum, quum omnes scriptores de hac tempestate sileant, vix fit injuria Curtio, si tempestatis poeticam aliquam

17 exstinctum est. Tum inhorrescens mare paulatim le-
vari, deinde acriori vento concitatum, fluctus ciere,
et inter se navigia collidere. Jamque scindi cœpe-
rant vincula quibus connexæ quadriremes erant,
ruere tabulata, et cum ingenti fragore in profundum
18 secum milites trahere: neque enim conserta navigia
ulla ope in turbido regi poterant: miles ministeria
nautarum, remex militis officia turbabat; et, quod in
hujusmodi casu accidit, periti ignaris parebant, quippe
gubernatores, alias imperare soliti, tum metu mortis
jussa exsequebantur. Tandem remis pertinacius ever-
beratum mare, veluti eripientibus navigia classicis
19 cessit: adpulsaque sunt litori, lacerata pleraque. Iis-
dem diebus forte Carthaginiensium legati triginta su-
perveniunt, majus obsessis solatium, quam auxilium:
quippe domestico bello Pœnos impediri; nec de im-
20 perio, sed pro salute dimicare nunciabant. Syracusani
tunc Africam urebant; et haud procul Carthaginis
muris locaverant castra. Non tamen defecere animis

descriptionem exhibendi occasionem finxisse creditur. Tota enim poetica est tum verbis, tum numeris. Cæterum Homer. Odyss. V, 291; Virg. Æneid. I, 88; Ovid. Metamorph. XI, 475, de Trist. I, 10; Statium, Thebaid. I, 345; Petronii Satyr. etc. adeant, qui harum rerum curiosi sunt.

18. *In turbido.* Tanta tempestate tenebras procellasque ciente. — *Jussa.* Militum aliorumque hominum in arte regendarum navium prorsus rudium. — *Veluti erip. nav. cl. cessit.* Mare quasi classicorum (militum) impetu victum navigia eis remisit. — *Classicis.* Eos proprie *classicos* appellat, non milites *classiarios*, h. e., qui navibus impositi ad pugnam erant; sed nautas ipsos, nautarumque adjutores remiges, quos illi socios vocitabant; *les gens de la Chiourme.* Classicorum porro nomen hominibus in re navali datum non alibi facile reperias. — *Remex turbabat.* Sic malui cum quinque Codd. pro *remiges... turbabant.*

20. *Syracusani... haud procul Carthaginis muris locaverant castra.* Hi nusquam leguntur prope Carthaginem castra posuisse, præterquam apud Just. XXII, 6, duce Agathocle. Sed hic Alexandro posterior fuit, ut Curtii hic error non immerito notetur a Reineccio, t. 1, de Carthag. republica. Fuerunt quidem circa id tempus in Africa turbæ, sed Syracusanorum ibi partes nullæ. Congruere potius cum his temporibus bellum civile ab Hannone motum videtur, ut monuit *Bougainville.*

Tyrii, quamquam ab ingenti spe destituti erant; sed
conjuges liberosque devehendos Carthaginem tradi-
derunt : fortius quidquid accideret laturi, si carissi-
mam sui partem extra communis periculi sortem ha-
buissent. Quumque unus e civibus concioni indicasset, 21
oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem
eximia religione colerent, urbem deserentis, molem-
que a Macedonibus jactam in salo, in sylvestrem
saltum esse mutatam : quamquam auctor levis erat, 22
tamen ad deteriora credenda proni metu, aurea catena
devinxere simulacrum, aræquę Herculis, cujus numini
urbem dicaverant, inseruere vinculum; quasi illo deo
Apollinem retenturi. Syracusis id simulacrum devexe-
rant Pœni, et in majore locaverant patria : multisque
aliis spoliis urbium, a semet captarum, non Carthagi-
nem magis, quam Tyrum ornaverant. Sacrum quoque, 23

quem laudat *Sainte-Croix*, pag. 273.

21. *Speciem Apollinis.* Quamvis hunc deum indigenam fuisse Reineccius arbitretur, et *Baalem* vocatum, ego cum Freinshemio, qui Curtii Diodorique testimoniis nititur, advenam fuisse potius crediderim. Cæterum vulgare est apud antiquos, a diis urbem, quum ei exitium imminet, deseri. Classicus est apud Virgilium locus, Æneid. lib. II, 351 : « Excessere omnes, adytis arisque relictis, Di, quibus imperium hoc steterat... » et apud Tacit. Histor. V, 13, de obsidione Hierosolymorum: « Expassæ repente delubri fores, et audita major humana vox; excedere deos. Simul ingens motus excedentium. » Æschylus in septem ad Thebas aperte dicit : « Urbes, quæ capiuntur, a suis diis, ex hominum opinione, deseri. » Eadem fere prodigia narrat Plutarchus, Alex. 41.

22. *Proni metu.* Iisdem verbis Livius, XXVII, 44, quem sæpissime Curtius imitatur : « Metus semper in deteriora inclinat. » Et Claudian. de Bello Getico : « Sed malus interpres rerum metus omne trahebat Augurium pejore via... » — *Aræ Herculis.* Simulacrum Herculis Tyriis non fuisse, ad h. l. ostendit Freinshemius, sed aram tantum. Sic in Herculis Gaditani templo (erat autem eadem ibi religio) nullam fuisse statuam dicit Silius III, 30 : « Sed nulla effigies, simulacrave nota deorum. » Plut. c. 24, et Diod. c. 41, Tyrios colossum Apollinis catenis in ipsius basi revinxisse narrant. — *Retenturi.* Alii *retenturo.* — *Syracusis.* Diodor. XIII, 108, simulacrum hoc non Syracusis (nec sane eas unquam a Pœnis captas fuisse memini), sed a Gelois abductum scribit. — *In majore patria.* Ita vocat Tyrum, quæ *major patria*, sicut sunt *majores* parentes. Carthaginiensium majores erant Tyrii, sic ergo Tyrus eorumdem major patria. — *Tyrum ornaverant.* Insignis

15.

quod quidem diis minime cordi esse crediderim, multis seculis intermissum repetendi auctores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur : quod sacrilegium verius, quam sacrum, Carthaginienses a conditoribus traditum, usque ad excidium urbis suæ fecisse dicuntur, ac nisi seniores obstitissent, quorum consilio cuncta agebantur, humanitatem dira superstitio
24 vicisset. Ceterum, efficacior omni arte necessitas non usitata modo præsidia, sed quædam etiam nova admovit. Namque ad implicanda navigia, quæ muros subi-

semper apud Carthaginienses fuit, quum Tyri urbis reverentia, tum Herculis inprimis Tyrii, coloniæ suæ patroni præcipui cultus, ita, ut decimas ex omni præda eo mittere solerent. V. Justin. XVIII, 7, 7; Diod. XX, 739.

23. *Quod quidem*. Quinque Codd. *quod equidem*. — *Ingenuus puer*. Notum est, homines antiquissimos omnesque barbaras gentes, inprimis vero Carthaginienses Saturno hostiis humanis immolasse, Justin. XVIII, 6, 2, XIX, 1, 1; Diod. XIII et XX; Porphyr. II, 56, de anim. abstinent.; Ennius, Annal. VII; Plin. Hist. nat. XXXVI, 5, 37, testatur Pœnos ad Herculis etiam statuam sacrificasse victimas. Neque Phœnicibus tale sacrificium insuetum erat. — *Saturno*. Molochus intelligendus videtur Cellario, Molochus, de quo tam poetice nostras *Voltaire*, *Henriade*, *ch*. V, *Fanatismum* depingens : « C'est lui qui dans « Raba, sur les bords de l'Arnon, « Guidait les descendans du malheu« reux Ammon, Quand à Moloch, « leur dieu, les mères gémissantes Of« fraient de leurs enfans les entrailles « fumantes. » — *Usque ad excidium urbis*. Dion. Halic. I, 4 : λέγουσι, inquit, δὲ καὶ τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν τῷ Κρόνῳ τοὺς παλαιοὺς, ὥσπερ ἐν Καρχηδόνι τέως ἡ πόλις διέμεινε. Intermissum tamen semel atque iterum jussu Regum, qui ab ejusmodi immanitate abhorrebant, Darii Persæ atque Gelonis Syracusani, vid. Justin. XIX, 1, 13; Oros. IV, 21; et *Montesquieu*, *Esprit des Lois*, lib. X, c. 5, qui sic disserit : « Chose admirable, après « avoir défait 300,000 Carthaginois, « Gélon exigeait une condition qui n'é« tait utile qu'à eux, ou plutôt il sti« pulait pour le genre humain. »

24. *Necessitas*. Vulgata : *imminens necessitas*, sed prior vox abest ab omnibus fere Codd. Pro *arte* in uno est *ratione*. Tum ex multis scripsi *admovit* pro *admonuit*. — *Ad implicanda navigia*. Ad impedienda, destruenda. Mens auctoris est : Tyrii longos contos, seu *longurios* (*antennas* dicit Diod. c. 44, quia antennarum in modum e muris promicabant) a capite uncis, corvis, falcibus, manibus ferreis armatos, per machinas extra mœnia actos et protensos, subito remittebant funibus suspensos, ut in subjectas hostium naves inciderent, rursumque adducti funibus secum traherent, quidquid arripuissent, sic ut totas naves vel everterent a lateribus prensas, vel in proras erigerent, et puppim mergerent, vel contra. Verba *cum uncis*

bant, validis asseribus corvos et ferreas manus (cum uncis ac falcibus) illigaverant; ut, quum tormento asseres promovissent, subito laxatis funibus injicerent.
Unci quoque et falces ex iisdem asseribus depen- 25
dentes, aut propugnatores, aut ipsa navigia lacerabant. Clypeos vero æreos multo igne torrebant, quos repletos fervida arena, cœnoque decocto, e muris subito devolvebant. Nec ulla pestis magis timebatur: 26
quippe ubi loricam corpusque fervens arena penetraverat, nec ulla vi excuti poterat, et quidquid attigerat, perurebat: jacientesque arma, laceratis omnibus quis protegi poterant, vulneribus inulti patebant: corvi vero et ferreæ manus tormentis emissæ plerosque rapiebant.

IV. Hic rex fatigatus statuerat, soluta obsidione, 1
Ægyptum petere; quippe quum Asiam ingenti velo-

ac falcibus cum Modio pro glossa habeo. Hæc quidem verba, et præcedentia *corvos et ferreas manus* in nostris Regg. Codd. et in multis aliis omittuntur. *Injicerent* scil. in naves. Heinsius conjecit, *inciderent*.

25. *Clypeos*, etc. Eadem narrat Diod. l. l. Ejusmodi res autem, scilicet oleum fervens, pix, sulphur, plumbum fluens, γῆ σιδηρῖτις (*limaille*) πολλῷ πυρὶ διαφάνης, etc. sæpissime solebant effundi in oppugnantes. Vid. Lipsii Poliorceticon, 2, ubi et hic locus illustratur. — *Corpusque*. Quum credere non posset, arenam ipsam quoque corpus penetrasse, non inepte conjiciebat Acidalius *corpus usque*; Heinsius: *loricam inter corpusque*. Sed facile fingere nobis possumus hunc ferreum pulverem, hanc *limaille* corpus ipsum penetrasse. Nihil igitur mutandum.

26. *Inulti*. Abjectis enim armis et laceratis omnibus, quibus protegebantur, amplius defendere se non poterant. Simile Liv. XXI, 8, 11, de Falarica Saguntinorum: « Id telum etiamsi hæsisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat, quod quum medium accensum mitteretur, conceptumque ipso motu multo majorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus præbebat. » — *Corvi vero*. Diod. l. l. τοῖς δὲ κόραξι καὶ ταῖς σιδηραῖς χέρσιν ἀνήρπαζον τοὺς τοῖς θωρακίοις ἐφεστῶτας. Alios conatus, quibus naves impedirent, ne muris appropinquarent, et se defenderent, vide ap. Arr. II, 21, et Diod. XVII, 43...45.

1. *Hic rex*. Alii *his rex*. — *Statuerat Ægyptum petere*. Intellige ex Diod. cap. 45, Alexandrum primo quidem obsidionem solvere statuisse, sed mox consilii pœnituisse. — *Velocitate*. Sic dedi cum sex Codd. pro *celeritate*. — *Asiam*. Videlicet minorem: eas enim regiones, ubi primam provinciam, Asiam proconsularem, Romani habue-

citate percurrisset, circa muros unius urbis hærebat,
2 tot maximarum rerum opportunitate dimissa. Ceterum, tam discedere irritum, quam morari pudebat. Famam quoque, qua plura, quam armis, everterat, ratus leviorem fore, si Tyrum, quasi testem se posse vinci, reliquisset. Igitur ne quid inexpertum omitteret, plures naves admoveri jubet, delectosque militum im-
3 poni. Et forte bellua inusitatæ magnitudinis, super ipsos fluctus dorso eminens, ad molem quam Macedones jecerant ingens corpus applicuit; diverberatisque fluctibus adlevans semet, utrimque conspecta est:
4 deinde a capite molis rursus alto se immersit; ac modo super undas eminens magna sui parte, modo superfusis fluctibus condita, haud procul munimentis
5 urbis emersit. Utrisque lætus fuit belluæ adspectus: Macedones iter jaciendo operi monstrasse eam augurabantur; Tyrii, Neptunum, occupati maris vindicem, abripuisse belluam, ac molem brevi profecto ruituram: lætique omine eo ad epulas dilapsi oneravere se vino; quo graves, orto sole navigia conscendunt redimita coronis floribusque: adeo victoriæ non omen
6 modo, sed etiam gratulationem præceperant! Forte

rant, præ cæteris Asiam vocare solebant. — *Maximarum rer. opp.* Ea erat opportunitas, quod ante, quam Darius vires resumeret, territisque omnium gentium adhuc animis, maximam regni ejus partem præoccupare posset. — *Vinci*, vel potius non vincere, hosti acriter resistenti cedere, atque, ut Diod. l. l. ait: παραχωρῆσαι Τυρίοις τῆς κατὰ τὴν πολιορκίαν δόξης. In hoc vero quantum sit momenti optime explicat Livius l. XXIII, c. 16, quum Annibalem modico prælio Marcellus vicisset: « Ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit; non vinci enim ab Annibale vincentibus facilius fuit, quam postea vincere. »

3. *Et forte bellua.* Diodorus, XVII, 41: Κῆτος ἄπιστον τὸ μέγεθος, ut e verbo videtur expressisse Curtius.

5. *Abripuisse.* Sic scripsi cum nostris Regg. Codd. et Schmiedero pro *adripuisse.* Mens erat Tyriorum, sic molem quoque Macedonum denuo in profundum ruituram, ut bellua, juxta molem conspecta, alto se immiserit, abrepta quasi ab Neptuno. Alio quidem sensu, sed non incommodo, conjecit Snakenb. *adhibuisse.* De bellua nihil Arrianus. — *Gratulationem præ-*

rex classem in diversam partem agi jusserat, triginta minoribus navigiis relictis in litore; e quibus Tyrii duobus captis, cætera ingenti terruerant metu : donec suorum clamore audito, Alexander classem litori, e quo fremitus acciderat, admovit. Prima e Macedonum 7
navibus quinqueremis velocitate inter cæteras eminens occurrit : quam ut conspexere Tyrii, duæ e diverso in latera ejus invectæ sunt; in quarum alteram quinqueremis eadem concitata, et ipsa rostro icta est, et

ceperant. Dies festos celebrabant ante victoriam partam; gratulatio est supplicatio cum lætitia publica.

6. *In diversam partem*. Arriano teste II, 20, 26, Tyrii naves suas in duobus portubus habebant, quorum alter Sidonem, alter Ægyptum spectabat. Ad utrumque observandum Alexander non *forte*, sed bono consilio suam classem diviserat; naves cyprias *in litore* ex adverso ejus portus, qui Sidonem spectabat, collocaverat; reliquis *in diversam partem* missis, ut portum, qui Ægyptum versus erat, observarent. In illas Tyrii, jam desperantes, nihil minus quam *læti* periculum fecerant, quod Arrian. II, 21, 22, diligentissime descripsit. Ex quo discimus, illam excursionem 13 navium tyriarum non fuisse repentini consilii, sed diu præparatam, factam meridie, quum classiarii Cypriorum ad necessaria discessissent. Inopinato igitur impetu facto, tres naves submergebantur (duas captas dixit noster); reliquæ, in litus propulsæ, quanto maximo damno affligebantur. Interim Alexander secundam classem ita diviserat, ut aliæ naves excursionem e portu, qui Ægyptum spectabat, impedirent; cum aliis urbem citissime circumvectis a tergo Tyrios incesseret. Quo facto plurimas eorum naves vel submergebat, vel capiebat. Ex his interpretandus est Curtius, quem sine Arriano non intelligeremus. Sic enim, ut dixi, rex *classem litori*, e *quo fremitus acciderat, admovit*. Quæ in sqq. de concursu quinqueremis aliarumque navium dicuntur, de conflictu Tyriorum ad portum refugientium cum circum urbem vectis Alexandri navibus interpretare.

7. *Prima* e *Macedon. nav*. Ex plurimis pro *prima a M. n*. — *Et ipsa rostro*. Scil. alterius navis tyriæ *icta est*, *et illam*, hanc ipsam, cujus rostro icta erat, *invicem tenuit*, quum Tyrii rostrum ex nave macedonica evellere non possent. Plane similis huic locus est apud Livium, XXXVII, 30, n. 7, de Rhodia navi, « capta memorabili casu : nam quum rostro percussisset Sidoniam navem, anchora ictu ipso excussa a nave sua, unco dente, velut manu ferrea injecta, alligavit alterius proram : inde, tumultu injecto, quum divellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodii, tractum anchorale, et implicitum remis latus alterum detersit : debilitatam ea ipsa quæ icta cohæserat, navem cepit. » Idem casus Dinocratem apud Polybium XVI, 2, implicuit : simile narrat et Diod. XVI, 99, et Luc. III, 563, cujus hæc verba sunt : « Tunc quæcumque ratis tenta-

8 illam invicem tenuit. Jamque ea, quæ non cohærebat, libero impetu evecta, in aliud quinqueremis latus invehebatur; quum opportunitate mira triremis e classe Alexandri in eam ipsam, quæ quinqueremi imminebat, tanta vi impulsa est, ut Tyrius gubernator in mare
9 excuteretur e puppi. Plures deinde Macedonum naves superveniunt, et rex quoque aderat; quum Tyrii inhibentes remis, ægre evellere navem quæ hærebat, portumque omnia simul navigia repetunt. Confestim rex insequutus, portum quidem intrare non potuit, quum procul e muris missilibus submoveretur; naves
10 autem omnes fere aut demersit, aut cepit. Biduo deinde ad quietem dato militibus, jussisque et classem

vit robora Broti, ictu victa suo, percussæ capta cohæsit. » Navium enim prora, ære ferrove armata in acumen desinebat, *rostrum* appellata, ducta ex avibus similitudine.

8. *Excuteretur*. Idem accidit illi gubernatori apud Virg. Æn. I, 115: « In puppim ferit: excutitur, pronusque magister Volvitur in caput.... »

9. *Inhibentes remis*. Hoc est, ita remigantes, ut navis puppim versus retrocederet. Si remiges remis utebantur more solemni, tum proræ cum rostris navibus hostium obversæ erant. Sic invecta erat navis tyria in macedonicam, eamque suo rostro ictam ipso rostro tenuit, ut ambæ naves cohærerent. Tum, quum Tyrii fugere vellent, rostrum suum evellere ex nave macedonica conantes, non ut antea versus proram, sed versus puppim remigabant, navem abstracturi. Hoc ipsum Latini verbo nautico appellant *inhibere remis*, vel *remos* ut Just. II, 12, 7, et unus Cod. hoc Curtii loco: Græci πρύμναν κρούσασθαι. Qua remigatione veteres etiam utebantur, si ex acie sensim recedere vellent, navibus non conversis, et ne aperte fugere viderentur, et ne terga hostibus dantes facilius vulnerarentur. Classicus est Ciceronis locus, Ep. ad Att. XIII, 21: «*inhibere* illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum: quamquam id quidem sciebam, sed arbitrabar, sustineri remos, quum inhibere essent remiges jussi.... Non enim sustinent, sed alio modo remigant. Id remotissimum est ab ἐποχῇ. Inhibitio autem remigum motum habet et vehementiorem quidem, remigationis navem convertentis ad puppim. » Liv. XXVI, 39, de eadem re dixit: « retro inhibere navem. » — *Naves autem omnes*, etc. Eamdem rem et Arrian. II, 22, retulit: ταῖς δὲ πλείοσιν ἐμβαλοῦσαι αἱ ξὺν Ἀλεξάνδρῳ, τὰς μὲν αὐτῶν ἄπλους ἐποίησαν, πεντήρης δέ τις καὶ τετρήρεις αὐτῶν ἐπ' αὐτῷ τῷ στόματι τοῦ λιμένος ἐλήφθησαν.

10. *Biduo*. Si Arr., II, 23, fides, Tyrus capta non est biduo post hoc prælium sed tertio die postquam primum muros late quassatus, et aliqua ejus pars etiam diruta erat, ut pontes e navibus

et machinas pariter admovere, ut undique territis instaret; ipse in altissimam turrem ascendit, ingenti animo, periculo majore, quippe regio insigni et armis 11
fulgentibus conspicuus, unus præcipue telis petebatur, et digna prorsus spectaculo edidit : multos e muris propugnantes hasta transfixit; quosdam etiam cominus gladio clypeoque impulsos præcipitavit : quippe turris ex qua dimicabat muris hostium propemodum cohærebat. Jamque crebris arietibus saxorum compage 12
laxata, munimenta defecerant; et classis intraverat portum, et quidam Macedonum in turres hostium desertas evaserant : quum Tyrii, tot simul malis victi, alii supplices in templa confugiunt, alii foribus ædium obseratis occupant liberum mortis arbitrium : nonnulli ruunt in hostem, haud inulti tamen perituri;

injici possent. Factum hoc est pluribus diebus post prælium navale. — *Ut undique*. Sic malui cum quinque Codd. pro *ut utrimque*. Sic etiam Arrian. II, 23, 5: *ὡς πανταχόθεν βαλλομένους τοὺς Τυρίους ἐν τῷ δεινῷ ἀμφιβόλους γίγνεσθαι*. Mox blanditur Aeidalii conjectura, legentis : *ingenti periculo, animo majore*.

11. *Quippe turris*, etc. Similiter Diodor. c. 46 qui, ponte ex turri lignea in murum conjecto, Alexandrum solum ex turri in murum transcendisse auctor est. Aliter Arrian. II, 23. Ex duabus navibus in muri partem aliquam, machinis jam dirutam, pontes injiciebantur, per quos primus Admetus cum scutatis suis in murum transgressus interficiebatur. Sequebatur Alexander cum amicorum manu, qui ipse fortiter pugnans, atque aliorum, præclare rem gerentium, spectator, murum ea parte primum captum tenuit, atque occupatis turribus quibusdam ad urbem descendebat.

12. *Saxorum compage laxata*. Hoc est, muris quassatis dirutisque, munimenta defecerant Tyrios. Alexandri ipsius impetus in muros Ægyptum spectantes factus est. — *Portum*. Præferrem *portus*; nam Phœnices ceperant portum Ægypto, Cyprii Sidoni obversum. Arrian. II, 24. — *In turres hostium desertas*. Scilicet eo loco, quo Alexander murum ceperat. — *Occupant liberum mortis arbitrium*. Tempus et occasionem capiunt, ea ratione, qua præferunt sua ipsorum manu perire, antequam ab hostibus interficiantur. Quis credat illum Gualterum, poetam, qui Curtium carminibus transtulit, nihil, in tam grandi lugubrique calamitate, efficacius ad movendos affectus invenisse quam has miseras putidasque antitheses! « Quidam, inquit, ...pro jure et legibus urbis Elegere mori, mortis genus illud honestum, Et labi sine labe fuit non cedere cædi, Cædereque et cædi, dum non cæduntur inulti. »

magna pars summa tectorum obtinebat, saxa, et quid-
quid manibus fors dederat, ingerentes subeuntibus.
13 Alexander, exceptis qui in templa confugerant, omnes
14 interfici, ignemque tectis injici jubet. His per præcones
pronunciatis, nemo tamen armatus opem a diis pe-
tere sustinuit: pueri virginesque templa compleve-
rant; viri in vestibulo suarum quisque ædium stabant,
15 parata sævientibus turba. Multis tamen saluti fuere
Sidonii, qui intra Macedonum præsidia erant. Hi urbem
quidem inter victores intraverant, sed cognationis cum
Tyriis memores, quippe utramque urbem Agenorem
condidisse credebant, multos Tyriorum etiam prote-
gentes, ad sua perduxere navigia: quibus occultatis,
Sidona devecti sunt; quindecim millia hoc furto sub-
16 ducta sævitiæ sunt, quantumque sanguinis fusum sit,
vel ex hoc existimari potest, quod intra munimenta
17 urbis sex millia armatorum trucidata sunt. Triste

13. *Ignemque tectis*, domibus, *injici*, ut qui e tectis, plsnis scilicet, saxa in subeontes ingerentes, deturbarentur.

14. *Sustinuit.* Ab snimo suo impetrare potuit.

15. *Qui intra Macedonum præsidia erant.* Præsidia vocari videntur ii Macedonum milites, qui forte custodiæ locorum causss in ipsa Tyro hic illic dispositi erant. Intra illa præsidia, intra ea loca, quæ s Macedonibus jam tenebantur, Sidonii, quotquot Tyriorum poterant, ad naves suas perduxerunt, quibus ipsi portus ceperant. — *Utramque urbem.* Sidonem et Palætyrum; nam de Tyro in insula condita prorsus falsum hoc esse, certissimum est. At Palætyrus quoque, si meliores sequimur auctores, antiqua quidem urbs fuit, sed multo junior Sidone (conf. Just. XVIII, 3), Sidonis colonia, ut utraque non haberet eumdem conditorem. — *Devecti sunt.* Scil. Sidonii cum Tyriis. Sed melius sine dubio est, quod Schefferus legi jubet, *a quibus occultati Sidona devecti sunt.* — *Quindecim millia.* Hoc neque in Arriano, neque in Diodoro scriptum, et numerus est ingens. Glareanus *quinque millia* putat rescribendum, quamquam et hoc nimium videri velit. Sed Codd. conjurant in *quindecim millia.*

16. *Sex mill. armatorum.* Supra septem, Diodorus. Arriano auctore in universum cæsa sunt Tyriorum circiter octo millia; sub hastam missa circiter 30,000: supra 13,000 Diodor., quia plurimi liberorum et uxorum Carthaginem translati fuissent; libertate donati Azemilcus rex, Carthaginiensium legati sacri et Tyriorum principes, qui omnes in templum Herculis confugerant. Alios non paucos abduxerant Si-

deinde spectaculum victoribus ira præbuit regis: duo
millia, in quibus occidendis defecerat rabies, crucibus
adfixi per ingens litoris spatium pependerunt. Cartha- 18
giniensium legatis pepercit; addita denunciatione belli,
quod præsentium rerum necessitas moraretur. Tyrus 19
septimo mense, quam oppugnari cœpta erat, capta
est; urbs et vetustate originis, et crebra fortunæ va-
rietate ad memoriam posteritatis insignis. Condita ab
Agenore, diu mare, non vicinum modo, sed quod-
cumque classes ejus adierunt, ditionis suæ fecit, et,
si famæ libet credere, hæc gens literas prima aut do-

donii; multi ante urbem captam Carthaginem devecti erant. Major igitur fuit hominum multitudo quam pro insula, quæ, Plinio teste V, 19, circuitu 22 stadia habebat, ut horæ spatio circumiri potuisset: 500 Macedones in universa obsidione perierant.

17. *Occidendis defecerat rabies.* Ita scripsi cum nostris Regg. Codd., et præeunte Modio. Sensus est, exhaustus militum fuerat furor, nec tantus supererat, ut interficerentur. Plurimi edd. *occidendi d. r.* scil. desierat cupido. — *Duo millia crucibus affixi.* Sic supra quoque in uno Cod. *sex millia armat. trucidati sunt.* Recte Popma: « Apud historicos et poetas frequens est generum inter se permutatio, cum duæ dissimiles voces in oratione collocantur, quarum posterior ad rem significatam refertur, et genere non respondet. » — *Crucibus affixi.* Tyrios (omnes, qui prælio superfuerant) ab Alexandro crucifixos prodit Justinus, 18, 3, *ob memoriam veteris cædis*, quod scilicet orti essent ex servis antiquorum Tyriorum, qui cæsis dominis rempublicam sibi attribuerant. Crux enim servile supplicium est. De hac re ob Arriani silentium dubito, et miror, cur Alexandrum crudeliorem fecerint, quam erat. De his omnibus disseruit *Sainte-Croix, Examen des Histor.*

19. *Septimo mense.* Consentit Diod. XVII, 46; Plut. Alex. c. 24. — *Capta est.* Sub finem Junii anni a. Chr. 332. Paululum modo dissentit P. Wessel. ad Diod. XIII, 103. Contra reliquorum omnium auctoritatem Just. XI, 20, Tyrum per proditionem, Polyænus, IV, 3, 4, per stratagema captam esse prodiderunt. Non audiendi sunt. — *Vetustate originis.* Vide supra ad IV, 1, 15, 2, 2, et 4, 15. Plurima eorum, quæ sequuntur, de Tyro tantum vetere vera sunt. Nam Tyrus insularis nec mari tantum valebat, quam prior, nec literas docuit, nec colonias dimisit. — *Mare non vicinum modo.* Navibus suis non solum omnia maris mediterranei litora adibant, accolis aromata Indiæ, thura et quæcumque ipsi sua arte fabricaverant, allaturi, sed longissime etiam veterum in Oceano ipso navigaverunt, ut vere ipsi vinculum essent, quo extrema Orientis et Occidentis quodammodo connecterentur. *Maria ditionis suæ facere* est quod Græci dicunt θαλασσοκρατεῖν. — *Hæc gens.* Ex mente Curtii Tyrii; ex alio-

20 cuit, aut didicit. Coloniæ certe ejus pæne orbe toto diffusæ sunt : Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum. Credo libero commeantes mari, sæpiusque adeundo cæteris incognitas terras, elegisse sedes juventuti qua tunc abundabant : seu quia crebris motibus terræ, nam hoc quoque traditur, cultores ejus fatigati, nova et externa domicilia armis sibi-
21 met quærere cogebantur. Multis ergo casibus defuncta, et post excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta refovente, sub tutela romanæ mansuetudinis acquiescit.

1 V. Iisdem ferme diebus Darii literæ adlatæ sunt,

rum Sidonii, sive in universum veteres Phœnices. De re ipsa nuperrime libri scripti sunt, ad quos relegare satis habeo. At non satis assequor, cur auctor dixerit : *aut docuit* (potissimum Græcos per Cadmum) *aut didicit.* Nam si prima literas docuit, prima etiam didicit, vel si ab indigena inventas opinaretur, quem *Taaut* vocare solent, vel si ab Ægyptiis, ut quidam voluere. Ex mea et eorum quos sequor sententia, Phœnices, necessitate quadam urgente, in commerciorum usum literas invenerant, sed paullatim, ut magnæ res inveniri solent. Ars scribendi unius hominis et ævi merito non stetit.

20. *Pæne toto orbe.* Dicit in tribus magnis orbis continentibus, Africa, Asia et Europa. In Asia præter Tripolim ex parte tertia aliam non memini; plurimæ erant in Hispania et Africa. In Mauretania ex. c. olim non pauciores CCC Tyriorum colonias fuisse traditum refert Strabo, pag. 826. Carthaginem a Didone conditam dicunt tribus sæculis post bellum trojanum; Thebas in Bœotia totidem sæculis ante illud bellum, a Cadmo, Agenoris filio, ævo tam antiquo, ut incertum sit, utrum tum exstiterit Tyrus, nec ne? Gades (*Cadix*) a multis inter antiquissimas Tyriorum colonias recensentur; si vero Justino, XLIV, 5, fides, junior erat Carthagine. — *Motibus terræ.* Strabo lib. XVI, p. 757 : « Tyriorum domos dicunt altiores fieri quam Romæ (multitudini quidem incolarum deficiente loco ad plures domos exstruendas); ideo etiam parum aliquando abfuit, quin tota urbs terræ motibus deleretur. »

21. *Nunc tamen.* Aliis *nunc tandem* legendum videtur; Heumanno *nunc tam.* — *Longa pace.* Si Curtius Tiberii tempore vixit, tum quidem Tyrum longam pacem habuisse, concedi potest. At sæculo post Alexandrum primo sæpius adhuc bellum et obsidiones experta est. — *Cuncta refovente.* Commercium indicum transierat ad Alexandrinos. Sub Romanis florebat maxime officinis purpurariis.

1. *Literæ.* Arrianus oblatum fuisse quicquid Hellesponto et Euphrate continetur, et non literis, sed per legatos Darium cum Alexandro egisse scribit. Secundum Plutarch. Alex. Alexander epistolam Darii redux ab Hammone

tandem ut regi scriptæ : petebat uti filiam suam, Sta-
tiræ erat nomen, nuptiis Alexander sibi adjungeret.
Dotem fore omnem regionem inter Hellespontum et
Halyn amnem sitam ; inde Orientem spectantibus ter-
ris contentum se fore. Si forte dubitaret, quod offer- 2
retur, accipere, nunquam diu eodem vestigio stare
fortunam, semperque homines, quantamcumque feli-
citatem habeant, invidiam tamen sentire majorem.
Vereri, ne se, avium modo, quas naturalis levitas age- 3
ret ad sidera, inani ac puerili mentis affectu efferret.
Nihil difficilius esse, quam in illa ætate tantam capere
fortunam. Multas se adhuc reliquias habere ; nec sem- 4
per in angustiis posse deprehendi : transeundum esse
Alexandro Euphraten, Tigrinque, et Araxen, et Hy-
daspen, magna munimenta regni sui : veniendum in

demum accepit. — *Tandem ut regi.* Vide lib. IV, 1, 7. — *Statiræ erat nomen.* Vide supra ad III, 3, 22. — *Regionem inter Hellespontum et Halyn.* Qua significantur omnia, quæ inter Halyn, Taurum, mare Ægæum et Pontum Euxinum sita sunt. — *Se fore.* Hæc duo verba omittuntur in nostris Regg. Codd.

2. *Invidiam tamen.* Solemnis est apud veteres sententia. Confer Herodotum in multis locis. Vell. Patercul. I, 9, 6 : « assidua imminentis fortunæ comes invidia, altissimisque adhæret. »

3. *Vereri, ne se.* Nostri et omnes fere alii Codd. *se ne*, quod si ita sese haberet, legendum fuisset *efferretur* pro *efferret*. Cod. Palat. quem memorat Scheffer. aliam prorsus sententiam habet, nempe : *v. se ne a. m. q. n. l. a. ob ea quæ possederat, inanibus et puerilibus linimentis se efferret:* quod interpretari nititur Scheffer. Vulgata mihi magis placet. — *In illa ætate.* Ætate juvenili, quæ imprudentius plerumque agit; et facile fortunam suam præcipitat. XXIII annos tum Alexander habebat.

4. *Multas reliquias.* Magnam imperii partem sibi superesse. — *In angustiis.* Sicut in Cilicia. Earum enim ope inprimis factum erat, ut ad Isson Darium superaret Alexander. Vide Curt. III, 7, 9. — *Et Araxen et Hydaspen.* Ferri potest, Euphraten et Tigrin munimenta regni vocari; transeundi erant Alexandro, quum Darium peteret. Araxes vero, qui vel est Armeniæ, quem Alexander numquam vidit, vel Persides (Aroses), quem vidit quidem, sed Asia jam expugnata, atque Hydaspes, qui ne intra fines quidem imperii Persici, sed in India erat, inter munimenta regni numerari nequeunt. Non male Cellarius *Choaspen*, qui est prope Susa, pro Hydaspe substituendum censuit. Nam plurimi Codd. atque edd. libro quoque V, cpp. 2, 9. *Hydaspen* exhibent pro *Choaspe*.

5 campos, ubi paucitate suorum erubescendum sit. Mediam, Hyrcaniam, Bactra, et Indos Oceani accolas quando aditurum? ne Sogdianos et Arachosios nominaret, cæterasque gentes ad Caucasum et Tanaim per-
6 tinentes. Senescendum fore tantum terrarum vel sine prælio obeunti. Se vero ad ipsum vocare desineret:
7 namque illius exitio esse venturum. Alexander iis qui literas attulerant respondit, Darium sibi aliena promittere: quod totum amiserit, velle partiri. Doti sibi dari Lydiam, Ioniam, Æolidem, Hellesponti oram, victoriæ suæ præmia; leges autem a victoribus dici, accipi a victis. In utro statu ambo essent, si solus

5. *Indos, Oceani accolas.* Vide ad III, 2, 9. *Arachosii* in extremis imperii persici finibus habitabant, a Bactrianis ad austrum. *Sogdiani* a Bactrianis septemtrionem versus. Gentium igitur sedes si plane novisset Curtius, num potuisset Bactrianis jungere Oceani accolas, nunc Sogdianis Arachosios? — *Ne... nominaret.* Has voces reponere ausus sum pro *vel... nomine tantum notos* quod ab omnibus editis ex Lugdunensi scriptura quam probat Modius, datum erat. Sed nota octo Codd., quibus assentiunt nost. Regg., nihil prorsus habere ex quo hæc verba *tantum notos* scripta suspicari possis. Nostri scribunt *nominem*. Quod si deleri necesse est, quia hoc modo parum cohærent media et postrema primis, cur tandem tertiam personam in loco primæ non adscribam? cur verba non rejiciam quæ in omnibus fere Codd. omittuntur, quibusque malus sane sensus inest? Nam, quia III, 2, 9, Curtius dixit *ignota ipsi gentium nomina*, non inde sequitur Darium ipsum dixisse posse has gentes nomine tantum notas fuisse, quod merito miratur Schmiederus. *Nominaret* ergo pro *nominem* scripsi, cætera ut in Codd. leguntur servavi. — *Caucasum et Tanaim.* Intellige *Paropamisum*, montem inter Bactrianos et Indos, cujus incolæ Paropamisadæ vocari solent; atque *Iaxartem* fluvium inter Sogdianos et Scythas. Fuit enim error hic ipsorum Macedonum, qui Alexandrum sequebantur (de quo vide Schmiederi Arr. Historiam indicam, p. 13, et Expedit. III, 30, 13), ut ista nomina transponerent. Nam verus Caucasus est inter pontum Euxinum et mare Caspium; verus Tanais (*Don*), is fluvius, qui Asiam ab Europa disterminat.

7. *Alexander iis.* In cæteris edd. *iis illis*, sed illa vox abest a Codd. nostris Regg. et abjicienda est. — *Sibi aliena.* Darium polliceri quæ jam ipsius non essent. — *Hellesponti oram.* Adde, si Mysiam sub ora Hellesponti comprehensam censes, Bithyniam, Paphlagoniam, Phrygiam, quæ sine dubio ad regionem inter Hellespontum et Halyn pertinent. Ad eamdem autem non pertinet *Cilicia* trans Taurum sita, cui noster satis oscitanter Lydiam junxit.

ignoraret, quamprimum Marte decerneret. Se quo- 8
que, quum transisset mare, non Ciliciam, aut Lydiam
(quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem), sed
Persepolim caput regni ejus, Bactra deinde, et Ecba-
tana, ultimique Orientis oram imperio suo destinasse.
Quacumque ille fugere potuisset, ipsum sequi posse:
desineret terrere fluminibus, quem sciret maria trans-
isse. Reges quidem invicem hæc scripserant. Sed Rho- 9
dii urbem suam portusque dedebant Alexandro. Ille
Ciliciam Socrati tradiderat, Philota regioni circa Ty-
rum jusso præsidere. Syriam quæ Cœle appellatur,
Andromacho Parmenio tradiderat, bello, quod super-
erat, interfuturus. Rex Hephæstione Phœnices oram 10
classe prætervehi jusso, ad urbem Gazan cum omnibus
copiis venit. Iisdem fere diebus solenne erat ludicrum 11
Isthmiorum, quod conventu totius Græciæ celebratur.

8. *Transisset.* Alii *transiret.* — *Et Ecbatana.* Propiora locis, ubi tum erat Alexander, *Ecbatana*, Mediæ caput erant; remotior *Persepolis*, Persidis et aliquamdiu totius regni caput; nam inde a Dario Hystaspis filio Persarum reges Susis sedem habere solebant; remotissima erant *Bactra* Bactrianæ; quibus juncta est *ultimi Orientis ora*, quod, Alexandro dicente, excusari potest. Hujus enim et Græcorum sui ævi communis opinio erat, oceanum orientalem ultra Indum Asiam a meridie septemtrionem versus circumire, atque orbem terrarum claudere. Non contemnenda tamen est lectio C. Theocr.: *ultimaque orientis imperio*, etc. — *Maria transisse.* Præter Hellespontum mare nullum transiverat Alexander; eum vero in Phœnicio navigare, tum quum scriberet, Darius nesciebat, sed per emphasim loquitur. Notandum est, Curtium et Justinum de literis ter missis ab utroque rege loqui, Arrianum et alios de bis missis; et, quod argumentum Curtius (IV, cap. 11) tertiarum epistolarum habet, idem fere exhiberi ab Arriano, II, 25, secundarum.

9. *Dedebant Alexandro.* Eo scilic. tempore, quo Tyrum obsidebat. Miserant etiam classem. Vide supra ad c. 8, 11. — *Ciliciam Socrati.* Aliter Arrianus, II, 12, qui Ciliciæ satrapam *Balacrum* vocat, Nicanoris filium. *Philotam* regioni circa Tyrum fuisse præsidem dubito: nam Arriano teste III, 26, 1, eum Alexandro fuit in Ægypto. De *Parmenione* vide supra ad IV, 1, 4, de *Andromacho* infra c. 8, 9. — *Bello.* Acutissima Modii emendatio. Legebatur in Codd. *ab illo quod supererat iter facturus.*

10. *Phœnices oram.* Hoc revocavi ex primis edd. pro *Phœnicis oram.*

11. *Ludicrum Isthmiorum*, etc. Ludi

In eo concilio, ut sunt Græcorum temporaria ingenia,
decernunt, ut quindecim legarentur ad regem, qui
ob res pro salute Græciæ ac libertate gestas, coronam
12 auream donum victoriæ ferrent. Iidem paulo ante in-
certæ famæ captaverant auram, ut, quocumque pen-
13 dentes animos tulisset fortuna, sequerentur. Ceterum,
non ipse modo rex obibat urbes, imperii jugum adhuc
recusantes; sed prætores quoque ipsius, egregii du-
ces, pleraque invaserant. Calas Paphlagoniam, Anti-

Isthmici ab Isthmo Corinthiaco, ubi habebantur, *sic* dicti, a Sisypho instituti atque, quum deinde *in* desuetudinem abiissent, a Theseo restaurati in Neptuni honorem, et prope ejus templum anni cujusque tertii initio fiebant. De illorum celebritate vid. inprimis Liv. XXXIII, 32. — *Temporaria ingenia*. *Temporarius* est temporibus aptus, et pro illorum mutatione varius et mutabilis. Sic Sen. Epist. 9, *temporarias amicitias* vocat temporibus accommodatas, cum iis manentes, et abeuntes. De Græcorum autem levitate consulatur Cicero pro Flacco c. 4. — *Ut quindecim*. Legebatur *duodecim legarentur*. Cum sex Codd. et Diodor. lib. XVII, 48, scripsit *ut quindecim* Schmiederus, cui adhæreo. — *Donum victoriæ*. Hoc est, præmium victoriæ, græce [illegible].

12. *Incertæ famæ captaverant auram*. Dubiæ adhuc famæ rumores aucupati fuerant, ut sortem sequerentur, quamcunque in partem incertos animi inclinasset. Poetice hoc dictum: auram Latini a vento leniori traducere solent ad quamvis rem, qua propellimur, ut agamus aliquid, aut consequamur. Sic Liv. XXVII, 26, habet « aura favoris popularis » de favore populi tamquam præsidio C. Terentio adspiranti ad summos honores. Id. III, 37, « libertatis captare auram » pro exspectare auxilium ad libertatem vindicandam. Ex Diodoro certum est, famam de Alexandri apud Issum victoria fuisse. Bene igitur Cellarius: « Græci, si Darius vicisset, deserturi erant partes Macedonum: his autem præter exspectationem felicibus gratulantes vere temporibus serviunt. » Curtius vero male et alieno hoc loco ista de Græcis inseruit. Non possunt non accidisse paullo post victoriam Issicam. Si vero supra dixit: *iisdem fere diebus*, accidisse videntur eo circiter tempore, quo Alexander ad urbem Gazam veniret, h. e. supra octo menses post id prælium, quum fama de victoria Issica diu esset certissima. Græcorum vero legatos Alexandrum in Ægypto convenisse, ab Hammone reducem, ut testatur Arrianus, propter maria infestata et itinerum ambages facilius concedo.

13. *Calas*. Phrygiæ ad Hellespontum præfectus, recepit Paphlagoniam, quæ forte defecerat; cf. III, 1, 22, et IV, 1, 34. *Antigonus* Phrygiæ magnæ satrapa recepit Lycaoniam, sitam inter Phrygiam et Ciliciam, sine dubio ab Alexandro ipso subactam, quum ex Phrygia in Ciliciam transiret, alienatam vero, ut videtur, a prætoribus Darii post pugnam Issicam; conf. IV, 1, 35. *Miletum*, a Pharnabazo recu-

gonus Lycaoniam : Balacrus, Idarne prætore Darii
superato, Miletum cepit : Amphoterus et Hegelochus, 14
centum sexaginta navium classe, insulas inter Achaiam
atque Asiam in ditionem Alexandri redegerunt. Tenedo 15
quoque recepta, Chium, incolis ultro vocantibus, sta-
tuerant occupare : sed Pharnabazus, Darii prætor,
comprehensis qui res ad Macedonas trahebant, rur-
sus Apollonidi et Athanagoræ, suarum partium viris,
urbem cum modico præsidio militum tradit. Præfecti 16
Alexandri in obsidione urbis perseverabant, non tam
suis viribus, quam ipsorum qui obsidebantur volun-
tate. Nec fefellit opinio; namque inter Apollonidem
et duces militum orta seditio irrumpendi in urbem oc-

peratam (confer ad IV, 1, 37), iterum Persis eripuit Balacrus, de quo et Idarne, præsidii forte Milesiorum præfecto, apud alios nihil invenitur : onde Cunzio suspicio movetur lectionem sanam non esse. Et quidem in nostris Regg. multisque aliis Codd. legebatur: *duas militum*, *duo millia militum*, aut alia quædam eodem sensu.

14. *Inter Achaiam atque Asiam.* Sic loquitur ex more Romanorum, quibus Græcia in provinciæ formam redacta *Achaia* vocabatur. Hunc errorem animadverterat *Ste-Croix*, *Exam. critique*, p. 172, similemque in Arr. II, 2, qui Ancyram urbem in Galatia fuisse scribit, quæ quidem provincia e Gallis, tertio post Christ. sæculo, eam invadentibus, sic vocata, Alexandri ætate Phrygia major appellabatur. Exadversum autem Achaiam, in Asia minori erat prima Romanorum provincia in Àsia, quam vel simpliciter Asiam, vel Asiam proconsularem dicebant. Insulæ inter Achaiam et Asiam sunt Cyclades, præcipue Andrus et Siphnus; confer supra IV, 1, 37.

15. *Tenedo quoque recepta.* Hoc loco, in libris antiquis corruptissimo, lectionem Gronovianam dedi, approbantibus *Tellier*, Cellario, Cunzio et Schmiedero pro illo, quod in nostris Codd. legitur : *Tenedon quoque receptaculum*, etc. Felicissima est conjectura. Tenedon, invitis incolis, ceperat Pharnabazus (Arrian. II, 2, 4); recepit Hegelochus (Arrian. III, 2, 4) : de Chio recepta Curtius copiosior est Arr. lib. III, 2. — *Rursus Apollonidi et Athanagoræ.* Rursus; nam prius jam præsidium in urbem introduxerant, vid. IV, 1, 37, et Arrian. II, 13, 6, quo teste, Pharnabazus, quum circa Siphnum esset, nuncio de pugna issica accepto, cum XII triremibus, et MD Græcis mercede conductis, ne quid novi molirentur Chii veritus, Chium reversus est, ibique mansit. *Apollonides* erat Chius, loco *Athanagoræ* habet Arrian. III, 2, 6, Phisinum et Megarenm quemdam.

16. *Et duces militum.* Orta dissensio inter Apollonidem Chium, cui simul cum Athanagora patriæ imperium tradiderat Pharnabazus, et duces præsidiariorum militum, qui nimirum

17 casionem dedit; quumque porta effracta cohors Macedonum intrasset, oppidani, olim consilio proditionis agitato, aggregant se Amphotero et Hegelocho, Persarumque præsidio cæso, Pharnabazus cum Apollonide
18 et Athanagora vincti traduntur; duodecim triremes cum suo milite ac remige; præter eas triginta inanes et piratici lembi, Græcorumque tria millia a Persis mercede conducta : his in supplementum copiarum suarum distributis, piratisque supplicio affectis, capti-
19 vos remiges adjecere classi suæ. Forte Aristonicus, Methymnæorum tyrannus, cum piraticis navibus, ignarus omnium, quæ ad Chium acta erant, prima vigilia ad portus claustra successit; interrogatusque a custodibus quis esset, Aristonicum ad Pharnabazum venire
20 respondit. Illi Pharnabazum quidem jam quiescere, et non posse tum adiri; ceterum patere socio atque hospiti portum, et postero die Pharnabazi copiam fore

præsidio præerant, ut Apollonides popularibus suis.

17. *Pharnabazus.* Adducti quidem deinde omnes captivi ad Alexandrum, sed Pharnabazus in Con insulam elam custodibus aufugit. Vid. Arrian. l. l.

18. *Triginta inanes.* Nempe sine milite et remige. Sic dedi cum nostris Codd. Vulgata *triginta naves* explicari poterat de navibus alterius generis, non triremibus. Cæterum supple ex superioribus verbum *traduntur.* Pal. 1, habet : *Pharnabazus cum Ap. et Ath. vincitur. Traduntur*, etc. Si deinde tria Græcorum millia capta dicuntur, hoc non est contra Arrianum. Apud Chios enim jam erat præsidium, quod Pharnab. aliis mille et quingentis auxit. — *Piratici lembi.* « Naves piraticæ, inquit Raderus, non unum habuere nomen et speciem : fuere lembi, lenunculi, celoces, myoparones, liburnicæ, πλοῖα λῃστρικὰ καὶ λῃστρίδες νῆες. Cæterum, lembus proprie navicula brevis piscatoria est, Marcello auctore; serviunt tamen apud Livium et Polybium belli quoque usibus. Cyrenenses invenere. Fulgentius lembos esse dicit naviculæ genus velocissimæ, quam δρομάδην dicimus. »

19. *Methymnæorum tyrannus. Tyranni*, in urbibus Persarum imperio subditis, sunt principes, quibus singulis ipsarum urbium perpetua imperia a magno rege data erant; tyrannorum intererat, ut regnum Persarum quam maxime confirmaretur. Sua enim dominatio in Persarum regno nitebatur. Si urbes græcæ a Persis deficerent, tum hi tyranni vel expellebantur, vel alias civibus suis pœnas dabant; conf. Nepotis Milt. 3. — *Ad portus claustra.* Hoc est, catenas ferreas in faucibus portus transverse connexas.

affirmant. Nec dubitavit Aristonicus primus intrare : 21
sequuti sunt ducem piratici lembi ; ac dum applicant
navigia crepidini portus, objicitur a vigilibus claustrum, et qui proximi excubabant, ab iisdem excitantur : nulloque ex his auso repugnare, omnibus catenæ injectæ sunt. Amphotero deinde Hegelochoque
traduntur. Hinc Macedones transiere Mitylenen, quam 22
Chares Atheniensis nuper occupatam, duorum millium Persarum præsidio tenebat : sed quum obsidionem tolerare non posset, urbe tradita, pactus ut incolumi abire liceret, Imbrum petit; deditis Macedones pepercerunt.

VI. Darius, desperata pace, quam per literas lega- 1
tosque impetrari posse crediderat, ad reparandas vires bellumque impigre renovandum intendit animum.
Duces ergo copiarum Babyloniam convenire; Bessum 2
quoque, Bactrianorum prætorem, quam maximo pos-
set exercitu coacto, descendere ad se jubet. Sunt autem 3
Bactriani inter illas gentes promptissimi, horridis inge-

21. *Ducem piratici lembi.* Heumannus mavult *decem pir. lembi.* Sed numero erant quinque. Vid. Arrian. — *Crepidini.* Scholiastes Juvenalis ad V, v. 8 : « Crepido est ora terræ quam aqua alluit, ex hoc appellata, quod ibi aqua allidens concrepitet. » Sic quoque vocatur murus qui portum circumdat, et inde, per translationem, puteorum, viarum, et rupium *crepidines* dicuntur. — *Omnibus catenæ injectæ sunt.* Apud Arrianum omnes a Macedonibus cæsi dicuntur. At hic de aliis piratis, quorum Curtius supra § 18, mentionem fecit, nihil habet.

22. *Mitylenen.* Lesbi urbem primariam, quam Memnon et Pharnabazus ceperant. Arrian. II, 1. Principio non Chares Atheniensis sed Lycomedes Rhodius præsidio urbis præfectus est, civibus Diogenes Mitylenæus. Lycomedi vero Charetem successisse ex Arriano quoque patet.

2. *Bactrianorum prætorem, quam...* Cunz. et *Tellier: Bactrianorum ducem, perquam ;* Freinshem. et *Schmieder : B ducem, quam*, sed quum ab omnibus Codd. absit *ducem*, nostrique regii scribant : *Bactrianor̃ p q* legere satius arbitratus sum, ut conjecit Gronovius : *Bactrianorum prætorem, quam.* — *Descendere ad se.* Mediterranea et sunt, et dicuntur altiora.

3. *Promptissimi.* Ad bellum. — *Horridis ingenus.* Ferocissimi. Strab. XI, 517, de illis ita : τὸ μὲν οὖν παλαιὸν οὐ πολὺ διέφερον τοῖς βίοις καὶ τοῖς ἤθεσι τῶν Νομάδων οἱ τε Σογδιανοὶ

niis, multumque a Persarum luxu abhorrentibus; siti haud procul Scytharum bellicosissima gente, et rapto
4 vivere assueti, semperque in armis errant. Sed Bessus suspecta perfidia, haud sane æquo animo in secundo se continens gradu, regem terrebat : nam quum regnum affectaret, proditio, qua sola id assequi poterat, time-
5 batur. Ceterum Alexander, quam regionem Darius petisset omni cura vestigans, tamen explorare non poterat, more quodam Persarum, arcana regum mira
6 celantium fide; non metus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta; vetus disciplina regum silentium vitæ periculo sanxerat; lingua gravius castigatur quam ullum probrum; nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit, quod homini facilli-
7 mum voluerit esse natura. Ob hanc caussam Alexander

καὶ οἱ Βακτριανοί. μικρὸν δὲ ὅμως ἡμερώτερα ἦν τὰ τῶν Βακτριανῶν. — *In armis errant.* Circumvagantur armati.

4. *Suspecta perfidia.* Casum hunc sextum cum *terrebat regem* connectendum esse, bene notat *Cunze.* Sententia est : terrebat regem perfidia, super qua suspectus habebatur. « Sed cur, quærit Glareanus, descendere jussus sit ad Darium suspectus proditionis? » « Quia, respondet Raderus, absens magis timebatur quam præsens, notandus et coercendus, si quid præsens moliretur : quod non poterat fieri in absente, rege tam occupato. » — *Haud sane æquo animo*, etc. Id est, non sufficiebat ei, quod Satrapa Bactrianæ proximos regi honores obtineret, sed primum gradum, regiam potestatem, affectabat.

5. *More quodam Persarum.* Idem Marcellinus, XXI, 26 : « Speculatores et transfugæ subinde venientes repugnantia prodebant : ideo futurorum incerti, quod apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos et fidos, apud quos silentii quoque colitur numen. »

6. *Vetus disciplina regum*, leges priscorum regum. — *Lingua*, garrulitas. — *Magnam rem.* Legitur in nostris regiis: *magnam rem magis*, sed illud *magis* ex glossemate *agi* pro *sustineri* in textum defluxisse arbitratus, optimo jure expunxit Gronovius, cui maxime omnium a Curtio debetur pro textu ad meliorem fidem restituto. Similem sententiam habet Valer. Maxim. II, 2, 1 : « Taciturnitas optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum est. » — *Facillimum.* Dissentiunt hic a Curtio, seu potius a Persis omnes ubique sapientes, qui nihil æque arduum ac difficile arbitrantur. Huc refer A. Gell. I, 9, « res omnium difficillimæ, tacere, audireque. » Jamblich. de vita Pythag. c. 31 : πάντων γὰρ χαλεπώτατον ἐστιν ἐγκρατευμάτων τὸ γλώττης κρατεῖν. Et egregium il-

omnium, quæ apud hostem gererentur, ignarus, urbem
Gazan obsidebat. Præerat ei Betis, eximiæ in regem
suum fidei; modicoque præsidio muros ingentis operis
tuebatur. Alexander, æstimato locorum situ, agi cuni- 8
culos jussit, facili ac levi humo acceptante occultum
opus; quippe multam arenam vicinum mare evomit,
nec saxa cotesque, quæ interpellent specus, obstabant.
Igitur ab ea parte, quam oppidani conspicere non pos- 9
sent, opus orsus; ut a sensu ejus averteret, turres
muris admoveri jubet. Sed eadem humus movendis
inutilis turribus, desidente sabulo, agilitatem rotarum
morabatur, et tabulata turrium perfringebat; multique
vulnerabantur impune, quum idem recipiendis, qui

lud Zenonis apud Plutarch. de Garrulit. 5, interrogantibus Persarum ipsorum legatis, quid de se renuntiari velit: « Senem a vobis conspectum Athenis, qui inter pocula servare silentium possit. » Ovid. tamen, Amor. II, 608: « Exigua est virtus præstare silentia rebus. »

7. *Betis*. Apud Josephum Ant. Jud. XI, 8, *Babemeses*; apud Arrian. II, 25, 8, *Batis* (ut etiam in variis lect. ad § 7) eunuchus. De modico præsidio vide ad § 30.

8. *Æstimato locorum situ*. Perspecta natura loci, in quo urbs sita erat. — *Agi cuniculos jussit*. H. e. fossas subterraneas, quibus sub murorum fundamenta actis, terra egerebatur. Quo facto, fundamentis in loca evacuata subsidentibus, murus superstructus proruebat. A cuniculis animalibus didicisse mortales terram effodere contendit Martial. XIII, 60: « Gaudet in effossis habitare cuniculus antris; Monstravit tacitas hostibus ille vias. » Hi cuniculi paullo post vocantur *specus*. — *Quippe multam arenam vicinum mare evomit*. Quod verum est, sed ad rem non pertinet. Nam mare viginti stadia, h. e. unius horæ iter ab urbe distabat. Verum quoque est, regionem circa urbem esse sabulosam; collis vero, in quo ipsa sita erat, arena esse non potuit. Qui homines umquam in sabulo muros exstruere, et cuniculos agere potuissent?

9. *Ut a sensu ejus averteret*, sc. ut prohiberet, quo minus sentirent oppidani cuniculos agi. — *Movendis*. Ita legunt nostri Codd. humus enim cedebat turrium molibus. At aliam caussam, cur turrium principio non esset usus, prodidit Arrianus, collis nempe altitudinem. Turres enim ex æquo admoveri non poterant. Sed Curtius negligentissimus urbem *in colle* sitam fuisse prorsus non meminit. Hinc maxime corrupta est obsidionis hujus descriptio. Crede Arriano. — *Tabulata turrium perfringebat*. Arena caussa erat, ut perfringerentur, mole puta subito alia atque alia parte subsidente. Voss. II, *perstringebat*. — *Quum idem recipiendis*, etc. quum æque difficulter removerentur ac admoverentur; nec milites propter continuum laborem

10 admovendis turribus labor eos fatigaret. Ergo, receptui
signo dato, postero die muros corona circumdari jussit:
ortoque sole, priusquam admoveret exercitum, opem
11 deum exposcens, sacrum patrio more faciebat. Forte
prætervolans corvus glebam, quam unguibus ferebat,
subito omisit; quæ, quum regis capiti incidisset, reso-
luta defluxit: ipsa autem avis in proxima turre conse-
dit. Illita erat turris bitumine ac sulphure: in qua alis
hærentibus, frustra se allevare conatus a circumstan-
12 tibus capitur. Digna res visa de qua vates consule-

satis se defendere possent. De illis ligneis turribus vid. quoque Lipsii Poliorcet. et Liv. lib. XXXI, c. 11.

10. *Muros corona circumdari.* Credidit corona militum, qua muris ne quassatis quidem Alexander nihil proficere poterat. Facem præfert Arrianus. Turres quum propter loci iniquitatem admoveri non possent, Alexander *molem circum urbem* strui jussit. Igitur agger ad eam maxime partem, quæ austrum spectabat, exstrui cœptus est. In quo quum admoverentur turres, accidit prodigium, quod in sqq. narratur. Quo vero uno loco quum Macedones nihil proficerent, *agger continuus* circa *totam urbem* factus est. Hoc sonat græce χῶμα χωννύναι ἐν κύκλῳ πάντοθεν τῆς πόλεως. Quibus verbis bis utitur Arrianus, primo loco, III, 26, 6, qui nostro maxime respondet; secundo, III, 27, 5, qui respondet § 21, hujus capitis. Curtius vero, scilicet urbem in colle sitam ignorans, secundo loco risum movet, quum *aggerem, qui mœnium altitudinem æquaret, exstructum* narrat; primo vero, quum idem opus immane bis factum non videretur, de eo, quod verum sit nec ne, parum sollicitus, quovis modo se expedire satis habuit. Itaque vertit: *muros corona circumdari;* idque, quia statim subjecit: *priusquam admoveret exercitum*, de corona militum intelligi voluit. His verbis Curtium, et nunc optimo jure reprehendit *Schmieder.* Vide de his omnibus notas quas Arriano suo adjecit *Chaussard, tom.* I, *pag.* 218, 223, et *Sainte-Croix*, hoc loco. — *Patrio more.* Arrian. II, 27, 8, ex vers. Vulcanii: « Inter hæc Alexandro, *corona capiti imposita*, sacrificante, quum ipse patrio more (κατὰ νόμον) *primum sacrificium auspicaturus esset* (κατάρχεσθαι μέλλοντι τοῦ πρώτου ἱερείου) avis quædam *ex eo genere, quæ carnibus assuescunt*, aram supervolans, *lapidem*, quem unguibus gerebat, in ejus caput demisit. » Plutarch. Alex. Vit. c. 25, hac re differt, quod glebam in regis humerum incidisse, avem vero in turris laqueis hæsisse, et captam dicit. Quod longe verisimilius est, quam turres, quas summa opera ab incendiis defendebant, nescio quem in usum, *bitumine ac sulphure illitas* fuisse; quod novum atque absurdum ipsius avis caussa Curtius invenit.

11. *Omisit.* Sic C. Theocr. vulgo *amisit.* — *Conatus.* Pro *conata*, sed Curtius in animo habuit *corvus*, quamvis præcederet *avis.*

12. *Consulerentur.* Sex Codd. *coa-*

rentur; et erat non intactus ea superstitione mentis. Ergo Aristander, cui maxima fides habebatur, urbis quidem excidium augurio illo portendi; ceterum, periculum esse, ne rex vulnus acciperet; itaque monuit, ne quid eo die inciperet. Ille, quamquam unam urbem 13
sibi, quo minus securus Ægyptum intraret, obstare ægre ferebat, tamen paruit vati, signumque receptui dedit. Hinc animus crevit obsessis, egressique porta recedentibus inferunt signa; cunctationem hostium fore suam occasionem rati. Sed acrius quam constan- 14
tius prælium inierunt : quippe ut Macedonum signa circumagi videre, repente sistunt gradum. Jamque ad regem præliantium clamor pervenerat, quum denunciati periculi haud sane memor, loricam tamen, quam

suleret. Nostri Regg. *consuleretur.* Deinde pro *intactus*, *intacta*; quod Freinshemius mutari vult in *intactæ*, sc. mentis. Commune est victoribus illis et terrarum domitoribus vitium, superstitio : multa sunt apud recentiores nomina, quæ Alexandri, Syllæ, aliorumque nominibus addere possim. — *Periculum esse.* Editi fere omnes *esse inquit.* Sed hanc posteriorem vocem, quum in nostris Regg. Codd. non legatur, delendam censui.

13. *Inferunt signa.* Quia pugnaturos signa præcedere solent, *inferre signa* dicuntur qui instructa acie in hostem eunt. — *Suam occasionem.* Sibi bonam pugnandi occasionem, ut locus explicatur in marg. Gryph. ed.

14. *Repente sistunt gradum.* Quid, quæso, aliud facere poterant? Resistentibus Macedonibus et ipsos gradum sistere oportebat. Pugnantes deinde, donec Alexander in castra receptus erat, vulnere æger, ovantesque victoria urbem repetentes, num minus constanter in prælio versati, quam acriter prælium iniisse credi possunt? Num bene dicitur *constanter inire prælium*, pro *constanter in prælio versari?* Bene Gazenses pugnasse, ex Arriano quoque palam est, qui Alexandrum auctor est suos retinuisse, ne *turpi fuga* ab aggere pellerentur. — *Denunciati periculi.* Sibi, propter periculum suorum, quos Gazenses ab aggere pellebant, ignem jam machinis inferentes. Arrianus nihil de perfido transfuga prodidit; paulisper dissidet a Curtio Hegesias apud Dionys. περὶ συνθέσ. ὀνομ. ἀνὴρ γὰρ τῶν πολεμίων, εἰς γόνατα συγκαμφθεὶς, ἔδοξε τοῦτ' Ἀλεξάνδρῳ τῆς ἱκετείας ἕνεκα πρᾶξαι. προσέμενος δ' ἐγγὺς μικρὸν ἐκνεύει τὸ ξίφος ἐνέγκαντος ὑπὸ τὰ πτερύγια τοῦ θώρακος, ὥστε γενέσθαι καὶ τὴν πληγὴν οὐ καιριωτάτην· ἀλλὰ τὸν μὲν αὐτὸς ἀπόλλυσι κατὰ κεφαλῆς τύπτων τῇ μαχαίρᾳ. Sed hunc Hegesiam ex hoc loco sæpius a Curtio translatum conjicere possis, nec sane in eo laudandus Curtius, quippe Hegesias, ut fabularum narrator et minime æsti

raro induebat, amicis orantibus, sumpsit; et ad prima
15 signa pervenit. Quo conspecto, Arabs quidam, Darii
miles, majus fortuna sua facinus ausus, clypeo gladium
tegens, quasi transfuga genibus regis advolvitur; ille
16 assurgere supplicem, recipique inter suos jussit. At
gladio barbarus strenue in dextram translato, cervicem
appetit regis, qui, exigua corporis declinatione evitato
ictu, in vanum manum barbari lapsam amputat gladio,
denunciato in illum diem periculo, ut arbitrabatur
17 ipse, defunctus. Sed, ut opinor, inevitabile est fatum;
quippe dum inter primores promptius dimicat, sagitta
ictus est, quam per loricam adactam, stantem in humero
18 medicus ejus Philippus evellit. Plurimus deinde sanguis
manare cœpit; omnibus territis, quia nunquam tam alte
penetrasse telum, lorica obstante, cognoverant; ipse,
ne oris quidem colore mutato, supprimi sanguinem,
19 et vulnus obligari jussit. Diu ante ipsa signa vel dissi-
mulato, vel victo dolore perstiterat; quum suppressus
paulo ante sanguis medicamento manare latius cœpit,
et vulnus, quod recens adhuc dolorem non moverat,
20 frigente sanguine intumuit. Linqui deinde animo, et
submitti genu cœpit; quem proximi exceptum in castra

mandus habetur. Vid. A. Gell. IX, 4, et *Sainte-Croix*, *Examen critique*, *pag.* 39.

15. *Majus fortuna sua.* Hoc est, majus quam pro milite gregario.

16. *Gladio.* Quem insigni tinctura et levitate habebat, Citieorum regis donum. Plutarch. c. 62.

17. *Inevitabile.* Eodem sensu Tacitus, Hist. I, 18, 1: « Quæ fato manent, quamvis significata, non vitantur. » — *Sagitta ictus est.* Catapultaria, et ideo tam alte penetrasse hic dicitur.

18. *In humero.* Idem Arrian. l. l. at Plut. orat. de fort. Alex. I, 2, in malleolo pedis, τῷ σφυρῷ, eum vulneratum fuisse scripsit. — *Ne oris.* Sic dedi cum plurimis pro *nec oris.*

19. *Recens.* Quum sanguinem calor nondum reliquisset.

20. *Linqui.* Deliquium animi pati. — *Submitti genu*, Rutgers. *subniti genu.* Vulgatam defendit Gronovium dictam, ut Suetonio, « dextrum genu lapide ictus. » Lucret. lib. I: « ... terram genibus submissa petebat. » Ovid. Metam. lib. IV: « ... flexumque genu submisit. » Difficulter regem ab isto vulnere curatum affirmat etiam Arrianus. Mox mavult Acidalius: *quum*

receperunt; et Betis interfectum ratus, urbem ovans victoria repetit. At Alexander nondum percurato vulnere, 21
aggerem, quo mœnium altitudinem æquaret, exstruxit; et pluribus cuniculis muros subrui jussit. Oppidani ad 22
pristinum fastigium mœnium novum exstruxere munimentum : sed ne id quidem turres aggeri impositas æquare poterat; itaque interiora quoque urbis infesta telis erant. Ultima pestis urbis fuit cuniculo subrutus 23
murus, per cujus ruinas hostis intravit. Ducebat ipse 24
rex antesignanos; et dum incautius subit, saxo crus ejus affligitur; innixus tamen telo, nondum prioris vulneris obducta cicatrice, inter primores dimicat: ira quoque accensus, quod duo in obsidione urbis ejus

plurimi; sed cur vulgatam mutaverit, quum codicibus nitatur, et sensus planus sit, non sane video.

21. *Aggerem, quo mœnium altitudinem æquaret, exstruxit.* In poliorceticis operibus *agger* erat terreus quidam et alia materia mixta mons et elevatio, quem paullatim adversus urbem producebant, ut ex alto pugnarent, et turres ibi ac tormenta constituerent. Sed jam cum Schmiedero dixi de loco hoc absurdo. Legit Curtius in Græco auctore, machinas, quod urbs in colle sita erat, admoveri non potuisse; itaque aggerem circum urbem structum, ὡς τοῖς τείχεσιν ἐξ ἴσου ἀπὸ τοῦ χωσθέντος ἐπάγεσθαι τὰς μηχανάς. Hoc est, *ut in aggere non inferiori* (quam collis, in quo muri) *machinæ adduci possent.* Arrian. II, 26, 6. At Curtius, collem ignorans, male locum sic vertit, ac si agger ita structus esset, ut *mœnium ipsorum altitudinem æquaret*, atque Gazenses contra in prioris muri fastigio alium exstruxerint, de quo ne verbum verum. Quid, quæso, opus fuisset cuniculis et turribus ad muros diruendos, si agger jam æquaret mœnium altitudinem, ut ex aggere in mœnia transiri posset? Agger ab Alexandro latitudine circiter duorum stadiorum, altitudine pedum CCL structus erat, ut sic fastigium collis æquaret. Arrian. II, 27, 5.

22. *Itaque interiora quoque urbis infesta* (sive *infestata*) *telis erant.* Quod inde putat Curtius, quia universæ turres in aggere, muri altitudinem æquante, positæ supra murum eminerent. Sed vereor, ne iterum Græcum auctorem male verterit, scribentem cum Arriano : ὡς... τοῖς τε βέλεσιν ἐπὶ πολὺ κατεῖχον οἱ Μακεδόνες, etc. Hoc est, ut Macedones longe lateque telis pertingerent, atque propugnatores ex turribus urbis repellerent.

23. *Per cujus ruinas.* Arriano teste per scalas murorum ruinis admotas urbs capta est. De secundo Alexandri vulnere reliquorum nemo scripsit, præter Plutarchum, sed loco corrupto in Orat. de fort. Alex. I, 2.

24. *Antesignanos.* « Antesignani, inquit Livius, prima acies, et qui positi ante signa, iisque propugnandis. »

25 acceperat vulnera. Betim, egregia edita pugna, multisque vulneribus confectum deseruerant sui : nec tamen segnius prælium capessebat, lubricis armis suo pariter atque hostium sanguine. Sed quum undique
26 [unus omnium telis peteretur, ad postremum, exhaustis viribus, vivus in potestatem hostium pervenit; quo, ad regem] adducto, insolenti gaudio juvenis elatus, alias virtutis etiam in hoste mirator, « non ut voluisti, inquit, morieris, Beti : sed quidquid in captivum inveniri potest,
27 passurum esse te cogita. » Ille non interrito modo, sed contumaci quoque vultu intuens regem, nullam
28 ad minas ejus reddit vocem. Tum Alexander : « videtisne obstinatum ad tacendum? inquit; num genu posuit? num supplicem vocem misit? Vincam tamen silentium, et si nihil aliud, certe gemitu interpellabo. »

26. *Sed quum undique* ***. Lacunam expievi Freinshemii supplemento. In Cod. Tb. legitur : *sed undique telis appetitur : insolenti elatus, gladio educto alias virtutis mirator Alexander, non ut*, etc. Nostri nihil lucis afferunt. — *Adducto*. Adductus fuit a Leonnato et Philota, si Hegesiæ fides est. Similia enim Curtianis vide Dion. Halic. ex Hegesia describentem in libro de structura orat. cap. 18, pag. 144 sqq. ed. Uptoni. Diod. Sic. c. 48, justo brevior est, nihil fere dicens, quam Gazam post bimestrem oppugnationem vi captam esse. Justinus Gazam omnem silentio præteriit. De Gazensium consuetudine vel maximis imperatoribus resistendi testatur Polyb. in Excerpt. de virt. et vit. p. 60, ed. Ern. t. III, p. 643, ed. Schweigh. — *Quicquid*. Editi plerique addunt *tormentorum*, sed abest a nostris Codd. et a multis aliis. Hanc ergo vocem, quam *Schmieder* uncis includendam censuerat, expunximus.

28. *Tacendum*. Hegesias tamen non modo non tacuisse, sed miserabili voce veniam petivisse scribit, additis et aliis multis, ob quæ merito deridet eum Dionysius περι συνθεσ. ὀνομ. Illæ, quæ sequuntur, interrogationes ad Virgilianum referri videntur, quamvis alio affectu indignatur Dido, IV, 370 : « Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit? Num lacrymas victus dedit? aut miseratus amantem est. » — *Et si nihil aliud*. Εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο, Hellenismus, Arr. Epict. I, cap. 2 : *εἰ μηδὲν ἄλλο μὴ αὐτὴν πωλήσεις*. Vide quoque Luc. in Somn. fine; et apud Latinos, Petronium, Sat. « et si nihil aliud, certe diutius junctos mare non feret. » Livium, II, 8, 49. 63, et III, 19, et alios quoque qui hoc Græcismo usi sunt. Necesse non est, ut cum Scheffero legamus : *et nisi hac* (voce), *illud* (silentium) *certe gemitu interpellabo*. Nec est, ut cum Heumanno scribamus : *interpellato*. Dicit Curtius : *certe gemitu tuo hoc*

Iram deinde vertit in rabiem, jam tum peregrinos ritus 29
nova subeunte fortuna: per talos enim spirantis lora
trajecta sunt, religatumque ad currum traxere circa
urbem equi; gloriante rege Achillem, a quo genus ipse
deduceret, imitatum se esse pœna in hostem capienda. 30
Cecidere Persarum Arabumque circa decem millia: nec
Macedonibus incruenta victoria fuit. Obsidio certe non
tam claritate urbis nobilitata est, quam geminato periculo regis, qui Ægyptum adire festinans, Amyntam

tuum silentium *interpellabo*. Quidam Codd. *interpolabo*; male.

29. *Iram*. Freinshemius et quidam alii scribunt: *ira* (primus casus) *vertit*, vertitur. Sed quum omnia, quæ de hac locutione prædicent, parum mihi probanda videantur, sequor nostros Regg. multosque alios Codd. et Schmiederum qui scribunt: *irum*. — *Nova fortuna*. Alexandro descendente ad peregrinos ritus ab inaudita sua fortuna seductus ac depravatus. — *Achillem, a quo genus ipse* (ex matre) *deduceret, imitatum se esse*. V. Homeri Iliad., II, 22, 378 sqq. ubi Achilles Hectorem loris per talos trajectis ad currum religatum non circa urbem sed ad naves traxisse narratur, v. 464: *ταχέες δέ μιν ἵπποι Ἕλκον ἀκηδέστως κοίλας ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν*. Tum, libro XXIV princ., Hectorem ter circa tumulum Patrocli raptabat Achilles. Circa urbem ter raptatum esse Hectorem tragici addiderunt, quos sequitur Virg. Æn. I, 483: « Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros. » Absque dubio Alexander, Homeri amantissimus, melius novit poetam suum, quam ut se sic Achillem imitatum gloriari potuisset. Nam, ut inquit *Linguet*, « la « lecture d'Homère serait bien dange« reuse, si elle inspirait souvent de pa« reilles idées aux hommes puissans. » Sed omnia hæc de puerili crudelitate regis indigna sunt Alexandro, ficta et mera fabula; quam nemo scriptorum probiorum tradidit. Huic Schmiederi sententiæ annuit quoque *Ste-Croix*, *Examen critique*, *pag*. 69, 1*re edit*. Et ita in nihilum recidunt ea, quibus in Alexandrum multi philosophi poetæve invecti sunt, inter quos referre satis sit nostrates *Montaigne*, *Essais*, *tom*. I, *pag*. 7 et sqq. et *Lemercier*, *poëme d'Alexandre*, *ch*. IV, *p*. 188, qui Alexandrum in somniis aspexisse fingit: « ... cet homme courageux, « Qu'aux portes de Gaza sa rage meur« trière Par les pieds à son char traina « dans la poussière. Inhumain! ah « rougis du transport furieux, Dont tu « reçus d'Achille un exemple odieux... » et sqq.

30. *Decem millia*. Hegesias sex millia trucidata scribit; idque magis accedit ad *modicum præsidium*, de quo Curtius supra § 7. Arriano teste, perierunt omnes Gazenses, exceptis uxoribus et liberis, in servitutem redactis. Ex finitimis vero novi incolæ in urbem deducebantur. Jam *Sainte-Croix*, *Examen* etc. p. 69 et 70, Strabonem refellit, qui Gazam dirutam atque desertam mansisse tradidit. — *Amyntam*. Andromenis fil. vide Arrian. III, 11, 16, et 16, 18.

cum decem triremibus in Macedoniam ad inquisitionem
31 novorum militum misit : namque præliis etiam secundis atterebantur copiæ; devictarumque gentium militi minor quam domestico fides habebatur.

1 VII. Ægyptii olim Persarum opibus infensi, quippe avare et superbe imperitatum sibi esse credebant, ad spem adventus ejus erexerant animos : utpote qui Amyntam quoque transfugam, et cum precario im-
2 perio venientem, læti recepissent. Igitur ingens multitudo Pelusium, qua intraturus videbatur, convenerat : atque ille, septimo die posteaquam a Gaza copias moverat, in regionem Ægypti, quam nunc *Castra*
3 *Alexandri* vocant, pervenit. Deinde, pedestribus copiis Pelusium petere jussis, ipse cum expedita delectorum manu Nilo amne vectus est : nec sustinuere

31. *Devictarum gentium*. Inter eas Judæos annumerat Raderus, et a Curtio omitti miratur quæ de Jaddo sacerdote, captisque Hierosolymis retulit Josephus. Qua vero de caussa omnia hæc præterierit Curtius, quæque fides Josepho adhibenda, si noscere volueris, adi Excursum II ad hujus libri calcem. — *Militi minor*. Minor fides habebatur militi Alexandro qui per vim armorum eos domuerat, quam Dario, qui domestico patrum suorum jure regnabat.

1. *Olim Persarum opibus*. Id est, jam pridem Persarum potentiæ. Nam multa nefarie Persæ in Ægyptiorum sacra commiserant, qui sæpius etiam rebellaverunt. Vid. Diod. Sic. XVII, 49. De Amynta vide IV, 1, 27. — *Cum precario imperio*. Quod ex arbitrio militum suorum pendebat.

2. *Videbatur*. Multi edd. *rex videbatur*; sed prior vox abest a plurimis Codd. — *Castra Alexandri*. Non confundenda cum eo loco, quem Ptolemæus vocat τὴν Ἀλεξάνδρου παρεμβολήν. Hic, monente Cellario, erat in Hammoniaca regione; illum fuisse necesse est non procul a Pelusio orientem versus, eo circiter loco, qui Straboni lib. XVI, dicitur ὁ Χαβρίου λεγόμενος χάραξ, Plinio *Chabriæ castra*. Alii de his Alexandri castris nihil habent.

3. *Pedestribus copiis Pelusium petere jussis*. Rectius Arrian. III, 1, sic : « Alexander statim intrat Pelusium, ubi classem suam jam appulsam invenit. Tum præsidium Pelusio imposuit (*εἰς Πηλούσιον φυλακὴν εἰσήγαγε*); reliquasque copias ita divisit, ut aliæ navibus impositæ flumine Memphin petere juberentur, cum reliquis ipse Heliopolin contenderet, Nilum a dextra habens, oppidaque, quotquot in itinere erant, deditione incolarum reciperet. » — *Nilo amne*. Eo tempore aut saltem paullo post accidisse credit Freinshemius quod narrat Lucanus, II, 272 : « Summus Alexander regum

adventum ejus Persæ, defectione quoque perterriti. Jamque haud procul Memphi erat, in cujus præsidio 4
Mazaces prætor Darii relictus, Orio amne superato, octingenta talenta Alexandro, omnemque regiam supellectilem tradidit. A Memphi eodem flumine vectus, 5
ad interiora Ægypti penetrat, compositisque rebus ita, ut nihil ex patrio Ægyptiorum more mutaret, adire

quos Memphis adorat, Invidit Nilo, misitque per ultima terræ Æthiopum lectos: illos rubicunda perusti Zona poli tenuit; Nilum videre calentem, etc.» scilicet origine, cujus pervestigandæ gratia missi fuerant, non reperta. Alexander enim summo studio inquisivit in caput ejus amnis, adeo ut Maximus Tyrius, pr. Serm. XXV, prodiderit «nihil consuluisse Hammonem, præterquam de Nili fontibus.» Certe ad Olympiadem matrem postea scripsit «existimare se fontes Nili ab se repertos fuisse,» teste Arriano VI, 1, 13.

4. *Memphi.* Celeberrima Ægypti urbe in ripa sinistra Nili sita. Alexander ibi ludos gymnicos et musicos habuit in deorum et Ægyptiorum et Græcorum honorem. Vid. Arrian. III, 4, 1. — *Orio amne superato.* Libri variant: alii *Oxio*, alii *Orio*, alii *Orion* vel *Oron* exhibent, nostri *Oron*. Scripsi cum Schmiedero, *Orio*. Si Curtius nomen amnis scripsit, non intellexit alveum Nili ipsius, sed canalem, forte eum, qui ex Nilo, antequam dividitur, derivatus, ortum versus præter Heroon urbem in sinum Arabicum ferebatur. Quum enim Alexander a Pelusio Heliopolin contenderet, Mazacæ, ex Memphi obviam eunti, præter Nilum iste quoque canalis transeundus erat. Qui utrum *Heroon amnis* (ex quo Curtii *Oron amnis* corruptum esset) dictus fuerit, mihi non constat. Si vero, ut in duobus editis, vox *Orio* omittitur, tum sub amne intelligendus est Nilus ipse, ad cujus lævam sita erat Memphis. Freinshemii conjectura *ostio amnis superato* novum errorem, quibus jam satis abundant, his libris obtruderet. Melior est Ortelii conjectura: *Ocius amne*, sc. Nilo, *superato*.

5. *Ad interiora Ægypti penetrat.* Nemo præter Curtium de expeditione a Memphi adverso flumine facta loquitur. Quin immo ipsum Curtium sibi contradicere ex lib. IV, 8, 3, videbis. Audias Arrianum, III, 1, 6: «Alexander sacris Apidi aliisque diis factis, ludisque editis, *ἐκ Μέμφιος κατέπλει κατὰ τὸν ποταμὸν, ὡς ἐπὶ θάλασσαν*, h. e. secundo flumine ad mare devectus est.» Legerem in nostro *ad inferiora*, si verbum *penetrare* æque in *inferiora* ac in *interiora* quadraret, et nisi Curtius § 9, veriora ipse narraret. — *Ex patrio more.* Quod de ritibus et quæ ad cultum civilem, religionem, cerimonias, etc. accipiendum, in quibus a cæteris gentibus remoti erant Ægyptii, non vero de imperii et reipublicæ administratione, ut accepit nostras *Huet*, *Traité du Commerce*, c. 48, § 9. Religionem enim Ægyptiorum tam sanctam inviolatamque habuit Alexander, ut in condenda Alexandria et Isidi Ægyptiæ templum sacraret. Vid. Arr. l. l. Statum vero imperii, constituta Alexandria, præpositisque pluribus præfectis Ægypto, plane mutavisse ex cap. se-

6 Jovis Hammonis oraculum statuit. Iter expeditis quoque et paucis vix tolerabile ingrediendum erat : terra cæloque aquarum penuria est ; steriles arenæ jacent, quas ubi vapor solis accendit, fervido solo exurente
7 vestigia, intolerabilis æstus exsistit; luctandumque est, non tantum cum ardore et siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo sabulo, quod præaltum, et vestigio
8 cedens, ægre molimtur pedes. Hæc Ægyptii vero majora jactabant. Sed ingens cupido animum stimulabat

quenti liquet. Capta est Ægyptus hieme annorum a. Chr. 331 et 332; Ol. 112, 1. — *Adire Jovis Hammonis oraculum.* Ordo rerum hic est : Ex Memphi devectus est Alexander Canopum usque ; inde circumvectus litora maris ad locum inter mare et lacum Mareotim pervenit, qui urbi condendæ maxime opportunus videbatur. Ibi posuit fundamenta Alexandriæ. Eodem, recuperatis insulis maris Ægæi, Pharnabasique classe dissoluta, ad regem cum classe pervenit Hegelochus. Tum Alexander, Hammonem aditurus, ad Parætonium usque secus mare proficiscebatur ; inde in mediterranea deflectens via periculosa ad Hammonem ibat. Unde utrum eadem, qua venerat, an rectiore via Memphin reversus sit, incertum est. Hæc ne singulis locis sæpius Curtii negligentiam accusare deberem, præmittere volui. Hammonis templum situm erat ea circiter regione, ubi nunc *Siwah* est, quo loco et rudera templi adhuc inventa credunt, eaque, quod magni momenti est, a Parætonio meridiem versus, ubi mercatorum via, nunc adhuc eadem, quæ fuerat olim, ex Africa occidentali in Ægyptum ducit ; cf. notam ad § 18. De natura locorum Alexandro permeandorum in universum omnes cujusvis ævi scriptores consentiunt. Confer. Arrian. III, 1, 9 ; Herodot. III, 32 ; Strab. lib. XVII ; Plin. V, 5 ; Mela, I, 4 ; Sol. cap. 27 ; Lucan. IX, 311 ; Senec. Nat. Quæst. II, 30, 2 ; Justin. I, 9, 4 ; Plut. Alex. 46, et alios.

6. *Iter.* Sive a Parætonio, sive a Memphi ad Hammonem. — *Terra cæloque.* Ea ex Sallustio qui in Jugurtha, cap. 17, 5, de Africa : « Cælo terraque penuria aquarum. » Lucanus quoque, IX, 32 : « Vadimus in campos steriles exustaque mundi, Qua nimius Titan, et raræ in fontibus undæ... » et sqq. — *Vestigia* plantas pedum.

7. *Tenacissimo sabulo.* Videntur mihi non bene convenire *tenax* et *vestigio cedens* nisi *tenax* capiatur, quod progredientes retineret et moraretur (ut habet singularia quædam etiam in aliis auctor), et ita sit quasi pertinax, ut cum eo conflictarentur maxime. Similiter Horat. Epod. II, 24, *gramen tenax* (quod incubantes amœnitate sua retinet), ut monuit Pitiscus. — *Moliuntur.* Quo pedes difficile se expediunt, ut pote præalto et sub plantis cedente.

8. *Vero majora.* Quod et Schmiedero videtur. Oraculum Hammonis a Græcis, præcipue Lacedæmoniis et Eleensibus, antiquitus consultum esse, et sæculo quinto ineunte adhuc exsti-

adeundi Jovem, quem generis sui auctorem, haud
contentus mortali fastigio, aut credebat esse, aut credi
volebat. Ergo cum iis quos ducere secum statuerat 9
secundo amne descendit ad Mareotim paludem; eo le-
gati Cyrenensium dona attulere, pacem, et ut adiret
urbes suas, petentes. Ille, donis acceptis, amicitiaque
conjuncta, destinata exsequi pergit. Ac primo quidem 10

tisse certum est, v. Synes. de insomniis p. 116, ed. Paris. Sub imperio Romanorum fama ejus paullatim decrevit. Ob veterem vero famam atque fidem, quin multi id frequentarent, dubitari nequit, nec difficultas ad Hammonem penetrandi tanta esse potuit, quantam describere solent. — *Generis sui auctorem.* Intellige locum, ac si scriptum esset *patrem suum.* Nam reges Macedoniæ genus suum ab Hercule, Jovis filio, ducere, vulgo et diu ante Alexandrum credebantur. Novum est hoc, Alexandrum se Hammonis ex Olympiada filium credi voluisse, de quo commento multi scripserunt, inter quos Arrianus quoque III, 3, 3; præcipue vero Plut. Alex. Vit. cap. 3 : « visum esse quondam draconem Olympiadi adjacentem; Philippum eam ob caussam Delphos misisse, atque ab Apolline responsum accepisse, quod juberet, Hammoni sacrificare, eumque maxime deum adorare. » Adde Just. XI, 11, et XII, 16. Quidquid dicant alii, Alexandro erat mens sana : videtur inter amicos derisisse vulgus hominum, val ob fortunam sine exemplo, val per famam ab assentatoribus proditam, dei filium sa credentium; publice vero non contradixisse, quo facilius, hac ipsa opinione jam fracto hostium animo, orbem terrarum subigeret. Cupidinem regis Hammonem adeundi alii inde quoqua natam referunt, quod ambitione et æmulatione quadam cum Perseo et Hercule, qui olim eumdem deum consuluerant, flagrasset : quod mihi maxime ex moribus Alexandri videtur. Nonne vero ista expeditio alieno tempore facta est, quum primo quoque Darius investigandus ac debellandus esset? Bella stant fama. Fortasse rumor de patre Hammone, isto itinere stabilitus, plus quam summa celeritas potuisset, ad victoriam attulit. Ea omnia ut sapientissime excogitata e Schmiedero transtuli. Vide quoque, in eodem sensu, *Naude, coups d'état*, p. 518, *in*-8°, 1673. — *Mortali fastigio*, patre Philippo rega quidem, sed mortali homine.

9. *Quos ducere secum statuerat.* Hoc est, cum scutatorum agmine, numero circiter 3,000, sagittariis, Agrianibus, atque equitum turma regia, Arrian. III, 1, 6 : in universum igitur cum quinque millibus peditum at trecentis equitum; confer notam ad Arr. Exped. I, 4. — *Eo legati Cyrenensium. Eo* hoc est, ad Mareotim. Longe verisimilius Diodor. XVII, 49, quum jam dimidium itineris confecisset, h. e. circa Parætonium, quum adhuc dubium esset, utrum Cyrenen an Hammonem petiturus esset. Inter dona Cyrenensium erant trecenti equi, ad bella condocefacti, et quinque quadrigæ de præstantissimis. Diod. XVII, 49; Arr. III, 1, 17.

10. *Primo et sequenti* (seu *sequente*)

et sequenti die tolerabilis labor visus : nondum tam
vastis nudisquē solitudinibus aditis; jam tamen sterili
11 et emoriente terra. Sed ut aperuere se campi alto obruti
sabulo, haud secus quam profundum æquor ingressi,
12 terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti
soli occurrebat vestigium; aqua etiam defecerat, quam
utribus cameli vexerant : et in arido solo ac fervido
13 sabulo nulla erat. Ad hæc sol omnia incenderat, siccaque
et adusta erat ora; quum repente, sive illud deorum
munus, sive casus fuit, obductæ cælo nubes condidere
solem : ingens æstu fatigatis, etiamsi aqua defi-
14 ceret, auxilium. Enimvero, ut largum quoque imbrem
excusserunt procellæ, pro se quisque excipere eum,
quidam ob sitim impotentes sui, ore quoque hianti
15 captare cœperunt. Quatriduum per vastas solitudines
absumptum est. Jamque haud procul oraculi sede ab-

die. Intelligo ex Arriano, quamdiu Parætonium versus iret, per solitudines quidem, sed aqua non prorsus carentes. Iter ab Alexandria ad Parætonium erat 1,600 stadiorum, teste Aristobulo apud Arrian. III, 3, 5. Inde ad Hammonem numerat Strabo 1,300 stadia. Igitur quod Diodor. XVII, 49, tradit, verisimilius est, Alexandrum in sola secunda parte itineris, a Parætonio ad Hammonis templum, ad minimum novem dies consumpsisse, quam quod Curtius, in universum iter a Mareoti ad templum sex circiter sive septem dies, quot ex § 10 et 15 computantur, consumptos esse. Si enim 1,300 stadia æquant 32 et dim. mill. geogr., Alexander ex Diodori mente singulis fere diebus quatuor mill. geogr. confecisset, quod ipsum in arena multum est.

11. *Terram oculis requirebant.* Tam vasta solitudo fuit, et in immensum unda, ut arenis itinerum vestigia delentibus, siderum aspectu regenda via esset, non aliter quam iis qui altum mare ingressi sunt.

12. *Vexerant.* Edd. plerique *devexerant.* Sed nostri Codd. et sex alii *vexerant.*

13. *Erat ora.* Nostri Regg. Codd. *erant ora*, unde quidam edd. *erant omnia*, at non sane hanc vocem *omnia* tam inepte iterasset. Igitur pro *et adusta erant omnia*, non dubitavi cum Modio et Schmiedero scribere *et adusta erat ora.* Facillime ex *ora* factum est *ōia*, h. e. omnia. — *Sive deorum munus, sive casus fuit.* Hieme aiunt pluviam cælo demissam quam plurimam desertorum Africæ interioris arenam inagitabilem reddere; et hieme Alexander expeditionem susceperat; conf. etiam Arrian. III, 6, 1. Omnes auctores in eo consentiunt. Vid. Diod. et Plut. — *Etiamsi aqua deficeret.* Si etiam pluvia non esset demissa; defendebant enim ab sole.

erant; quum complures corvi agmini occurrunt, modico volatu prima signa antecedentes : et modo humi residebant, quum lentius agmen incederet; modo se pennis levabant, antecedentium iterque monstrantium ritu. Tandem ad sedem consecratam deo ventum 16
est. Incredibile dictu, inter vastas solitudines sita, undique ambientibus ramis, vix in densam umbram cadente sole, contecta est : multique fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt sylvas. Cæli quoque mira 17
temperies, verno tepori maxime similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit. Accolæ sedis sunt ab 18

15. *Complures corvi.* Natura arenæ hæc erat, ut a ventu modo hoc, modo alio loco in collium speciem cumulata non ullum certum viæ signum relinqueret. Quum igitur Alexandri quoque exercitus de via incertus vagaretur, Aristobulo auctore (ap. Arrian. III, 3, 11), duo corvi, Ptolemæo, duo dracones viam monstrarunt. De corvis consentiunt plurimi, Callisthenes apud Strabonem; Diodor. c. 49; Plut. Alex. Vit. c. 27. Res ipsa non adeo miranda est; solent aves volatu nantis quoque proximam terram designare. — *Modico volatu*, etc. Plut. l. l. e Callisthene refert τὸ θαυμασιώτατον fuisse, quod corvi isti crocitu suo, si qui noctu aberrassent, revocaverint, atque in viam rectam reduxerint.

16. *Vix in densam umbram.* Solis radiis vix inter densas umbras penetrantibus.

17. *Verno tepori.* Editi plerique: *verno tempori*, sed nostri Regg. Codd. *tepori* quod prætuli, licet in Diodoro habeatur : ταῖς ἐαριναῖς ὥραις. Ceterum notandum est hieme Alexandrum apud Hammonios fuisse.

18. *Accolæ sedis sunt ab oriente proximi Æthiopum*, etc. Hic totam Schmiederi notam, ut sese habet, adscribam. « Permulta ad hunc locum scripserunt editores, ex quibus, additis quæ addenda videbantur, hæc excerpsi : Certo certius est, ad occasum ab Ægypto secundum maris mediterranei littus primum occurrisse nomon libycum; tum Marmaricam e regione Cretæ; inde Cyrenaicam Pentapolin usque ad sinum syrticum. Sed singularum regionum harum nomine interdum veteres, quidquid terrarum inter Ægyptum et Syrtin majorem intercipitur, vocarunt. Inde factum est, ut Hammonis templum alii in Cyrenaica, alii in Marmarica, alii in nomo libyco collocarent. Deinde certum est, templum paucorum dierum itinere a Parætonio meridiem versus situm fuisse; atque parum interest, utrum ad nomon libycum, an Marmaricam referatur. Locus omnis XL vel L stadiorum latitudine et longitudine erat (Arrian. III, 4; Diodor. XVII, 50), ipse quidem frugiferis arboribus obsitus, sed undequaque sterili arena cinctus. Denique certum est, quæ ultra id templum essent, incognita fuisse. Vocabantur Lybia; poterant etiam

oriente proximi Æthiopum : in meridiem versus Arabes spectant; Troglodytis cognomen est : quorum regio
19 usque ad rubrum mare excurrit; at qua vergit ad oc-

Æthiopia vocari. Vix igitur de accolis Hammonis sermo esse potest. Sed si quid dicendum videtur, rectius Diod. XVII, 50, sic scripsit : « Circumhabitant ad meridiem et occasum Hammonis Æthiopes; ad septemtrionem gens quædam Libyum, quæ Nomadum more vivit, et Nasamonum qui vocantur gens, cujus sedes (a septemtrione Hammoniorum incipientes) ad interiora, sive mediterranea Libyæ extenduntur. » Hæc vel ipsa, vel simillima ex eodem forte scriptore, quem Diodorus sequebatur, descripturus erat Curtius. Sed quam tradidit corrupte! Quia nihil additum erat de accolis ab oriente, fortasse quod istæ regiones ad nomon libycum pertinere censebantur, hunc errorem Curtius scilicet emendaturus, Æthiopes ad meridiem et occasum locandos ita disjunxit, ut eos ad orientem et occidentem Hammonis poneret; locum vero in medio vacuum Arabibus Troglodytis, quos (sed longe remotis locis) Æthiopibus vicinos esse audiverat, repleret. Vix recte dicuntur Æthiopes ab oriente Hammoniis proximi fuisse; erat ibi nomos libycus late sumptus; erat antiquis temporibus gens Adyrmachidarum. Sed si quis Hammonis ab oriente accolas Æthiopes vocare, et ignotas quasdam Libyæ gentes intelligere velit, non multum pugnabo. Certissime falsum est, *Arabes Troglodytas* meridiem versus ab Hammone sedes habuisse. Omnes populi, qui in antris habitant, vocabantur Troglodytæ, præcipue vero et proprie, qui littora Nubiæ et Abyssiniæ juxta sinum Arabicum incolebant. Qui quantum quæso distabant ab Hammoniis? desertis, Ægypto, et Æthiopia ea quæ ad austrum ab Ægypto est, ingentibus terris, interjectis? Scilicet legit Curtius alicubi, quod etiam Plinius, lib. II, 103 narrat, fontem solis esse in Troglodytis, atque hos Troglodytas credidit esse Arabicos. Ad occidentem alios fuisse Æthiopes non dubitatur; at de nomine *Scenitarum* sub judice lis est. *Æthiopum* quosdam *Scenitas* esse, h. e. in tentoriis degere, antiqui juxta et recentiores produnt. Sed propius ad scripturæ Codicum (*Simnos*, *Symnos*, *Symnnos*) vestigia accedit, quod legit *Tellier*, *Simos*, qui colonia quædam fuerunt Æthiopum, et ipsi Nomades, adeoque Scenitæ, ut ex Agatharchide discimus apud Photium 250, c. 26. *Nasamones* denique a Curtio, Diodoro et Ptolemæo septemtrionem versus ab Hammone collocantur; a plurimis reliquorum Syrtibus subjiciuntur, a Strabone Syrti et Cyrenaicæ simul. A Diodoro vocantur *τὸ πρὸς τὴν μεσόγειον ἀνῆκον ἔθνος* scil. ab Hammone. Fuerunt igitur Nasamonum sedes longe lateque extensæ, nempe ab septemtrione Hammonis circum Cyrenaicam et Syrtes. Erat alia quidem Nasamonum pars gens syrtica; illa vero minime, quæ a septemtrione Hammonis degebat. Caveant igitur juniores, ne, Curtii verbis in errorem perducti, Hammonis templum a meridie Syrtis situm putent, quod nec Curtio, nec Lucano, X, 38, ubi de *Hammone Syrtico* loquitur, credendum est. In reliquis de Hammoniis, de templo, fonte solis, etc. noster cum Diodoro, XVII, 50, auctorem communem sequitur. » Præter Cellarii Geogr. cf. Schliebthurst. Geogr. Africæ Hero-

cidentem, alii Æthiopes colunt, quos Scenitas vocant: a septemtrione Nasamones sunt, gens syrtica, navi-
giorum spoliis quæstuosa; quippe obsident litora, et 20
æstu destituta navigia notis sibi vadis occupant. Incolæ nemoris, quos *Hammonios* vocant, dispersis tuguriis habitant: medium nemus pro arce habent, triplici muro
circumdatum. Prima munitio tyrannorum veterum re- 21
giam clausit: in proxima conjuges eorum cum liberis et pellicibus habitant; hic quoque dei oraculum est: ultima munimenta satellitum armigerorumque sedes
erant. Est etiam aliud Hammonis nemus: in medio 22
habet fontem; aquam Solis vocant: sub lucis ortum tepida manat; medio die, quum vehementissimus est calor, frigida eadem fluit; inclinato in vesperam calescit; media nocte fervida exæstuat; quoque propius

dotea, pag. 150; Herodot. lib. IV, c. 182; *Ste-Croix*, *Examen critique*, p. 276; *Bougainville*, *sur le voyage d'Harnan*, *Académ. des Inscriptians*, tom. XXVIII, pag. 302 et sqq. et *Brown's Travels in Nubia and Abyssinia.*

19. *Quæstuosa*, quæ quæstum quærit. Eodem sensu a Cicerone passim usurpatur. Noster Reg. 5718 scribit *copiosa*, quod Scheffero ex glossa esse videtur pro *quæstuasa*. Cæterum hunc Curtii locum aperiunt nobis Lucani vers. IX, 438: « Hoc tam segne solum gratas non exerit herbas, Quas Nasamon, gens dura, legit, qui proxima ponto Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis Syrtis alit; nam littoreis populator arenis Imminet, et, nulla portus tangente carina, Novit opes: sic cum toto commercia mundo Naufragiis Nasamones habent. »

20. *Nemoris.* Nemus erat arborum fructiferarum. — *Dispersis tuguriis.* Diod. κωμηδὸν, h. e. vicatim.

21. *Prima munitio.* Quæ et intima, in ipso arcis ac nemoris velut umbilico inclusa. — *Tyrannorum.* Etiam Herodotus de rege Hammoniorum loquitur, lib. II, c. 32. Cæterum recepi cum Schmiedero Sebisii conjecturam, præeunte Cellario, *veterum*. Vulgo *veterem*. Sed Diodorus τῶν ἀρχαίων δυναστῶν βασίλεια.

22. *Quum vehementissimus.* Plurimi *cujus vehem.* — *Fervida exæstuat.* Hoc est, summum calorem habere videtur. Arrian. III, 4, 4: μέσων δὲ νυκτῶν (τὸ ὕδωρ) ἑαυτοῦ θερμότατον (ἐστι). Vid. quoque Lucret. VI, 848; Ovid. Metam. XV, 309: « ... Medio tua, corniger Hammon, Unda die gelida est, ortuque obituque calescit. » Sine dubio fontis ipsius temperies quovis diei momento fuit eadem, sed aeris diversa, ut si medio die sol africanus ureret, fons videretur frigidus, media nocte fervidus. Idem in nostris caveis puteisque sæpissime notatur.

nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit; donec sub ipsum diei ortum assueto tepore
23 languescat. Id quod pro deo colitur, non eamdem effigiem habet, quam vulgo diis artifices accommodaverunt : umbilico maxime similis est habitus, smaragdo
24 et gemmis coagmentatus. Hunc, quum responsum petitur, navigio aurato gestant sacerdotes; multis argenteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus : sequuntur matronæ virginesque patrio more inconditum

23. *Non eamdem effigiem.* Humanam, qua vulgo dii repræsentantur. — *Umbilico maxime similis.* Et hic locus fatigavit interpretes, sed non eget emendatione; eumque potius cum Schotto, Radero, et Schmied. sic interpretandum censeo: umbilico similis est *habitus*, seu forma, species, modus, facies ejus, quod pro deo colitur; lapidis, inquam, qui constat ex smaragdo et aliis gemmis, sed factus in modum umbilici. *Umbilicus* dictus est pro eminentiæ rotundæ figura, ut umbilicus in concharum genere, aut in corpore humano. Apud alios scriptores de hac Hammonis apud Hammonios effigie nihil inveni; apud Diodorum simpliciter vocatur : τὸ τοῦ θεοῦ ξόανον ἐκ σμαράγδων, καὶ τινων ἄλλων περιεχόμενον. Sed, ut Schotti verbis utar, « priscæ gentilitatis homines hac informi forma non raro deos suos indicasse potius, quam effigiasse, documenta sunt multa; » ex quibus quæ maxime huc faciunt, adscribo. De solis, sive Heliogabali figura Herodian. lib. V, 3, fere idem, quod Curtius de Hammonis : « Simulacrum deo est, quale nullum apud Græcos Romanosve in dei alicujus similitudinem manu factum est. Sed lapis est maximus, ab imo rotundus et sensim fastigiatus, propemodum ad coni formam, colore nigro, etc. » Veneris, quæ apud Paphios colebatur, signum, auctore Tacito, Hist. II, 3, non erat effigie humana, sed continuus orbis, latiore initio, tenuem in ambitum, metæ modo exsurgens : quæ species etiam in nummis exhibetur. De eadem fere idem Maxim. Tyrius, Serm. 38, nisi quod albæ pyramidi similem fuisse dicit. Idem quoque signum venerabantur Syri in pluribus templis. Umbilicus, qui in templo Delphico conservabatur, et lapides alius formæ ab Arabibus aliisque pro deo culti ad rem nostram non pertinent. Si igitur Hammon, quod putant, deus solis est, quid prohibet, eamdem similemve et Hammoni et Heliogabalo fuisse effigiem ? Minime saltem distantia locorum, si ab Ægyptiis primis deorum cultus emanasse creditur.

24. *Quum responsum petitur.* Hoc observandum ex Diodor. XVII, 50, Herodoto, Homero et aliis, multa oracula nutu dumtaxat esse data a diis paganorum, ut et hoc Hammonis. Adde Strabonem, XVII, p. 814, qui Hammonem οὐ διὰ λόγων, ἀλλὰ νεύμασι καὶ συμβόλοις τὸ πλέον responsa dedisse ex Callisthene refert. — *Navigio aurato.* Diodorus: « in navigio aureo circumfertur ab octoginta sacerdotibus. »

quoddam carmen canentes, quo propitiari Jovem cre-
dunt, ut certum edat oraculum. At tum quidem regem 25
propius adeuntem maximus natu e sacerdotibus filium
appellat; hoc nomen illi parentem Jovem reddere af-
firmans. Ille se vero ait, et accipere, et agnoscere,
humanæ sortis oblitus. Consuluit deinde, an totius 26
orbis imperium fatis sibi destinaret pater; vates, æque
in adulationem compositus, terrarum omnium recto-
rem fore ostendit. Post hæc institit quærere, an omnes 27
parentis sui interfectores pœnas dedissent? Sacerdos

25. *Propius adeuntem*. Strab. XVII, 814, secundum Callisthenem tradit, Alexandro soli a sacerdotibus fuisse concessum, ut consueto habitu intraret templum, cæteros mutasse vestes, atque foris audisse oraculi sortes. — *Filium appellat*. Eustath. in Dionys. Afri vers. 212, forte ex Plutarcho, c. 27 narrat, videri nonnullis errorem hunc antistitis fuisse, qui græcæ linguæ non satis peritus, quum Alexandrum blande παιδίον, *filiolum*, appellare vellet, sic dixit: παῖ Διός, *fili Jovis*. Quam tamen opinionem, vix sane probabilem, non sequutus est Curtius. Hanc tamen admisit nostras *Delille de Sales*, *Hist. des Hommes*, t. XXII, p. 247, et notat Alexandrum obliqua illa interpretandorum oraculorum ratione sæpius usum fuisse, et quum præsertim Pythiam adiit (cf. Supplem. I, 11, 16), hac addita sententia : « Il est affreux de penser qu'un « fou plein de génie troubla le monde, « parce qu'une Pythie se laissa placer, « malgré elle, sur un trépied, et qu'un « solécisme d'un prêtre africain, en « faisant l'apothéose de cet heureux « brigand, prépara le supplice de Cal- « listhènes. » Verisimilius Orosius ex Justino, XI, 11, ait subornatum ab Alexandro sacerdotem regi, quæ vellet, respondisse; sic et *Linguet*, *Hist. d'Alex.*, pag. 178 : « Il lui promit des « victoires, parce qu'il y aurait eu « peu de sureté à lui annoncer des « malheurs; il le reconnut pour fils « du Dieu, parce qu'il en fut bien « payé; il l'aurait adoré lui-même, si « Alexandre l'avait exigé. ».

26. *Æque in adulationem compositus*. Et hac in re ad blandiendum Alexandro subornatus. Noster 5718 omisit vocem *vates*.

27. *Philippi*. Sic ipse distinguit inter Philippum et patrem suum in epistola ad Athenienses apud Plutarchum, c. 50, « accepiatis Samum ab eo qui tum Dominus et pater meus nominabatur », Philippum indicans. — *Omnes interfectores*. Falso; nondum enim eo tempore pœnas dederat Alexander Lyncestes, quem in Philippi quoque cædem conjurasse cum Pausania pro comperto fuit; v. Curt. VII, 1, 6; adde VI, 11, 25. De his ipsis Alexandrum consuluisse Hammonem, plurimos memoriæ prodidisse auctor est Plutarch. 27. At subjecit : « Alexander in epistola ad matrem oracula quædam secreta sibi edita scripsit, quæ ipsi soli redux narrare vellet. » Arrianus quoque III, 4, 9 : « Alexander, ait, loci naturam admi-

28 parentem ejus negat ullius scelere posse violari: Philippi autem omnes interfectores luisse supplicia: adjecit, invictum fore, donec excederet ad deos. Sacrificio deinde facto, dona et sacerdotibus et deo data sunt; permissumque amicis, ut ipsi quoque consulerent Jovem. Nihil amplius quæsiverunt, quam, an auctor esset sibi divinis honoribus colendi suum regem? Hoc
29 quoque acceptum fore Jovi vates respondit. Vere et salubriter æstimanti fidem oraculi vana profecto responsa videri potuissent: sed fortuna, quos uni sibi credere coegit, magna ex parte avidos gloriæ magis quam capaces facit. Jovis igitur filium se non solum appellari passus est, sed etiam jussit: rerumque gestarum famam, dum augere vult tali appellatione,
31 corrumpit. Et Macedones, assueti quidem regio im-

ratus, oraculum quoque consuluit, auditisque, quæ, ut dicebat, grata erant, in Ægyptum rediit.» Arrianus sane, Ptolemæum et Aristobulum secutus, de quibus rex Hammonem consuluit, et de responsis certiora reliquisset, si propter silentium istorum Alexandri comitum licuisset. Nec illi, nec Alexander aliquid de istis oraculis prodidisse videntur. Tibine verisimile est, Alexandrum de talibus publice consuluisse, qualia non poterant non offendere atque alienare Macedonum animos? vel si secreta fuerint, num videtur ipse divulgasse?

28. *Nihil amplius quæsiverunt.* Sc. isti amici, quos, si res vera est, verius assentatores nominabis. Post *adjecit*, editi addunt: *ut ipsi victorem regem divino honore colerent*, sed hæc verba a nostris Regg. Codd. absunt, et non immerito ex glossa esse censentur: ea ergo prorsus e textu rejicienda censui.

29. *Æstimanti.* Communi hæc sententia dicuntur, sed ipsum Alexandrum respiciunt. — *Avidos gloriæ magis quam capaces facit.* Id est, fortuna, quibus arridet semper, tantum abest, ut eis satisfaciat, ut eos potius majore gloriæ impleat aviditate, illosque eo tandem adducat, ut, humanæ suæ conditionis obliti, omnem modum excedant. Ecce sententiam ex intima animi humani indole haustam!

30. *Sed etiam jussit.* Vide supra ad § 8. Non defuerunt, qui hoc, Dario debellato, factum narrarent; exempli caussa, præter Curt. VIII, 5, Ælian. V. H. II, 19, aliique. Defendit et excusat regem Plutarchus, 38, et in Or. de fort. Alex. Confuderunt etiam historici hoc de Hammone patre figmentum cum desiderio et mandato Alexandri, ut se, qui convenire vellent, Persarum more venerarentur προσκυνοῦντες. De quo multa Arrianus, et infra Curtius, quod ipsum Græcis et Macedonibus videbatur non hominis nato, sed diis convenire. — *Corrumpit.* Vere judicat Curtius, quasi

perio, sed majore libertatis umbra quam ceteræ gentes, immortalitatem affectantem contumacius, quam aut ipsis expediebat, aut regi, aversati sunt. Sed hæc suo 32
quæque tempori reserventur. Nunc cetera exsequi pergam.

VIII. Alexander ab Hammone rediens, ut ad Ma- 1
reotim paludem, haud procul insula Pharo sitam, venit, contemplatus loci naturam, primum in ipsa in-

diceret, opera Alexandri, si juxta humanæ virtutis modum existimes, grandia sunt et admirabilia; si quasi a deo profecta, ut ipse videri voluit, multum de claritudine sua perdunt. Luc. Dial. Mort. in dial. Alex. et Phil. *ἄλλως τε καὶ τὸ χρήσιμον, ὁ ἔφης, Ἀλέξανδρε, τὸ διὰ τοῦτο κρατεῖν ῥᾳδίως, πολύ σοι τῆς δόξης ἀφῃρεῖτο τῶν κατορθουμένων. Πᾶν γὰρ ἐδόκει ἐνδεὲς ὑπὸ θεοῦ γίνεσθαι δοκοῦν.* Multi Codd. *corrupit*, quod recepissem, si præcederet *voluit*, non *vult*.

31. *Suo quæque tempori.* Hoc est, hæc narrabo, si in historia mea ad ea tempora pervenero, quibus acciderint.

1. *Ut ad Mareotim.* Lectionem nostrorum optimorum et vetustissimorum Codd. sequor. Editi fere omnes scribunt, *ut a mari ad Mareotim.* Sed *a mari* omittitur in nostris, et recte quidem; nam Alexander, ab Hammone rediens, a terra, non *a mari* ad Mareotim venit. Videntur ista *a mari*, scribentis errore, ex primis literis sequentium nata. Quidam Codd. in primisque noster 5718 legunt, *rediens in Mareot.*, alii: *ut Mareot.* Si Arrianum sequeris, Alexander (conf. supra ad c. 7, 5) ex ostio canopico præter littora maris ad hunc locum circumvectus *a mari* venit; sed in hac historia Curtius ab Arriano discessit. Hic et Plutarchus rectius memoriæ prodiderunt, fundamenta urbis ab Alexandro, antequam ad Hammonem iret, posita esse. Nec urbi, quum redisset, curæ regis defuerunt. Tanta enim urbs uno die condi nequibat. Curtio vero, Justino, lib. XI, c. 11, et Diod. XVII, 52, auctoribus, Alexandriam condidit ab Hammone redux. Condi cœpta est Olympiad. 112, 1, hieme annorum 331 et 332 a. Chr. De lacu *Mareoti* sive *Maria*, nunc *Birket Mariut*, vid. Cellar. tom. II, p. 767. Insula *Pharus*, exadversum Alexandriam sita, posteris temporibus mole juncta est cum continente. — *Contemplatus loci naturam.* Tyriorum labores admiratione dignissimi, quibus sine sociis urbem defenderant, de auxiliis ex re navali atque divitiis ex commercio, præcipue indico, comparandis Alexandrum certiorem fecerant. Ægypto igitur subjecta, urbem non procul Nilo condidit duplici consilio, ut ex urbe nova eaque munita imperium Ægypti certius obtineret, et ut isto commercio potiretur. Urbi vero locum elegit tanta prudentia atque fortuna, ut brevi esset maxima omnium, quæ mercaturam exercebant, atque inter tot Ægypti tumultus per octodecim sæcula præcipua commercii indici sedes maneret. Hanc Schmiederi sententiam rectissimam arbitror, licet nostras *Chaussard*, *Trad. d'Arrien*, tom. I, p. 232 hoc futura præsagientis

2 sula statuerat urbem novam condere. Inde, ut apparuit magnæ sedis insulam haud capacem, elegit urbi locum, ubi nunc est Alexandria, appellationem trahens ex nomine auctoris. Complexus quidquid loci est inter paludem et mare, octoginta stadiorum muris ambitum destinat; et, qui exædificandæ urbi præessent, relictis,
3 Memphim petit. Cupido, haud injusta quidem, ceterum intempestiva, incesserat, non interiora modo Ægypti, sed etiam Æthiopiam invisere. Memnonis Tithonique celebrata regia cognoscendæ vetustatis

animi consilium Alexandro invideat: Schmiedero quoque assentiunt *Linguet*, *Hist. d'Alex.* p. 167, et *Dr. Vincent*, cujus Nearchi periplum ad hanc rem conferre non inutile erit, si præcipue notas lectitaveris, quas adjecit anglici geographi gallicus translator, *Billecorq*, *Éclaircissemens préliminaires*, p. 5 et sqq. Plutarchus solus auctor est, urbem in ipsa insula Pharo fuisse conditam, et hoc quidem monitu somnii cujusdam miri. Vid. Plut. Alex. c. 49.

2. *Quidquid loci* (sive *soli*, ut quidam) *est inter paludem et mare*. *Ταινία* vocatur a Plutarcho iste quasi isthmus inter lacum Mareotim et mare mediterraneum, quo vocabulo significatur agger ex arenæ colluvie natus. — *Octoginta stadiorum muris*. Quod intellige de urbe condenda; posteris enim temporibus ambitus multo major fuit. Et etiam apud antiquos in ambitu urbis definiendo auctores mirum in modum dissentiunt. Plin. Hist. nat. V, 10, circuitum Alexandriæ fuisse dicit XV mill. pass. seu CXX stadiorum. Diodor. XVII, plane a veritate aberrare videtur, si illam CCCC stadia longitudine complexam fuisse scribit. Strab. lib. XVII, longitudine habuisse XXX stadia, latitudine autem septem octove. Eodemque redit narratio Josephi Bell. Jud. II, 16. Cæterum hi omnes cum Plutarcho l. l. confirmant, urbem illam ad effigiem Macedonicæ chlamydis fuisse ædificatam. Confer omnino super hac re, nostrum excursum ad calcem hujusce libri, quo tres varios Alexandriæ status, nempe Macedonum, Arabum et Turcarum tempore e probatissimis auctoribus descripsimus. — *Qui exædificandæ* (sic quinque Codd. inter quos nostri, pro *ædificandæ*) *urbi præessent*. Præcipue Dinocrate et Cleomene: sed in his duobus nominibus scribendis magnam varietatem lectionum reperies. Confer Strab. XVII; Justin. XIII, 4, 1; Plin. IV, 10; Solin. c. 32; Vitruv. lib. II; Amm. Marcell. XXII, 40, et Valer. Maxim. I, 4, 1.

3. *Intempestiva* propter bellum nondum finitum. — *Æthiopiam*. A meridie Ægypti. — *Memnonis Tithonique celebrata regia*. Fuit regia Memnonis Abydi, antiquissimis temporibus maxima post Thebas urbe in Ægypto superiori, quam paucis descripsit Strab. lib. XVIII, p. 813. Curtius de alia ejusdem regia in Æthiopia loqui videretur, sicut etiam Solinus c. 40, nisi eam et dixisset *celebratam*, et omnino in his mythicis parum accurate

avidum trahebat pæne extra terminos solis. Sed immi- 4
nens bellum, cujus multo major supererat moles,
otiosæ peregrinationi tempora exemerat. Itaque Ægy-
pto præfecit Æschylum Rhodium et Peucestem Mace-
donem; quatuor millibus militum in præsidium re-
gionis ejus datis, claustra Nili fluminis Polemonem
tueri jubet : triginta ad hoc triremes datæ. Africæ 5
deinde, quæ Ægypto juncta est, præpositus Apollo-
nius : vectigalibus ejusdem [Africæ] Ægyptique Cleo-

inter Ægyptum superiorem et Æthiopiam distinctum esset. Apud poetas est Memnon Æthiopum rex, Tithoni ex Aurora filius. Hesiod. Theog. 984. — *Trahebat pæne extra terminos solis.* Traxisset pæne, nisi bellum imminens obstitisset, in terras remotissimas. *Extra terminos solis*, Cellario monente, ex populari loquendi consuetudine dixit; nam quæ longius meridiem versus erant, veteribus, ob ipsum solem intolerabilem, inhabitabilia videbantur. Virgil. Æneid. VI, v. 799 : « . . . jacet extra sidera tellus Extra anni solisque vias. » Termini autem solis sunt Tropici Cancri et Capricorni, ultra quos Æthiopes positi esse dicebantur. Lucan. III, 253.

4. *Itaque Ægypto præfecit.* Quam in his omnibus diligentior fuit Arrianus, III, 5, 3 sqq.! Alexander administrationem Ægypti, in rebus civilibus, puto, et iis, quæ ad religionem pertinebant, tradidit Ægyptio cuidam; urbes præcipuas, ex. e. Memphin et Pelusium, præsidiis sub præfectis Macedonicis firmavit, quorum inspectores erant *Æschylus* et Ephippus; alium præterea exercitum in Ægypto reliquit sub *Peucesta* et Balacro. *Polemon*, Theramenis fil. (ne confundatur cum Megaclis filio, Pelusii præfecto), præerat navibus relictis, atque, ut noster addit, *claustris Nili* (*les digues et canaux*), quorum cura in Ægypto et olim et adhuc est maximi momenti. Plurimum intererat, ut, si fluvius inundare cœpisset, justo tempore et aperirentur, ne aquæ inutiliter præterlaberentur, sed per fossas diductæ quam plurima inundarent, *et* clauderentur, ne aquæ alio loco abundarent, alio deficerent. Talia claustra in Ægypto, forte etiam in Babylonia, antiquitus fuisse, satis certum est; cf. *D'Anville*, *Mémoires sur l'Égypte ancienne et moderne.* Interpretes vero illa claustra de ostiis Nili intellexerunt.

5. *Africæ deinde, quæ Ægypto juncta est.* Hoc est, nomo libyco ad occasum ab Ægypto inferiori. — *Vectigalibus ejusdem Africæ Ægyptique.* Non ita, si audis Arrianum, sed Ἀραβίας τῆς πρὸς Ἡρώων πόλει. Heroum vero urbs et nomos Ægypto ab oriente adjacet. Videntur in Ægypto duo Cleomenes fuisse, quod Curtium in errorem perduxerit, alter inter conditores Alexandriæ, de quo vid. Arrian. VII, 23, 9, et Just. XIII, 4; alter vectigalibus ex Heroum nomo præfectus, quem Arrian. III, 5, 5 (ut ab altero distingueretur) ex urbe Naucrati oriundum dixit. Vocem *Africæ* secundo loco cum Rutgersio et

menes. Ex finitimis urbibus commigrare Alexandriam
jussis, novam urbem magna multitudine implevit.
6 Fama est, quum rex urbis futuræ muros polenta, ut
Macedonum mos est, destinasset, avium greges advo-
lasse, et polenta esse pastas; quumque id omen pro tristi
a plerisque esset acceptum, respondisse vates, magnam
illam urbem advenarum frequentiam culturam, mul-
7 tisque eam terris alimenta præbituram. Regem, quum
secundo amne deflueret, assequi cupiens Hector,

Schmiedern pro glossemate habeo. — *Ex finitimis urb.bus.* Freins. suspicatur: *rex finit. urbibus.* Quæ fuerint illæ urbes, non liquet. Canopus enim et aliæ, quæ posteris quoque temporibus circum Alexandriam floruerunt, intelligi nequeunt. Ex vicina regione et proximis oppidis partem aliquam incolarum Alexandriam transmigrasse verisimilius est.

6. *Urbis futuræ muros polenta.* Sic pro *urbis futuris muris polentam* ex conjectura Gronovii, quam ex parte Codd. juvant, et interpretes omnes laudant, scribere non dubitavi. Gronov. satis probavit, *destinare* idem esse, ac *designare. Polenta* est farina hordeacea, ex hordeo prius tosto facta; vid. Salm. in Sol. p. 231. Polenta utebantur Macedones, quod cretam, seu terram albam non habebant, qua ambitus urbium condendarum designare ex more fuit. Hoc Freinshemius ex pluribus scriptoribus, Marcellino nempe, Valerio Maximo, Strabone, Arriano, Plutarcho, in locis supra laudatis, quibus Stephanum in Ἀλεξάνδρεια addit *Schmieder*, ita probavit, ut Curtius, qui novum Macedonum morem invenit, risum moveat. — *Avium greges.* Alii stant pro Curtio; alii, inter quos Arrianus, ex ea sola re, quod polenta pro terra alba adhibita esset, vates futuram Alexandriæ opulentiam prædixisse, testati, de avibus nihil dixerunt. — *Frequentiam culturam*, conjiciebat non inepte Modius, *frequentia futuram;* quam lectionem, si uno tantum aut altero codice defenderetur, libentius acciperem, ut amphibologia, quæ oritur ex tot accusativis, aboleretur.

7. *Quum secundo amne deflueret.* Quando, non certo constat. Si ordinem rerum in Curtio respicis, accidit Hectoris mors, quum Alexander in Syriam rediret. At potest quoque accidisse, quum Alex. per lævum Nili alveum Canopum versus deflueret. Nam in Syriam, non per flumen vectus ad Pelusium, rediit, sed Nilo et fossis ejus pontibus junctis, itinere terrestri. Arrian. III, 6, 1. Egregia vero in his omnibus est incuria Curtii, nihil fere ad tempus suum referentis, omnia commiscentis. Alexander ex Canopi ostio circumvectus ad Mareotim Alexandriam condere cœpit (§ 1 et 2); ibi accidit omen de urbis opulentia futura (§ 6), ibidem ad Alexandrum perductus est Aristonicus, quem popularibus suis tradi jussit (§ 11); tum profectus est ad Hammonem (c. 7); inde, si Ptolemæum, qui post Alexandrum ipsius Ægypti rex fuit, sequi mavis, rectiore

Parmenionis filius, eximio ætatis flore, in paucis Alexandro carus, parvum navigium conscendit, pluribus, quam capere posset, impositis; itaque mersa navis omnes destituit: Hector, diu flumini obluctatus, 8
quum madens vestis et astricti crepidis pedes natare prohiberent, in ripam tamen semianimis evasit; et ut primum fatigatus spiritum laxavit, quem metus et periculum intenderant, nullo adjuvante (quippe in diversum evaserant alii) exanimatus est. Rex amissi ejus 9
desiderio vehementer afflictus est: repertumque corpus magnifico extulit funere. Oneravit hunc dolorem nuncius mortis Andromachi, quem præfecerat Syriæ:

per mediterranea via rediit Memphin (c. 8, 2), ubi, multis legationibus auditis, supplementoque e Macedonia accepto, dies festos celebravit (Arr. III, 5, 1, 2), Ægyptique administrationem instituit (Curt. c. 8, 4, 5). Tum, quum Syriam versus rediret, accidit forte Hectoris mors (8, 7, 8); in Syria pœnas dant Samaritæ (§ 9, 10). Tyrum denique redux, et Herculi Tyrio sacra facit (§ 16), et legatos Atheniensium aliorumque audit (§ 12-14), atque, Amphotero cum classe in Græciam misso (§ 15) aliisque rebus ordinatis, inde ad Euphraten contendit. — *Destituit.* Destituere est rem amatam deserere. Ovid. Fast. I, 368: « Flebat Aristæus, quod apes cum stirpe necatas Viderat inceptos destituisse favos. »

8. *Spiritum laxavit.* Sententia esse videtur Schmiedero: « Hector propter laborem et mortis metum *intenderat* spiritum, vehementius spiritum duxerat; ut primum igitur fatigatus in ripam evasit, *spiritum laxavit*, h. e. animo defecit, semianimis fuit, atque in illa λειποψυχίᾳ exanimatus est, quia nemo adjuvabat. » Sed eam interpretationem malucrim, quam dedit *Tellier:* « quum in ipso enatandi labore partim subitus pavor, partim admittendæ per os et nares aquæ periculum respirationis vias diu occlusas tenuisset, longo et vehementi conatu distenta respirandi organa, repente deinde laxata, solito munere fungi non potuerunt, præsertim quum nullus adesset, qui, ingesto in os cibo aut infuso liquore, exhaustos spiritus suppleret, ac semianimem refocillaret. »

9. *Nuncius mortis Andromachi.* Andromachus, cap. 5, 9, Cœlesyriæ præfectus dicitur, sub cujus imperio oportuit etiam Palæstinam fuisse, quod diserte dicit Euseb. n. 1685. Samaria enim et urbs, tunc quidem deserta, et regio erat inter Galilæam et Judæam media. Itaque Cedrenus, pag. 124, Andromachum laxa voce τῶν τόπων ἐπιμελητὴν (*locorum custodem* Euseb.) vocat. Caussa vero interficiendi præsidem sine dubio exactiones nimiæ et acerbius imperium fuit. Sed neque Arrianus, neque Diodorus hujus viri fœdæque ejus internecionis mentionem fecit. Mirandum tamen est altum Josephi de hac re silentium.

10 vivum Samaritæ cremaverant. Ad cujus interitum vindicandum, quanta maxima celeritate potuit, contendit; advenientique sunt traditi tanti sceleris auctores. An-
11 dromacho deinde Memnona substituit : affectis supplicio, qui prætorem interemerant. Tyrannos, inter eos Methymnæorum Aristonicum et Chrysolaum, popularibus suis tradidit : quos illi ob injurias tortos ne-
12 caverunt. Atheniensium deinde, Rhodiorum, et Chiorum legatos audit. Athenienses victoriam gratulabantur; et, ut captivi Græcorum suis restituerentur, orabant : Rhodii et Chii de præsidio querebantur; omnes
13 ea, quæ desiderare visi, impetraverunt. Mitylenis quoque, ob egregiam in partes suas fidem, et pecu-

11. *Memnona substituit.* Blancardus ex Arrian. II, 13, 9, emendat *Menona;* sed vid. supra ad Curt. IV, 1, 4. — *Chrysolaum.* Et hunc, ut videtur, tyrannum Lesbiorum. — *Quos illi ob injurias:* Editi omnes *quos illi e muris ob injurias tortos necaverunt.* Illud e *muris* omnes fere interpretes vexavit, sed quum a quatuor Codd. et a nostris inprimis regg. absit, expungendum censui. Quæ si nimia licentia est, et vulgatam salvam censes, vel cum Cellario conjunge e *muris necaverunt*, hoc est, e muris eos præcipitatos necaverunt, postquam ob injurias torti erant; vel junge : e *muris tortos*, ut poetice dictum pro : e muris præcipitatos, projectos, devolutos, quemadmodum Virg. Æn. VI, 551, dixit : « Tartareus Phlegethon torquet saxa. »

12. *Ut captivi Græcorum.* Si Arrianum audis, III, 6, 3, non Græcorum omnium, sed Atheniensium modo; cf. supra III, 1, 9. — *De præsidio.* Quod post Alexandri mortem Rhodii ejecerunt. Diodor. XVIII, 8. — *Ea quæ desiderare visi.* E suo Modius: *æqua desiderare visi :* quod probat Schmiederus bene quidem, propter *visi;* sed non admittit, quia Codd. conspirant in *ea quæ desiderare visi*, atque hæc ipsa lectio non est inepta; ego quoque Codd. auctoritatem sequi malui.

13. *Ob egregiam in partes suas fidem et pecuniam. Partes* macedonicas, contra Persas; conf. Arrian. ipso initio libri II, Mitylenæi præsidium macedonicum in urbe habebant; sed a Memnone Pharnabazoque terra marique diu obsessi, tandem coacti quidem, sed ita cum Persis paciscebantur, ut præsidium macedonicum incolume dimitteretur. Persæ deinde urbem ingressi a Mitylenæis pecuniam exigebant, partim vi eam locupletibus eripientes, partim ab incolis universis poscentes. In quibusdam Codd. et plerisque edd. legitur : *obsides reddidit*, sed vox *obsides* nihil ad rem, et a nostris optimisque aliis codicibus abest. Si tamen eam retinere vis, lege cum Freinshemio : *et obsides.* Nostræ quoque membranæ, simul et colonienses sigebergensesque legunt *finium*

niam, quam in bellum impenderant, reddidit, et ma-
gnam regionem finibus eorum adjecit. Cypriorum 14
quoque regibus, qui a Dario defecerant ad ipsum, et
oppugnanti Tyrum miserant classem, pro merito ho-
nos habitus est. Amphoterus deinde, classis præfectus, 15
ad liberandam Cretam missus (namque et Persarum
et Spartanorum armis pleraque ejus insulæ obsideban-
tur), ante omnia mare a piraticis classibus vindicare
jussus : quippe obnoxium prædonibus erat, in bellum
utroque rege converso. His compositis, Herculi Tyrio 16
ex auro crateram cum triginta pateris dicavit : immi-
nensque Dario iter ad Euphraten pronunciari jussit.

IX. Darius, quum ab Ægypto divertisse in Africam 1
hostem comperisset, dubitaverat, utrumne circa Me-
sopotamiam subsisteret, an interiora regni sui peteret:
haud dubie potentior auctor præsens futurus ultimis

pro *finibus eorum*, sed errore manifesto.

15. *Persarum et spartanorum*. Legitur in edd. et in ipso Cunzio *piratarum armis*. Germanam, ut arbitror, lectionem restituit *Schmieder*, qui hæc in notis addidit : pro *piratarum* in Codd. invenitur vel clare, *Sparthanorum*; vel quo modo sæpe hoc nomen in libris scriptis corrumpitur, *Parthanorum*, *Parthenorum*, *Parthorum*; unus modo corruptius adhuc habet *Pirathorum*. Justam igitur caussam, cur editores, a sqq. in errorem perducti, *piratarum* legerint pro *Spartanorum*, jam ex his non esse videas. Accedit, ipsum Curtium, IV, 1, 40, scripsisse : *Cretenses... nunc Spartanorum, nunc Macedonum præsidiis occupabantur*, ubi vide notam ad § 38 et 40. Præterea Arrianus quoque lib. III, 6, 4, Amphoterum contra Lacedæmonios iis Peloponnensium, qui a partibus Alexandri stabant, auxilio missum narrat. Quare eum secunda edit. Freinshemiana veriorem lectionem restituere non dubitavi. — *In bellum utroque rege converso*. Et Dario et Alexandro alibi occupatis, id suam occasionem prædones rati mare infestarunt mediterraneum, perinde ac quum Romani bello mithridatico impliciti essent.

16. *Herculi Tyrio*. De diebus festis certaminibusque, quæ Alexander ex Ægypto redux in Phœnicia celebravit, pluribus loquitur Plut. Alex. Vit. c. 29.

1. *Ab Ægypto in Africam*. Veteribus enim Ægyptus modo Asiæ, modo Africæ adjiciebatur. Fuerunt etiam, quibus Nilus esset terminus utrinsque continentis. — *Haud dubie potentior*. Sensus est : potentius incitaturus per se ipsum ad arma celeriter capienda remotas nationes, quas difficile movebat ope satraparum

gentibus impigre bellum capessendi, quas ægre per
2 præfectos suos moliebatur. Sed, ut idoneis auctoribus
fama vulgavit, Alexandrum cum omnibus copiis,
quamcumque ipse adisset regionem, petiturum: haud
ignarus, quam cum strenuo res esset, omnia longin-
quarum gentium auxilia Babyloniam contrahi jussit.
Bactriani, Scythæque, et Indi convenerant: nam et ce-
terarum gentium copiæ partibus simul affuerunt. Ce-
3 terum, quum dimidio ferme major esset exercitus,
quam in Cilicia fuerat, multis arma deerant, quæ
summa cura comparabantur. Equitibus equisque tegu-
menta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis:

2. *Idoneis auctoribus.* Immo in epistola ad Darium Alexander ipse, antequam Tyrum oppugnare cœpit, vel dum obsideret, scripserat: *ego contra te, quocumque loco fueris, proficiscar;* Arrian. II, 14, 18; Curt. IV, 5, 8. Igitur Dario non fuit caussa, cur in exercito comparando cunctaretur, donec Alexandrum in Africam divertisse audiret. Nec, si alium locum nostri (supra IV, 6 princ.) consideras, cunctatus est, sed, pace post acceptas literas desperata, statim duces copiarum *in Babyloniam convenire* jusserat. Sed Curtius illius loci, quum hunc scriberet, plane oblitus videtur. — *Babylonium. Tellier* scribit *Babylonem*, quod latino sermoni magis consentaneum videtur, sed quum in omnibus Codd. legatur *Babyloniam*, vulgatam servavi. — *Bactriani.* (De quibus supra IV, 6, 3) *Scythæque* (apud Arrian. *Sacæ;* sed Herodoto, quem reliqui sequuntur, auctore, omnes Scythæ a Persis Sacæ vocabantur, lib. VII, 64. Hi Scythæ vicini erant Bactrianorum et Sogdianorum) *et Indi convenerant.* Eos intellige nimirum, qui cis Indum in confiniis Bactrianæ, Paropamisadarum et Arachosiæ habitabant. Arriano teste (III, 8, 5) Scythæ, non quod Persis subditi essent, sed ex fœderis lege cum Dario juncti, cum Bactrianis venerant. Hæ gentes ob eam potissimum caussam, quod primo prælio non interfuerant, commemoratæ sunt. — *Nam et cæterarum gentium* (quarum nomina Curtius ideo non adscripsit, quod Darium jam ante in Ciliciam secutæ fuerant; Arrianus omnes recensuit lib. III, 8) *copiæ partibus* Darii *simul affuerant* cum illis. Has ultimas voces, quibus nullum idoneum sensum extorquere potest, ex glossemate in textum irrepsisse conjecit Cunzius. *Tellier* reponebat *jam* pro *nam*. Ego quidem, nisi Codd. omnes in hoc consentirent, τὸ *nam* prorsus e textu rejicerem. Quid enim sibi velit hæc particula, non sane video.

3. *Dimidio major.* Vid. infra c. 12, 13. — *Tegumenta.* Supra III, 11, 15. Hæ laminæ ab aliis scriptoribus squamæ vocantur. Teste Amm. Marc. XV, et Servio ad Virg. Æn. IX, 707, ejusmodi equites Cataphracti aut Clibanarti nuncupabantur, quorum me-

queis antea præter jacula nihil dederat, scuta gladiique adjiciebantur: equorumque domandi greges peditibus 4
distributi sunt, ut major pristino esset equitatus: ingensque, ut crediderat, terror hostium, ducentæ falcatæ quadrigæ, unicum illarum gentium auxilium, se-

minit Liv. XXXV, 48, et XXXVI, 40. Nemo tamen curatius clariusque eam armaturam descripsit, quam Heliodor. in Æthiop. IX. Diodoro XVII, 53, auctore, multo longiores hastæ et gladii, quam ante fuerant, distribuebantur.

4. *Falcatæ quadrigæ*, etc. Hanc descriptionem in sua nota tam docte explanavit *Schmieder*, ut nihil insuper addendum putem, et totam notam, ut se habet, transcribere satis habeam. Ille ergo, « Ut meam, inquit, hujus loci et emendationem et explanationem satis probem, plura disputare et alias aliarum quadrigarum falcatarum descriptiones cum Curtiana comparare opus est. — Hastas ex summo temone eminuisse, solus tradidit Curtius. *Utrimque*, pergit, *a jugo* (de quo supra ad III, 3, 6) *ternos direxerant gladios*. Gladii si terni fuerunt, unus forte æquatus jugo eminebat, alius terram spectabat, tertius inter priores medius erat. Omnium vero acies eo, quo currus vehebatur, conversa erat. Livius, XXXVII, 41: « in extremis jugis binæ circa eminebant falces; altera æquata jugo, altera inferior in terram devexa; illa, ut quidquid a latere objiceretur, abscinderet, hæc, ut prolapsos subeuntesque contingeret. » Diodorus, XVII, 53: « juxta utrumque funalem equum (nam ex quatuor equis, æquata fronte euntibus, duo medii dicebantur *jugales*, duo exteriores *funales*) ξύστρα jugo affixa trium spithamarum longitudine eminebant, τὴν ἐπιστροφὴν τῆς αἰχμῆς ἔχοντα πρὸς τὴν κατὰ πρόσωπον ἐπιφάνειαν, h. e. aciem conversam habentia in primores hostium, equorum fronti objectos. » Pro tribus igitur *gladiis* Curtii, Livius duas *falces* habet, Diodorus ξύστρα extremo jugo affixa. Τὰ ξύστρα sunt propria *radulæ*, instrumenta transversum porrecta, quibus terram verrebant et radebant. Ista igitur instrumenta bellica, τρισπίθαμα, extremis jugis affixa, eam ob caussam a Diodoro ξύστρα appellantur, quod ex iis gladii, sive falces eminebant, sicut ex radulis spicula eminent. Sequentia Curtii, ut nunc leguntur, me parum intelligere non diffiteor: *plura spicula eminebant in adversum*, h. e. eum locum versus, in quem currus vehebantur; at, poteruntne eminere *inter radios rotarum?* debuissent in radiis ipsis vel in modiolo affixa esse, ut rotæ possent circumagi. Tum vero, vel si ponis illa spicula ita flexa fuisse, ut, nondum promoto curru, in adversum eminere viderentur, quum rotæ circumagebantur, nec semper in adversum eminere poterant, sed per vices modo in adversum, modo in aversum; nec, quum orbem rotarum excedere non possent, multum utilitatis inde sperandum erat. Accedit, nec Diodorum, nec alium quemquam de spiculis in radiis aliquid prodidisse. Parum juvant variæ lectiones. Locus tamen restitui potest, sola voce *rotarum* ejecta, tamquam ex sqq. male

quutæ sunt. Ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant : utrimque a jugo ternos direxerant gladios, et inter radios [rotarum] plura spicula eminebant in

huc translata. Scribe ; *et inter gladios* (sic libri quidam scripti pro : *radios*) *plura spicula eminebant* ; h. e. inter jugi partes extremas, ex ipso jugo inter equos hostem versus prominebant. Liv. l. l. « Cuspides circa temonem, ab jugo decem cubita exstantes, velut cornua habebant *quadrigæ*, quibus, quidquid obviam daretur, transfigerent. » In reliquis de his spiculis nihil invenitur ; de iisdem vero Curtius infra c. 15, 4, intelligi potest, ubi de *hastis multum ultra temones eminentibus* loquitur ; nisi locum de hastis ex ipso temone eminentibus interpretari malis. — *Aliæ deinde falces summis* (plurimi Codd. *summissæ*) *rotarum orbibus hærebant*. Hoc ita intelligi potest, ac si in orbes, sive summas rotæ curvaturas ita, ut in transversum eminerent, quidquid in circumactione rotarum comprehenderent laniaturæ, immissæ fuissent. Alios etiam talia memoriæ prodidisse palam est ex Suida, qui v. δρεπανηφόρα τέθριππα in curribus, ait, falcatis Darii τῶν τροχῶν ἦσαν εἰς τὸν κύκλον (h. e. ἐν τῷ κύκλῳ) περικεχαλκευμένα δρέπανα. Rotarum hujus generis, quarum falces cum rota circumactæ ampliorem quam ipsæ rotæ circulum describere non debebant, non nisi in locis minime iniquis usus concedebatur. At si Diodorum evolveris, nihil videbis de rotarum orbibus, sed συνήρμοστο ταῖς τῶν ἀξόνων ἀρχαῖς δρέπανα, hoc est, Livii l. l. verbis : « utrimque ab extremis axibus rotarum binæ falces eodem modo diversæ, ut quæ in jugis erant, deligabantur. » Axes enim puta per rotas longius eminuisse. Xenophon claris verbis dixit, currus confectos esse ἄξοσι μακροῖς. Eminebat igitur ex axe eminente altera falx æquata axi, altera inferior in terram devexa. Annotavit Wesseling. ad Diod. hæc : « Memini solertia Jac. Perizonii rotam esse excusam, cujus *summis orbibus* falces hærerent, difficili tamen structura, et usu in curruum impetu non magno. Quanto concinnius falces hærebunt *summis rotarum axibus*, quibus in Cyri Dariique (ap. Xenoph. et Diod.) curribus affixæ erant? Equidem, quum Curtiani Codd. pro *orbibus* edant *opibus* aut *obibus*, assentior Schefferi conjecturæ, *axibus* refingentis. Ita Curtius consentiet Diodoro egregie. » Et ego ob consensum omnium, qui de his curribus scripserunt, Schefferi conjecturam probo, quamvis, Curtium male *orbibus* scripsisse, ex Suidæ loco suspicio sit. Pergit Curtius : *et aliæ in terram demissæ* vel *dimissæ*. Hæ non erant sub curru, sed in axis per rotas eminentis parte inferiori affixæ ; ita ut terram spectarent, quibus, qui hostium forte humum prostrati jacerent, lacerarentur. Sic enim clarissime Livius loco supra laudato et explicato. Sic Xenophon Cyrop. VI, 1, 30 : προσέθηκε δὲ καὶ δρέπανα σιδηρᾶ ὡς διπήχεια πρὸς τοὺς ἄξονας ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῶν τροχῶν, καὶ ἄλλα κάτω ὑπὸ τῷ ἄξονι εἰς γῆν βλέποντα, scil. ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῶν τροχῶν. Sic idem in Anabasi, I, 8, 10 : εἶχον δὲ τὰ δρέπανα ἐκ τῶν ἀξόνων εἰς πλάγιον ἀποτεταμένα, καὶ (ὑπὸ τοῖς δίφροις) εἰς γῆν βλέποντα, ὡς διακόπτειν ὅτῳ ἐντυγχάνοιεν. Verba ὑπὸ τοῖς δίφροις quæ intersepsi, ex glossa esse, vel ex

adversum: aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant, et aliæ in terram dimissæ, quidquid obvium concitatis equis fuisset, amputaturæ. Hoc modo in- 6
structo exercitu ac perarmato, Babylone copias movit.

altero ejusdem Xenophontis loco comparet. Cui tandem usui falces sub curru fuissent, super quos enim currus transiverat, iidem vel spiculis ex jugo prominentibus transfixi, vel equorum ungulis, aut rotarum pondere satis attriti jacebant. Idem, quamquam paullo obscurius, dicit Diodorus: *πρὸς δὲ ταῖς καταχλίσεσι τῶν ἀξόνων ἐπ' εὐθείας ἄλλα δύο (ξύστρα) τὴν μὲν τομὴν ὁμοίαν ἔχοντα πρὸς τὴν κατὰ πρόσωπον ἐπιφάνειαν τοῖς πρότερον, τὰ δὲ μῆκος μείζω καὶ πλατύτερα.* In his, *αἱ καταχλίσεις τῶν ἀξόνων* istæ ipsorum axium partes sunt, quæ per rotas medias prominent, in media rota quasi incubant, *extremi axes. Ad hos extremos axes* utrimque affixa sunt *duo alia ξύστρα*, sive instrumenta bellica cum falcibus, qualia in extremis quoque jugis fuisse dixerat, *ἐπ' εὐθείας*, *æquata axi*, *quorum acies similiter ut priorum*, in jugis *hostibus, a fronte obverso erant. Erant autem longiora et latiora*, quam illa in jugis, quo pluribus, terram radentes, nocere possent. Hæc *ξύστρα* si sub curru fuissent, non facile quis explicaret, cur *longiora* facta essent, quum breviora esse debuissent. Postrema denique Curtii: *quidquid obvium concitatis equis fuisset amputaturæ*, respiciunt ad falces utrasque et æquatas axi, et in terram demissas.»

6. *Babylone copias movit.* Convenerat igitur Darii exercitus Babylonem; inde in septemtrionem profectus, a læva habebat Euphraten, a dextra Tigrim. Septemtrionem versus, transibat Tigrim, quia per eas Mesopotamiæ partes, quæ ad meridiem vergunt, propter ingentia deserta magnus exercitus transire nequibat. Eamdem ob caussam, h. l., *Mesopotamiæ campi* de Babylonia ipsa inter flumina, quam ab aliis quoque interdum Mesopotamiam vocari constat, ejusque partibus, septemtrionem spectantibus, intelligendi sunt. Tigri vero superato, denuo Darius septemtrionem versus contendens, ad Arbela, et tandem ad Gaugamela pervenit. Alexander autem, Euphrate apud Thapsacum superato, eadem quæ dixi Mesopotamiæ deserta metuens, primum septemtrionem versus juxta Euphraten ibat, tum per Mesopotamiam septemtrionalem eamque fertiliorem, ad Tigrim; eoque superato, in meridiem iter flectens apud Gaugamela in Darium incidit. Num igitur Darius, hoc Alexandri iter futurum prævidens, sua via hosti obviam ire voluit? vel quæ fuit alia caussa, ut Babyloniæ campos fertilissimos, fluminibus et desertis cinctos, desereret? Hoc igitur ipsum non satis intelligitur. Quam enim Diod. c. 53, caussam affert, mihi non satisfacere fateor, nempe Darium circa Ninum, propter locorum planitiem, pugnare maluisse. Babylonia quoque planissima est. Sed erroribus suis Curtius alia quoque non parum obscuravit. Jam quæ sequuntur, falsa sunt. Quum Darius Tigrim superasset, *haud procul obesse hostem* audire non poterat; nam tum temporis Alexander vix a Phœnicia castra Euphraten versus moverat; nec erat hostis, contra quem e Darii castris aliqui mittendi fuissent.

A parte dextra erat Tigris, nobilis fluvius; lævam te-
gebat Euphrates : agmen Mesopotamiæ campos imple-
7 verat. Tigri deinde superato, quum audisset haud
procul abesse hostem, Satropatem equitum præfectum
cum mille delectis præmisit. Mazæo prætori sex millia
8 data, quibus hostem transitu amnis arceret; eidem
mandatum, ut regionem, quam Alexander esset aditu-
rus, popularetur atque ureret; quippe credebat inopia
debellari posse nihil habentem, nisi quod rapiendo oc-
cupasset : ipsi autem commeatus alii terra, alii Tigri
9 amne subvehebantur. Jam pervenerat ad Arbela vicum,
nobilem sua clade facturus; hic commeatuum sarcina-
rumque majore parte deposita, Lycum amnem ponte

Scilicet longe prius, et alieno loco narrata sunt, quæ multo post acciderunt. Quum Darius jam esset circa Gaugamela et Alexander quoque Tigrim transisset, tum demum Darius contra Alexandrum mille equites præmiserat; v. Arrian. III, 7, fin. et 8, princ. Id ipsum infra, § 23, iterum narravit noster, et tertium c. 10, 9...11. Quibus equitibus quis præfuerit, Arrianus non tradidit. In Curtio autem *Atropatem*, non *Satropatem* legendum esse, et mihi verisimile est. Alius ejusdem nominis posthæc ab Alexandro Medis præfectus est. *Mazæus* deinde primum, ut hostem non transitu Tigris, quod quis ex Curtii verbis eliceret, sed Euphratis arceret, missus erat; vide § 12, et Arrian. III, 7. Posthæc vero eidem et Tigridis vadum custodiendum fuisse, cum Curtio, IV, 10, 14, etiam Diodorus tradidit. Arrianus tria, non sex millia Mazæo data prodidit; totidem etiam Curt. c. 12, 1, ubi tertium de Mazæo præmisso mentio facta. Hæc *Schmieder*.

9. *Arbela vicum*. Cur noster et Diod. c. 53, vicum dixerint, quam alii urbem vocarent, quam majorem in istis regionibus fuisse, vel inde, quod a Dario sarcinarum major pars in ea deponeretur, jure concluditur; nisi Arbela cum Gaugamelis, quæ a Ptolemæo et Aristobulo κώμη μεγάλη vocantur, apud Arrian. VI, 11, 10, confuderint, non intelligitur. — *Nobilem sua clade facturus*. Ultimum celeberrimum prælium inter Darium et Alexandrum proprie commissum est ad Gaugamela sive Gausamela, juxta flumen Bumadum sita, et sexcenta aut quingenta stadia ab Arbelis distantia, testibus Arrian. III, 8; Plut. Alex. Vit.; Strab. XVI, 737, a quibus neque Curt. noster infra IV, 16, 9 dissentit. Secundum autem Strabonem, l. l., et Arrian. VI, 11, Macedones eam pugnam potius a loco celebriore cognominaverunt, famamque sparserunt, quam plurimi auctores, in primis Diodor. XVII, 53, et Curtius noster secuti sunt, ad Arbela pugnatum fuisse. Cæterum Tac. Annal. XII, 13, ad Ninum, vetustissimam Assyriæ sedem, prælium illud factum dicit, et alii alibi. — *Lycum amnem*

junxit, et per dies quinque, sicut ante Euphraten,
trajecit exercitum. Inde, octoginta fere stadia progres- 10
sus, ad alterum amnem, *Bumado* nomen est, castra
posuit. Opportuna explicandis copiis regio erat, equi-
tabilis et vasta planities; ne stirpes quidem et brevia
virgulta operiunt solum : liberque prospectus oculo-
rum et ad ea, quæ procul recessere, permittitur. Ita-
que, si qua campi eminebant, jussit æquari, totumque
fastigium extendi. Alexandro, qui numerum copiarum 11
ejus, quantum [procul] conjectari poterant, æstima-
bant, vix fecerunt fidem, tot millibus cæsis, majores
copias esse reparatas. Ceterum omnis periculi et ma- 12
xime multitudinis contemptor, undecimis castris per-

(Zabatum majorem) *ponte junxit*. Si castra Darii apud Gaugamela et Bumadum fluvium octoginta stadia ab Lyco et quingenta ab Arbelis remota erant, hunc pontem supra quadringenta stadia ab Arbelis affuisse necesse est. — *Et per dies quinque, sicut ante Euphraten, trajecit exercitum.* In his cum Acidalio eliminandum censeo *exercitum*; nam ad *trajecit* supplendum est *Lycum amnem cum exercitu*. Deinde, nisi negligentior sæpe esset Curtius, etiam ista, *sicut ante Euphraten*, pro insititiis haberem. Darius quidem Euphraten quinque diebus trajecerat (III, 7, 1), quum Ciliciam peteret; sed *duobus annis ante* quam apud Gaugamela pugnaretur, atque cum alio exercitu. Hoc quæso quid ad rem, quæ nunc agitur?

10. *Bumado* ita et ab Arrian. III, 8, vocatur, sed idem eumdem, VI, 11, uti videtur, secundum auctoritatem Ptolemæi et Aristobuli, *βούμηλον* vocat. Nostri Codd. *Boumelo* : non multum interest utra lectio recipiatur. — *Equitabilis*. Cunzius ad hanc vocem : « quamquam hæc vox non occurrat, nisi apud Ammian. Marc. XXII, 15, non dubito tamen, quin bene latina sit. Nihil enim est, seu etymon, seu significationem ejus spectes, quod offendere possit. Præter ea Græcorum *ἱππάσιμος*, quod apud Arrian. III, 8 exstat, optime exprimit. Infra VIII, 14, 4, Curtius modo simillimo dixit *campi inequitabiles*. » — *Et ad ea, quæ procul recessere*. Sic cum duobus Codd. maluit pro vulgato : *etiam quæ procul rec.* Schmiederus, cui adhæreo. In tribus aliis est : *etiam ad ea, quæ*, etc. Modius legebat : *etiam quæ procul recessere, permetitur*, quam lectionem probat *Tellier*, et in textum recepit. — *Totum fastigium extendi.* Quidquid eminebat, tolli et æquari jussit.

11. *Procul conjectari*. Prior vox a quibusdam edd. abest, idque bene, si locus vel de transfugis, vel de exploratoribus, ex mediis forte hostium castris venientibus, intelligendus est. — *Majores*. Ex hoc loco infra colligemus mendum in numeros Curtianos irrepsisse, ubi Darii copias recenset.

12. *Undecimis castris*. Hoc est,

venit ad Euphraten : quo pontibus juncto, equites
primos ire, phalangem sequi jubet; Mazæo, qui, ad
inhibendum transitum ejus, cum sex millibus equitum
13 occurrerat, non auso periculum sui facere. Paucis
deinde, non ad quietem, sed ad reparandos animos,
diebus datis militi, strenue hostem insequi cœpit : metuens, ne interiora regni sui peteret, sequendusque
14 esset per loca omni solitudine atque inopia vasta. Igitur quarto die præter Arbela penetrat ad Tigrim. Tota
regio ultra amnem recenti fumabat incendio; quippe
Mazæus, quæcumque adierat, haud secus quam hostis
15 urebat. Ac primo, caligine, quam fumus effuderat,

post diem undecimum : si numerus verus est, e Tyro sive Phœnicia pervenit Thapsacum, quo loco Euphraten trajecit. Vid. Arrian. Plinius autem V, 24, et Dio Cass. XL, tom. II, p. 128, si Alexandrum flumen ad Zeugma transisse dicunt, fide non digni sunt, quamvis res ipsa speciem veri præ se ferat. — *Quo pontibus juncto*. Duos pontes, quibus Persæ usi erant, ex parte quidem abruptos, Alexandrum invenisse apud Thapsacum, Arrianus quoque auctor est. — *Periculum sui facere*. Quum Mazæus non esset ausus vires suas experiri.

13. *Reparandos*. Modius mallet *præparandos*. Nostri Codd. *reparandos;* hoc ergo servavimus, admissa Schefferi explicatione : « ad revocandos spiritus, quos amiserant, exhaustos per continua itinera : nam illi quidem animi, qui significant alacritatem, et ardorem pugnandi, nunquam defecerant Macedonas. » — *Strenue hostem insequi*. Circa Euphraten non erat hostis insequendus; nam Mazæus quoque, antequam Alexander advenisset, aufugerat. Alexander potius, de Darii ultra Tigrim castris nondum certior factus, Babylonem contendebat, ubi hostes convenisse audiverat, sed, propter Mesopotamiæ deserta, per ambages, ut supra dixi ad § 6. Hac ipsa via obviam ibat Darius; hac ipsa solitudines ab utroque evitabantur.

14. *Quarto die præter Arbela penetrat ad Tigrim*. Alexander a Thapsaco primum ivit septemtrionem versus, Euphraten ad lævam habens; tum per Mygdoniam, ut Armeniam haberet ad lævam; denique, ad Tigridis vadum aliquod, ad minimum quinque dierum itinere, supra ostium Lyci pervenit; conf. Arrian. III, 7. Hoc iter est circiter quinquaginta milliar. geographicorum. Quod si quatuor diebus factum esset, Alexander cum omni exercitu volare debuisset. Sed quid lego? *præter Arbela* penetrat ad Tigrim? Quidquid dicant alii, ut verba sonant, hoc dixit Curtius : prætergressus est Arbela, et sic penetravit ad Tigrim. Arbela vero, ultra Tigrim sita, circiter quindecim milliaria geogr. ab eo fluvio orientem versus distant. Quanti in paucissimis errores! Hæc justissima de caussa *Schmieder*

15. *Effuderat*. Fuerunt, qui *offu-*

obscurante lucem, insidiarum metu substitit : deinde,
ut speculatores præmissi tuta omnia nunciaverunt,
paucos equitum ad tentandum vadum fluminis præ-
misit : cujus altitudo primo summa equorum pectora,
mox ut in medium alveum ventum est, cervices quo-
que æquabat. Nec sane alius ad Orientis plagam tam 16
violentus invehitur; multorum torrentium non aquas
solum, sed etiam saxa secum trahens; itaque a cele-
ritate qua defluit, *Tigri* nomen est inditum; quia
Persica lingua *Tigrim* sagittam appellant. Igitur pedes, 17
velut divisus in cornua, circumdato equitatu, levatis
super capita armis, haud ægre ad ipsum alveum pene-
trat. Primus inter pedites rex egressus in ripam, va- 18
dum militibus manu, quando vox exaudiri non pote-
rat, ostendit; sed gradum firmare vix poterant, quum
modo saxa lubrica vestigium fallerent, modo rapidior
unda subduceret. Præcipuus erat labor eorum qui 19
humeris onera portabant : quippe quum semetipsos
regere non possent, in rapidos gurgites incommodo

derat legerent. — *Substitit*, nempe Alexander. — *Vadum*. Diodorus quoque vado trajectum narrat, sed Arrianus negat Tigrim usquam vado transmeabilem esse.

16. *Nec sane alius*. Nec ullum aliud flumen in Oriente tam rapide fertur. — *A celeritate*. Eadem Strabo XI, et Plin. VI, 27; sed Isidor. Orig. XIII, 21 : « propter velocitatem, instar bestiæ tigridis, nimia pernicitate currentis » fluvio id nominis impositum esse autumat. Rapiditatem fluminis a tot auctoribus prædicatam in dubium vocat, et vel tardioris esse cursus quam Euphraten, tradit Petrus *della Valle* epist. 6.

17. *Velut divisus in cornua*. Factæ acies quasi duæ longæ, quibus utrimque appositus equitatus, ut equis frangeretur impetus fluminis, transitusque pediti redderetur facilior. Adde infra c. 12, 3. Diod. Sic. XVII, 55, paullo aliter : « Alexander ut vehementiæ undarum obsisteret, manus inter se arcte conserere, totamque corporum molem veluti jugo connexam habere jussit. Καὶ τὴν ὅλην τῶν σωμάτων πυκνότητα ποιεῖν ζεύγματι παραπλησίαν. »

18. *Sed gradum firmare*. Sensus est : sed firmo gressu niti ægre poterant, quod nunc saxa levia subducerent se pedibus, nunc violentior aqua illos disturbaret.

19. *Incommodo onere*. Milites, qui vel sine onere vix pedem proferre poterant, eo magis, quod onus incommodum gestabant, in rapidos gur-

onere auferebantur; et dum sua quisque spolia consequi studet, major inter ipsos, quam cum amne orta luctatio est; cumulique sarcinarum passim fluitautes
20 plerosque perculerant. Rex monere, ut satis haberent, arma retinere; cetera se redditurum. Sed neque consilium, neque imperium accipi poterat: obstrepebat hinc metus; præter hunc invicem nutantium mutuus
21 clamor. Tandem, qua leniore tractu amnis aperit vadum, emersere: nec quidquam præter paucas sarcinas desideratum est. Deleri potuit exercitus, si quis ausus esset vincere: sed perpetua fortuna regis avertit inde
22 hostem. Sic Granicum, tot millibus equitum peditumque in ulteriore stantibus ripa, superavit; sic angustis in Ciliciæ callibus, tantam multitudinem hostium. Au-
23 daciæ quoque, qua maxime viguit, ratio minui potest;

gites auferebantur. — *Spolia*. Onera et arma erepta. — *Perculerant*. In proprio sensu accipi debet, nempe *incurrendo prostraverant*.

20. *Arma retinere*. Quæ et ipsa in sarcinis ferebantur, lib. V, 11, 1. — *Invicem nutantium*. Cum sex Codd. inprimisque nostris antiquissimis et Schmiedero scripsi *nutantium mutuus invicem clamor*. Alii dant: *natantium* et *mutantium*. Freinshemius conjecit *vocantium*; ita vero exsisteret pleonasmus ineptissimus: *invicem vocantium mutuus clamor*. Heumannus improbat Snakenburgium qui *nutantium* retinet, h. e. vacillantium, incerto gradu et lubrico vado fluctuantium; sed hoc immerito.

21. *Præter paucas sarcinas. Paucæ sarcinæ desideratæ*, et, § 19, *cumuli sarcinarum passim fluctuantium* inter se pugnare videntur; sed forte illos sarcinarum cumulos quocunque modo fluvio tandem eripere potuerunt Macedones.

22. *Sic Granicum*, etc. Si Arrian. I, 15 contuleris, diu multumque pugnatum esse, antequam Granicum superare posset Alexander, videbis. Vid. supplem. II, 5, 3.

23. *Audaciæ quoque, qua maxime viguit, ratio minui potest*. Hanc sententiam, quia sic ab omnibus, qui Curtium ante me interpretati sunt, scribitur, mutare non volui, quamvis non sane ex eorum explicationibus illustris fiat. « Locus hic, inquit Cunzius, si quis alius corruptus. Nullum enim prorsus, multo minus Curtii sensum habet, quem e contextu orationis perspicere licet. In Codd. nulla est varietas. Mer. solus pro *ratio* habet *raro*. Interpretes vitio huic, alii alia ratione, mederi conati sunt, sed frustra. Acidalius legere voluit: *audacia... ratione niti potest*. Loccenio placuit: *audaciæ... ratio iniri potest*. Freinshemius conjecit: *audaciæ... admiratio minui potest*. Sed omnia illa parum cohærent sequentibus. Equidem, Cur-

quia numquam in discrimen venit, an temere fecisset. Mazæus, qui, si transeuntibus flumen supervenisset, haud dubie oppressurus fuit incompositos, in ripa demum, et jam perarmatos, adequitare cœpit. Mille 24
admodum equites præmiserat, quorum paucitate Alexander explorata, deinde contempta, præfectum Pæonum Aristona laxatis habenis invehi jussit. Insi- 25
gnis eo die pugna equitum, et præcipue Aristonis fuit: præfectum equitatus Persarum Satropatem, directa in gutture hasta, transfixit; fugientemque per medios hostes consequutus, ex equo præcipitavit; et obluc-

tium ita scripsisse puto : *audaciæ quoque, qua maxime viguit, argui minus potest, quia*, etc. Ita certe optime fluunt omnia. Heumanno quidem si credimus, naso careat oportet, qui hæc verba *an temere fecisset* non rejicit. Attamen Snakenburgio assentior, qui hæc verba non temere abjicienda putat : neque etiam quemquam offendere possunt, si conjecturæ meæ aliquid loci est. » Schmiederus *audaciæ ratio minui potest* sic interpretatur : « Dici potest, minus id, quod in aliorum rebus gestis audaciam vocamus, in Alexandro audaciam fuisse; aliquid detrahi potest ab vulgari significatione vocis *audacia.* » *Tellier* vero omnem sententiam : « Nimiæ quoque fiduciæ culpa minui ex eo potest, quod nunquam hoc in quæstionem venit, an sine ratione aliquid suscepisset : adeo constanter felix fuit, ut ne in mentem quidem venerit dubitare, quidquamne temere fecisset. » Si tot tantorum virorum conjecturis et meam, quamvis omnibus pugnantem, addere licet, omnem locum sic interpretarer. Primum, servata omnium Codd., si unum tantum excipias, lectione, quam in nostris Regg. clarissime legere est, scriberem : *audaciæ quoque, q. m. v., ratio m. potest, q. n. i. d. v., an temere fecisset Mazæus : qui*, etc. Sensus nempe foret; sane Alexander, in omnibus gestis, audacia viguit, sed tum illius audaciæ ratio, id est, mens ea quam habemus, illum fuisse audacem, minui potest, quia in quæstionem ponere queas (quod nunquam positum est), an Mazæus temere, id est sine ullo consilio, aut per proditionem egit, quum non supervenit flumen transeuntibus. Nam si proditorie egit Mazæus, et conscio Alexandro, tum nulla fuit Alexandro audacia. Proditorem autem fuisse Mazæum tota ejus agendi ratio testatur, tum hoc capite, tum capp. 10, 14; 12, 15; 16, 4; V, 1, 17 et alibi. Conjecturæ tamen meæ multa objici posse sentio, sed judicet peritus lector. Saltem, si verba *temere fecisset* ad Alexandrum referat, sententia non generaliter sumatur. Dubitandum est, inquit, an Alexander temere fecit, hac nempe occasione; nam, priusquam transiret flumen, Mazæi *paucitatem exploraverat*, et *exploratam contempserat*. Vid. § 24. Non ergo *temere fecerat*. — *Adequitare cœpit*. Hoc est, post diem quartum, quum Alexander, Tigri superato, jam ipse Darium peteret. De his videatur supra ad § 6

tanti caput gladio dempsit, quod relatum magna cum laude ante regis pedes posuit.

1 X. Biduo ibi rex stativa habuit: in proximum deinde
2 iter pronunciari jussit. Sed prima fere vigilia, luna deficiens primum nitorem sideris sui condidit; deinde sanguinis colore suffuso lumen omne fœdavit; sollicitisque sub ipsum tanti discriminis casum ingens religio,
3 et ex ea formido quædam incussa est. Diis invitis in ultimas terras trahi se querebantur; jam nec flumina posse adiri, nec sidera pristinum præstare fulgorem: vastas terras, deserta omnia occurrere: in unius hominis jactationem tot millium sanguinem impendi; fastidio esse patriam; abdicari Philippum patrem; cælum

25. *Magna cum laude.* Aureo poculo ab Alexandro donatus est. Plut. Alex. V, cap. 39: Ἀρίστων, ὁ τῶν Παιόνων ἡγούμενος, ἀποκτείνας πολέμιον ἄνδρα, καὶ τὴν κεφαλὴν ἐπιδείξας αὐτῷ· τοῦτο, εἶπεν, ὦ βασιλεῦ, παρ' ἡμῖν ἐκπώματος χρυσοῦ τιμᾶται τὸ δῶρον. Ὁ δὲ Ἀλέξανδρος γελάσας· κενοῦ γε, εἶπεν, ἐγὼ δέ σοι μεστὸν ἀκράτου προπίομαι. Gentis Pæonum sedes erant in Macedonia septemtrionali; ex qua, qui cum Alexandro militabant, equites levis armaturæ erant.

1. *Biduo ibi.* In ripa Tigridis trajecti.

2. *Luna deficiens.* Comparationis caussa adscribit *Schmieder* quæ de hoc defectu Arrianus, III, 7, 9: « Luna maximam partem defecit. Alexander igitur et lunæ, et soli, et terræ, qui pro eclipsium auctoribus habentur, sacrificium fecit; atque Aristandro visum est, lunæ defectum pro Macedonibus esse, et eodem mense pugnam fore, atque ex sacris victoriam Alexandro significari. » Præter hæc nihil. Pro *suffuso* Freinsh. et Heins. maluerunt *suffusa*, eisque favet Gualterus ita canens: « ... sanguineo suffusa rubore Fœdavit lumen.... » Astronomi fere consentiunt eclipsin eam accidisse d. XII kal. Octob. anno ante Chr. n. 331, quindecimo die mensis *Boedromionis*, undecimo, ut Plutarchus auctor est, ante pugnam ad Arbela, archonte Athenis Aristophane. Confer *Sainte-Croix*, *Examen critique*, pag. 79, edit. prim. — *Sollicitisque.* Quum jam essent sollicit propter imminens tanti prælii periculum, vehemens religionis sensus, atque ex eo natus pavor quidam eos invasit.

3. *Flumina posse adiri.* Hoc est, vadari, transiri; et respicit difficultatem in Tigri transeundo. Non est, cur in militum rem exaggerantium sermone vox *adiri* suspecta videatur. Eadem excusatio est *vastarum terrarum* et *desertorum*. — *Præstare.* Quinque Codd. *servare.* — *In unius hominis jactat.* Ut unus homo (Alexander) jactare se possit. — *Fastidio esse;* sc. Alexandro. — *Abdicari Philippum patrem. Abdicari* nove dictum; alias enim abdicantur liberi, non patres.

vanis cogitationibus peti. Jam pro seditione res erat, 4
quum ad omnia interritus, duces principesque militum
frequentes adesse prætorio, Ægyptiosque vates, quos
cæli ac siderum peritissimos esse credebat, quid sen-
tirent, expromere jubet. At illi, qui satis scirent, 5
temporum orbes implere destinatas vices, lunamque
deficere, quum aut terram subiret, aut sole premere-
tur, rationem quidem ipsis perceptam non edocent
vulgus; ceterum affirmant, solem Græcorum, lunam 6
esse Persarum : quoties illa deficiat, ruinam stragem-
que illis gentibus portendi; veteraque exempla per-

Abdicare namque est patris factum, quod est : *familia abjicere*, ut interpretatur Nonius. — *Cœlum vanis cogitationibus peti.* Vanum Alexandrum ae dei filium eredi velle.

4. *Pro seditione.* Instar seditionis. — *Prætorio.* Regis tabernaculo : veteres enim omnem magistratum, cui pareret exercitus, prætorem appellaverunt. — *Ægyptios vates.* Ægyptios jam antiquissimis temporibus cæli peritissimos fuisse, non veteres solum uno ore dixerunt, sed nuper ex antiquis quoque monimentis demonstratum est. Testis sit ille zodiacus a *Denderah*, quem nostrates, dum hæc scribo, tanta cum laude ex Ægypto ablatum Lutetiam, inter omnium doctorum plausus, inferunt.

5. *Temporum orbes implere destinatas vices.* Hoc est, fieri, ut aliam eclipsin, præterlapso tempore, quantum ex lege motus corporum cælestium necessarium est, vice sua destinata sequatur alia; itaque *lunam* ex lege necessaria cæli, non ut hominibus aliquid portendat, *deficere*, *quum aut terram subiret*, h. e. in umbram terræ incidens, solis luce privaretur, *aut sole premeretur*, h. e. inter solem et terram immissa et propiore sole quasi pressa, vel terræ partem solis luce privaret (sed hunc defectum non lunæ sed solis esse constat), vel illa parte, qua nobis obversa est, luce careret, quod lunæ silentium dicitur, non lunæ defectus. Quoquo modo igitur interpreteris, negligentiam aliquam in Curtio arguendam esse vides, quam ante Schmiederum notavere *Tellier* et *J. Leclerc*, Judic. de Curtio, cap. 2, § 2. Quamquam Aristoteles, Alexandri præceptor, et Græci usque ad tempora Ptolemæi Philadelphi parum in astronomia profecerant, hoc tamen non obstitit, quin de solis et lunæ defectibus vera conjicerent. Thaletem primum veram eorum caussam Græcos docuisse, tradidit Plutarchus de plac. Philos. lib. II, c. 24; cf. *Astron. par la Lande*, tom. I, p. 102 sqq., edit. tert., *Paris*, 1792, et Eberhardi V. cl. *vermischte Schriften*, 1788. Comment. 4, a princ.

6. *Veteraque exempla.* Qua superstitione pro Macedonibus defectus lunæ esse putari potuerit, ex Herod. VII, 37, palam est. Quum enim Xerxi ex hibernis proficiscenti sol deficere narraretur, Magi affirmasse dicuntur, solem esse Græcorum, lunam Persarum, solisque defectum Græcis suas ur-

censent Persidis regum, quos adversis diis pugnasse
7 lunæ ostendisset defectio. Nulla res efficacius multitudinem regit quam superstitio : alioquin impotens, sæva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus quam ducibus suis paret. Igitur, edita in vulgus Ægyptiorum responsa rursus ad spem et fiduciam
8 erexere torpentes. Rex, impetu animorum utendum ratus, secunda vigilia castra movit : dextra Tigrim ha-
9 bebat; a læva montes, quos *Gordæos* vocant. Hoc ingresso iter speculatores, qui præmissi erant, sub lucis ortum, Darium adventare nunciaverunt. Instructo
10 igitur milite, et composito agmine, antecedebat. Sed Persarum exploratores erant mille ferme, qui speciem agminis magni fecerant: quippe ubi explorari vera
11 non possunt, falsa per metum augurantur. His cognitis,

bes sibi esse relinquendas portendere.

7. *Nulla res.* Egregiam sane sententiam et accuratissime expressam! miror sane nullum fere rhetorem aut commentatorem notavisse, quam acute, quam apte, et interdum etiam qua vi et brevitate, quasdam sententias expresserit Curtius. — *Torpentes* animus militum qui antea languebant metu.

8. *Dextra Tigrim habebat.* Sic etiam Arrianus, qui a trajecto fluvio meridiem versus ibat.

9. *Sub lucis ortum.* Nempe quarti post transitum diei, si Arrian. III, 7, 12 sequeris.

10. *Sed Persarum exploratores.* Jam supra ad cap. 9, 6, Curtium, se diversa narrare credentem, de hac una eademque re tribus locis agere dixi : nam, c. 9, 6, Satropatem contra Alexandrum cum M. equitibus præmissum; c. 9, 25, interfectum, suosque fugatos esse retulit; nunc mille exploratores in fugam actos addit, quasi alii essent a Mazæo missi. Sed eosdem esse intelligendos maxime ex Arriano patet. Pro *exploratores*, sex Codd. *moratores* legunt, quos interpretes dubii sunt, utrum de iis, qui tardius cæteris recederent, an de præmissis, ut primum impetum hostium tardarent, interpretentur. — *Quippe ubi explorari vera non possunt, falsa per metum augurantur.* Augurari passive usurpatum inveniri dubitatur. Fuerunt igitur qui ex aliquibus Codd. *augentur* legi vellent, quod mihi non placet, sed locum recte, ut ego cum Schmiedero arbitror, exposuit *Cunze* his verbis : « de hac voce interpretes frustra certarunt, passive eam poni posse negantes. Sed, quantum equidem video, formam deponentis habet, in qua apud optimos quosque scriptores occurrit. Scilicet τὸ *falsa* non primo, sed quarto casu sumendum, atque deinde post *augurantur*, subaudiendum est *homines*. Locus, uti aiunt, communis est, quales Curtius narrationi suæ sæpissime inspergere solet. »

rex, cum paucis suorum assequutus agmen refugientium ad suos, alios cecidit, alios cepit: equitesque
præmisit simul speculatum; simul ut ignem, quo barbari cremaverant vicos, exstinguerent; quippe fugien- 12
tes raptim tectis acervisque frumenti injecerant flammas: quæ quum in summo hæsissent, ad inferiora non-
dum penetraverant. Exstincto igitur igne, plurimum 13
frumenti repertum est: copia aliarum quoque rerum abundare cœperunt. Ea res ipsa militi ad persequendum hostem animum incendit; quippe, urente et populante eo terram, festinandum erat, ne incendio
cuncta præriperet. In rationem ergo necessitas versa; 14
quippe Mazæus, qui antea per otium vicos incenderat, jam fugere contentus, pleraque inviolata hosti reliquit.
Alexander, haud longius centum quinquaginta stadiis 15
Darium abesse compererat; itaque ad satietatem quoque copia commeatuum instructus, quatriduo in eodem
loco substitit. Interceptæ deinde Darii literæ sunt, qui- 16

12. *Ad inferiora nondum penetraverant.* Tautologia intoleranda, pro: parum damni intulerant.

13. *Festinandum erat.* Idem Polyæn. Strat. IV, 3, 18. — *Præriperet.* Alii, *præciperet.*

14. *In rationem ergo necessitas versa.* Hoc est, quamvis maxime in bello necessitas ante rationem, et sæpe propter necessitatem aliquid faciendum sit, quod bono consilio usi non faceremus, hac tamen in re accidit, ut idem esset et necessarium et boni consilii. Necessitas frumenti conservandi Macedones id facere coegit, quod et alioquin facere debuissent, nempe ut in hostibus fugandis festinarent, et ignes aliis vicis injectos exstinguerent, aliis injici non paterentur. — *Quippe Mazæus. Tellier* suspectum habet hoc *quippe*, non solum quia paucis lineis jam tertio repetitum, sed etiam quia parum apte cohærere ipsi videtur. Neque enim properavit Alexander, quia Mazæus jam inviolatam relinqueret regionem; sed potius idcirco Mazæus reliquit, quod instantem videret Alexandrum. Sed Curtii sententia optime intelligi potest si post *versa* subaudiatur aliquid hoc sensu: *et res sane successit, nam Mazæus*, etc. — *Contentus. Intentus* Cod. Theocr.

15. *Centum quinquaginta stadiis.* Ab eo loco, in quem, quarto post transitum die, pervenerat. — *Substitit.* Ut militibus parceret. Muniverat castra, impedimenta et milites ad pugnam inutiles ibi relicturus. Arrian. III, 9, 1.

16. *Darii literæ.* Quarum apud alios non vidi mentionem factam. Mox *aut ante interficerent* ex quinque Codd.

bus Græci milites sollicitabantur, ut regem aut interfi-
cerent, aut proderent : dubitavitque, an eas pro con-
cione recitaret, satis confisus Græcorum quoque erga
17 se benevolentiæ ac fidei. Sed Parmenio deterruit; non
esse talibus promissis imbuendas aures militum; patere
vel unius insidiis regem; nihil nefas esse avaritiæ. Se-
18 quutus consilii auctorem, castra movit. Iter facienti
spado unus ex capitivis, qui Darii uxorem comitaban-
19 tur, deficere eam nunciat, et vix spiritum ducere. Iti-
neris continui labore animique ægritudine fatigata,
inter socrus et virginum filiarum manus collapsa erat,
deinde et exstincta : id ipsum nuncians alius super-
20 venit. Et rex, haud secus quam si parentis [suæ] mors

inserui. — *Dubitavitque*. Et secum reputavit. — *Recitaret*. Callidum est illud Eumenis apud Justin. XIV, 1, 10, qui, conjectis in ejus castra hujus modi libellis, « vocatis ad concionem militibus persuasit, confictas has a se epistolas ad experiendos suorum animos esse. Hoc facto et in futurum providit ut si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed ab duce tentari arbitrarentur. » Alexandro tali commento opus non fuit, qui clam interceptas literas solus viderat. « Interdum, inquit Tacitus, insidiarum remedium est, si non intelligantur. »

17. *Patere*. Sententiam explicat Eumenes apud Justin. XIV, 1, 12: « Salutem suam in omnium potestate esse; » et eodem sensu Tacitus, Histor. XI, 75 : « Fluxam militum fidem, et periculum ex singulis. Quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque præsenti facinore paratum ex diverso præmium petat ? facilius universos impelli, quam singulos vitari. » Quam vere, quam acute dictum!

18. *Unus e captivis*. In tribus Codd. et in nostris regiis, abest *unus*. Unus habet : *spado ægyptius, qui D. ux. comitabatur*.

19. *Itineris continui labore*. Diod. Sic. XVII, 54, in transcursu modo mortis reginæ mentionem fecit. Plut. Alex. cap. 30, ἐν ὠδῖσιν eam obiisse tradit, cui Justinus, XI, 12, consentit, qui, « in itinere, inquit, nuntiatur uxorem ejus (Darii) ex collisione abjecti partus decessisse. » Hoc vero accidere non potuit, si laudibus, quas uterque de continentia Alexandri jactat, habenda est fides. Quum enim Alexander eam in pugna ad Issum cepisset, novem deinde menses in oppugnatione Tyri et Gazæ consumpsit, iter per omnem fere Ægyptum fecit, Alexandriam fundavit, etc. Ad XVIII menses igitur in ejus potestate fuerat uxor Darii neque prolem procreare legitimam potuit. Hinc apparet Curtii relationem esse fide digniorem. Arr. de hac re tacet, immo negare eam videtur, IV, 19

20. *Parentis*, matris. Castissimus itaque et sanctissimus amor erat, in quo Alexander eam habuisset. — *Suæ mors*. Prior vox abest a quinque Codd.

nunciata esset, crebros edidit gemitus : lacrymisque
obortis, quales Darius profudisset, in tabernaculum,
in quo mater erat Darii, defuncto assidens corpori,
venit. Hic vero renovatus est mœror, ut prostratam 21
humi vidit; recenti malo priorum quoque admonita,
receperat in gremium adultas virgines, magna quidem
mutui doloris solatia; sed quibus ipsa deberet esse so-
latio. In conspectu erat nepos parvulus, ob id ipsum 22
miserabilis, quod nondum sentiebat calamitatem, ma-
xima ex parte ad ipsum redundantem. Crederes, 23
Alexandrum inter suas necessitudines flere, et solatia
non adhibere, sed quærere; cibo certe abstinuit;
omnemque honorem funeri, patrio Persarum more,
servavit: dignus, hercule, qui nunc quoque tantæ man-
suetudinis et continentiæ ferat fructum. Semel omnino 24
eam viderat, quo die capta est; nec ut ipsam, sed ut
Darii matrem videret : eximiamque pulchritudinem
formæ ejus non libidinis habuerat incitamentum, sed
gloriæ. E spadonibus, qui circa reginam erant, Ty- 25

21. *Recenti malo.* Modius sic distinxit : *ut prostratam humi vidit, recenti malo priorum quoque admonitam. Receperat*, etc. Sensus est : renovata ipsa fuerat priorum malorum memoria hoc recenti malo.

23. *Necessitudines*, cognatos, consanguineos. A. Gellius, XIII, 3, eos refellit qui *necessitatem* et *necessitudinem* negent promiscue accipi. Fatetur tamen *necessitatem*, pro jure officioque observantiæ affinitatisque, infrequens esse. — *Qui nunc quoque* (Curtii ætate) *tantæ* (sic malui ex Bong. conj. pro *tantum*) *mansuetudinis ferat fructum.* Hoc est, qui nunc quoque ob virtutem laudetur. Expressit Curt. Diodori (XVII, 38) locum, quem Freinshemius adduxit : « Itaque Alexander, etsi hanc vitæ nostræ tempestatem multis ætatibus præcessit, justam tamen etiam a posteris, dignamque suis virtutibus prædicationem nanciscatur. »

24. *Semel omnino viderat.* Conf. not. ad III, 12, 15. Mox pro *incitamentum* quidam Codd. *invitamentum.*

25. *Spadonibus.* Hic etymologiam hujus vocis e Stephano byzantino referam, qui a *Spado*, vico persico, *Spadones* dici tradit, in quo primum homines castrari cœperunt. — *Tyriotes*, Plut. Alex. V, c. 30, *Tyreon* vocat, de cujus cum Dario colloquio alii quoque scripserunt. Arrian. IV, 20, famam esse, auctor est, eunuchum hunc paulo post pugnam issicam, viva adhuc regina, ad Darium transfugisse.

riotes, inter trepidationem lugentium elapsus per eam portam, quæ, quia ab hoste aversa erat, levius custodiebatur, ad Darii castra pervenit: exceptusque a vigilibus, in tabernaculum regis perducitur, gemens et
26 veste lacerata. Quem ut conspexit Darius, multiplici exspectatione commotus, et, quid potissimum timeret, incertus: « Vultus tuus, inquit, nescio quod ingens malum præfert: sed cave miseri hominis auribus parcas; didici [enim] esse infelix: et sæpe calamitatis so-
27 latium est, nosse sortem suam. Num, quod maxime suspicor, et loqui timeo, ludibria meorum nunciaturus es, mihi, et, ut credo, ipsis quoque, omni gra-
28 viora supplicio?» Ad hæc Tyriotes: « Istud quidem procul abest, inquit: quantuscumque enim reginis honor ab iis, qui parent, haberi potest, tuis a victore servatus est: sed uxor tua paulo ante excessit e vita. »
29 Tum vero non gemitus modo, sed etiam ejulatus totis castris exaudiebantur: nec dubitavit Darius, quin interfecta esset, quia nequisset contumeliam pati, exclamatque amens dolore: « Quod ego tantum nefas commisi, Alexander? quem tuorum propinquorum necavi, ut hanc vicem sævitiæ meæ reddas? Odisti me, non quidem provocatus: sed finge justum intu-

Plutarchus vero et Curtius paulo ante prælium apud Gangamela, post mortem reginæ. Quod mihi verisimilius est, quam eunuchum deseruisse reginam viventem.

26. *Didici enim*. Secunda vox abest a quinque Codd. Ovid. Trist. V, eleg. II, v. 4: « Jam pridem didici fortiter esse miser. »

27. *Ludibria meorum*. Uxoris aut filiarum stupra. Mox pro *graviora* plurimi Codd. *tristiora*. — *Mihi*, *et*, *ut credo*. Omnem sententiam sic distinxit Freinshem. Eodem sensu Diodor. Sic. XIX, 8: *δεινότερα γὰρ θανάτου τοὺς μὲν ἄνδρας καὶ πατέρας εἰκὸς ἦν πείσεσθαι, γυναικῶν ὕβρεις καὶ παρθένων αἰσχύνας ἀναλογιζομένους.*

29. *Totis castris*. « Hoc non ego concoquo, inquit *Schmieder*; non poterant statim totis castris ejulatus audiri, quorum caussa modo in regis tabernaculo exposita est; nec possunt tota castra de paucis præsentibus intelligi. » Idem notat Freinshemius. — *Hanc vicem*. Ut hoc modo ulciscaris crudelitatem meam. — *Non quidem*.

lisse te bellum; cum feminis ergo agere debueras? »
Tyriotes affirmare per deos patrios, nihil in eam gra- 30
vius esse consultum : ingemuisse etiam Alexandrum
morti, et non parcius flevisse, quam ipse lacrymaretur.
Ob hæc ipsa amantis animus in sollicitudinem su- 31
spicionemque revolutus est, desiderium captivæ profecto
a consuetudine stupri ortum esse conjectans.
Submotis igitur arbitris, uno duntaxat Tyriote re- 32
tento, jam non flens, sed suspirans: « Videsne in te,
Tyriote, locum mendacio non esse? tormenta jam
hic erunt: sed ne exspectaveris per deos, si quid tui
tibi regis reverentiæ est : num, quod et scire expeto,
et quærere pudet, ausus est et dominus, et juvenis? »
Ille quæstioni corpus offerre, deos testes invocare, 33
caste sancteque habitam esse reginam. Tandem, ut 34
fides facta est, vera esse, quæ affirmaret spado; capite
velato, diu flevit: manantibusque adhuc lacrymis, veste
ab ore rejecta, ad cœlum manus tendens; « Dii patrii,
inquit, primum mihi stabilite regnum : deinde, si de
me jam transactum est, precor, ne quis Asiæ rex sit,
quam iste tam justus hostis, tam misericors victor. »

Quamvis nulla injuria lacessitus a me fueris. — *Agere* bellum.

30. *Consultum.* Nihil in ejus vitam per vim attentatum esse. Hic *consulere* idem est ac *decernere*, *statuere*.

32. *Summotis arbitris*, excedere jussis, qui arbitrari et audire arcana possent. — *Et dominus, et juvenis.* Qui potestatem ex victoria, incitamentum libidinis ex juventute habebat. Castissimi autem sermonis exemplum his verbis Curtius reliquit, præter alias inprimis hac virtute commendandus.

33. *Quæstioni.* Examini tortorio.

34. *Capite velato.* Velabant et operiebant se veteres parte vestis, vel propter sacra, vel ob desperatam aliquam rem aut malum. Plaut. Amphytr. V, 1, 41 : « Invocat deos immortales, ut sibi auxilium ferant Manibus puris, capite operto. » Senec. Hercul. Fur. v. 355 : « Namque ipsa tristis, vestis obductu caput Velata, juxta præsides adstat deos. » — *Tam justus hostis.* Non qui jure gerit bellum, sed pro miti et clementi. De diis Persarum patriis vid. Brisson. In toto hoc loco conf. Plutarch. l. l. et Arrian. IV, 19 et 20. Nam operæ pretium est, omnes, qui eam rem tractarunt, conferre, ut appareat, quantopere Curtius noster dicendi arte et vi oratoria

1 XI. Itaque quamquam, pace frustra bis petita,
omnia in bellum consilia converterat, victus tamen
continentia hostis, ad novas pacis conditiones ferendas
decem legatos, cognatorum principes, misit : quos
2 Alexander, consilio advocato, introduci jussit. E qui-
bus maximus natu; « Darium, inquit, ut pacem a te
jam hoc tertio peteret, nulla vis subegit; sed justitia
3 et continentia [tua] expressit. Matrem, conjugem,
liberosque ejus, nisi quod sine illo sunt, captos esse
non sensit : pudicitiæ earum quæ supersunt curam
haud secus quam parens agens, reginas appellas; spe-
4 ciem pristinæ fortunæ retinere pateris. Vultum tuum
video, qualis Darii fuit, quum dimitteremur ab eo : et
ille tamen uxorem, tu hostem luges. Jam in acie stares,
nisi cura te sepulturæ ejus moraretur. Et quid mirum
est, si tam ab amico animo pacem petit? quid opus
5 est armis, inter quos odia sublata sunt? Antea imperio
tuo finem destinabat Halyn amnem, qui Lydiam ter-
minat. Nunc, quidquid inter Hellespontum et Eu-
phraten est, in dotem filiæ offert, quam tibi tradit :

emineat. Cæterum omnia hæc tragice magis quam historice descripta esse fatendum est.

1. *Bis petita*. Conf. lib. IV, 1, 7 sqq. et c. 5. Alii de tribus ad Alexandrum legationibus loquuntur, alii, quorum fides mihi major, de duabus; inter quos etiam Arrianus, II, 25. Arrian. Plut. et Diodor. XVII, 54, legatos posteriores ante Statiræ mortem missos tradunt; quo vero tempore non satis constat. Arrianus, quum Tyrus adhuc obsideretur, dixit; Plut. Alex. V, 29, quum Alexander in Phœnicia versaretur, ex Ægypto redux : cum hoc consentire videtur Diodorus. Justinus vero et Curtius tertios legatos secundo circiter die ante prælium ad Gangamela missos fuisse scripsere.

2. *Expressit*. Evicit, ut pacem peteret. Nostri regii codices non legunt *tua*, et infra habent *sensimus* pro *sensit*.

4. *Qualis Darii*. Hoc est, non minus tristem, quam Darii vultus erat.

5. *Finem*. Hanc vocem multi Codd. et plerique edd. omittunt. Eam vero, utpote qua sensus illustrior fiat, ex vetustissimo regio codice 5718, restitui. — *Quam tibi tradit*. In matrimonium. Quam ob caussam mox non scribendum erat : *duas* virgines filias redde. Nam, altera in matrimonium ducta, una modo supererat reddenda. Ochus, Darii filius posthæc ex histo-

Ochum filium, quem habes, pacis et fidei obsidem 6
retine : matrem et duas virgines filias redde : pro tribus corporibus triginta millia talentum auri precatur accipias. Nisi moderationem animi tui notam haberem, 7
non dicerem hoc esse tempus, quo pacem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice, quantum post te reliqueris : intuere, quantum petas! periculo- 8
sum est prægrave imperium : difficile est continere, quod capere non possis. Videsne, ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeant? Nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt. Facilius est quædam vincere, quam tueri : 9
quam, hercule, expeditius manus nostræ rapiunt, quam continent! Ipsa mors uxoris Darii te admonere

ria subductus est, nec ullum exstat de fatis ejus vestigium.

6. *Pro tribus corporibus*. Gallice : *pour ces trois personnes*. — *Triginta millia talentum auri*. Arrianus decem millia talentum, fortasse argenti, pro matre, uxore, et liberis promissa dicit : totidem Plut. in Apophth. et in Alex. V, c. 29; Diod. tria mill. tal. argenti; Justin. XI, 12, triginta mill. tal. sine nota, utrum auri, an argenti; Valer. Max. VI, 4, 3, decies centum millia talentum. In tanta discrepantia quid verum sit, non facile dicatur.

7. *Non dicerem*. Nisi scirem moderationem tuam, nullem verba tecum hac de re facere; quippe constaret, apud animum ambitione et cupidine præcipitem nihil me profecturum. — *Occupare*. Sine cunctatione arripere.

8. *Prægrave imperium*. Acidalius mavult *prægrande imperium*. — *Capere:* hoc verbum, quod Curtius noster valde amat, de rebus eleganter usurpatur, quibus comprehendendis aut sustinendis pares sumus. — *Modum excedunt*. Quorum nimia amplitudo est. — *Nimiæ opes*. Sic Phædrus, fab. 38 : « Magnæ periculo sunt opes obnoxiæ. »

9. *Facilius est quædam vincere*. Schefferus legit : *facilius est quidem vincere*. Sc. victoria sibi parare. Sic et Sueton. in Octav. 71 : « *vicissem* vel quinquaginta millia. » Notum est illud Ovidii, de Art. amat. II, 21 : « Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri; Casus inest illic, hic erit artis opus »; Flori, lib. XI, cap. 17, 8 : « Plus est provinciam retinere, quam facere »: et Livii, lib. XXXVII, c. 35 : « Parari singula acquirendo facilius potuisse, quam universa teneri posse. » — *Ipsa mors uxoris*, etc. Sensus horum verborum videtur esse : mors uxoris Darii te docet, occasionem monstrandæ misericordiæ, atque Darii humanitate et liberalitate tibi obligandi tanto magis minui, quanto diutius eam differas; verendum enim est, ne captivitate pressæ, desideriique suorum, atque mœrore confectæ feminæ regiæ

potest, minus jam misericordiæ tuæ licere, quam li-
10 cuit. » Alexander, legatis excedere tabernaculo jussis, quid placeret ad consilium refert. Diu nemo quid sentiret ausus est dicere, incerta regis voluntate. Tan-
11 dem Parmenio, ante suasisse ait, ut captivos apud Damascum redimentibus redderet; ingentem pecuniam potuisse redigi ex iis, qui multi vincti virorum fortium
12 occuparent manus. Et nunc magnopere censere, ut unam anum et duas puellas, itinerum agminumque impedimenta, triginta millibus talentis auri permutet.
13 Opimum regnum occupari posse conditione, non bello: nec quemquam alium inter Istrum et Euphraten possedisse terras ingenti spatio intervalloque discretas. Macedoniam quoque respiceret potius, quam Bactra
14 et Indos intueretur. Ingrata oratio regi fuit. Itaque, ut finem dicendi fecit: « Et ego, inquit, pecuniam quam

omnes deinceps moriantur. Talia ipsum etiam Alexandrum sensisse, Plut. Alex. scribit : *ταχὺ μέντοι μετεμελήθη (ὁ Ἀλέξανδρος) τῆς τοῦ Δαρείου γυναικὸς ἀποθανούσης ἐν ὠδῖσιν. Καὶ φανερὸς ἦν ἀνιώμενος, ὡς ἐπίδειξιν οὐ μικρὰν ἀφῃρημένος χρηστότητας.*

10. *Refert.* In suorum concilio quærit, quid optimum illis videretur.

11. *Ante suasisse.* In hac oblique a Curtio relata oratione Parmenionis, et ex Codd., et monitu interpretum, ut melius sibi constaret, quædam cum Schmiedero immutavi, *suasisse* scribens pro *suasissem ; redderet* pro *redderes; occuparent* pro *occupaverant* (ubi quinque Codd. *occuparant*); *censere* eum quatuor Codd., pro *censerem; permutet* cum tribus, pro *permutes.* Schefferus principium orationis olim hoc fuisse putat : *Tandem Parmenio; ante suasisse se, ait, captivos apud Damascum redimentibus redderet.* — *Qui multi vincti.* Multos in vincula conjectos esse non credo, *vincti* dicuntur pro *custodiendi.* Multos dicit apud Damascum captos, et nunc custodiendos impedimento esse, ne strenua multorum militum manu in prælio uti posset Alexander.

13. *Istrum.* Danubium accolebant Triballi ab Alexandro devicti. Vid. Supplement. I, 11, 27. — *Discretas*, ex Acidalii conjectura reposui. Nostri Regg. *desertas.* — *Macedoniam quoque respiceret*, etc. Recordaretur ad quantum jam fastigium evexerit parvum Macedoniæ imperium, continuisque victoriis acquiesceret potius, quam ut, gloriæ majorumque copiarum cupiditate, abripi se pateretur ad oppugnanda Bactra et Indos.

14. *Et ego, inquit, etc.* Hoc inter apophthegmata Alexandri, dictum plane regium a Plutarch. 51, et apophth. c. 38; Arriano II, 5, 2; Diod. XVII.

gloriam mallem, si Parmenio essem. Nunc Alexander, de paupertate securus sum : et me non mercatorem memini esse, sed regem. Nihil quidem habeo venale; 15
sed fortunam meam utique non vendo. Captivos si placet reddi, honestius dono dabimus, quam pretio remittemus. » Introductis deinde legatis, ad hunc modum re- 16
spondit : « Nunciate Dario, me, quæ fecerim clementer

54, relatum, Valer. Max. VI, 4, 3, ext. vocat « vocem nubiliter editam, vocem duabus victuriis respoudentem, dignamque cui tertia, sicut evenit, tribueretur. « Sed quam justius hoc Alexandri verbum æstimavit nostras *Mably*, *Observ. sur les Grecs*, p. 192 et sqq. : « Cette réponse peu sensée a « été admirée, parce qu'elle déploie « en quelque sorte tout le caractère « d'Alexandre, et fait connaitre que « son courage et son ambition sont « sans bornes. Philippe aurait pensé « comme Parménion, et il eût fait sa « paix avec Darius. Maitre d'une par- « tie de l'Asie, il eût travaillé utilement « pour la gloire et le bonheur des Ma- « cédoniens : il se fût fait craindre et « respecter des Grecs, en les envelop- « pant de sa puissance. » Cæterum, ut notavit Freinshemius, imitatus videri possit Alexander Callicratidam Lacedæmonium, cui quum ex consiliariis Cleander quidam diceret : « Ego hoc facerem, si tu essem »; « Et ego, inquit, si tu. » Plutarch. Apophth. Lac. c. 72. Simile Demosthenis dictum Lucianus, in Encomio illius, refert : « Ego persuaderi mihi paterer, si Archias essem : sed quia sum Demosthenes, ignosce mihi, o infelix, ad ignaviam non nato. « — *Nunc Alexander*, etc. Hac appendice præcedentis dicti venustatem enervari monuit Freinshemius : qua vero de caussa non satis video. Fatendum tamen est, si non hoc quidem loco reprehendendus est Curtius, in multis aliis eo vitio laborare, et posse dici de eo quod de Seneca Fabius, nimium esse amatorem ingenii sui.

15. *Dono dabimus*. Pari magnanimitate Pyrrhus apud Ennium, lib. IV, de captivis redimendis : « Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis, Nec cauponantes bellum, sed belligerantes, Ferro non auro, vitam cernamus utreique », et sqq.

16. *Nunciate Dario*. Post hæc verba legitur in omnibus edd. et in quibusdam, sed pessimæ notæ, codd. : *gratiarum actionem apud hostem supervacaneam esse, et...* postque *naturæ meæ*, legitur : *nec adversus calamitates sed adversus hostium vires contendo* .... Sed quum hæc ab omnibus antiquis et bonis Codd., nostrisque inprimis regiis absint; quum ex Justino, aut potius Trogo ad verbum sint translata; quum nihil ad rem proficiant, et laxior tantum remissiorque Curtii oratio ex illis fiat; quum denique omnes fere docti Curtii interpretes, Modius nempe, Raderus, Freinshemius, *Tellier*, *Cunze*, *Schmieder* ea pro intrusis habuerint, uncisque includi curaverint; nec Gualterus, qui Curtium in carmen (sæpius ipsis quoque Curtii verbis in numerum coactis) transtulit, hæc pro Curtianis agnoverit; nos ea tandem e textu exsulare, et in notas ablegari jussimus.

et liberaliter, non amicitiæ ejus tribuisse, sed naturæ
17 meæ. Bellum cum captivis et feminis gerere non soleo:
18 armatus sit oportet, quem oderim. Quod si saltem pa-
cem bona fide peteret, deliberarem forsitan, an darem:
verum enimvero, quum modo milites meos literis ad
proditionem, modo amicos ad perniciem meam pe-
cunia sollicitet, ad internecionem mihi persequendus
est, non ut justus hostis, sed ut percussor [et] vene-
19 ficus. Conditiones vero pacis, quas fertis, si accepero,
victorem eum faciunt. Quæ post Euphraten sunt li-
beraliter donat: ubi igitur me affamini? nempe ultra
Euphraten sum: summum ergo dotis, quam promittit,
terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut
20 sciam vestrum esse quod ceditis. Eadem liberalitate
dat mihi filiam suam; nempe quam scio alicui servo-
rum suorum nupturam: multum vero mihi præstat,
21 si me Mazæo generum præponit! Ite, nunciate regi
vestro, et quæ amisit, et quæ adhuc habet, præmia

17. *Armatus sit.* Livius, V, 27: «arma babemus non adversus eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur; sed adversus armatos»; et Tacit. I, 59: «Non enim se proditione neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare.»

18. *Bona fide:* recta conscientia; quæ ejus est, qui sine fraude et talibus insidiis agit, quæ Dario objici poterant. — *Milites.* Vid. supr. IV, 10, 16. — *Amicos.* Philippum medicum videtur intelligere, ac Sisennem lib. III, 6 et 7. Tum inter *percussor* et *veneficus*, Acidalius *et* inseruit: nam, inquit, *percussor* ad milites sollicitatos pertinet, *veneficus* ad Philippum medicum. Quod valde dubium est. Gualterus enim vocem *veneficus*, exemplo optimorum scriptorum, pro adjectivo habuit, et hunc locum ita expressit: «.... Nam non mihi justus ut hostis Prælia molitur, verum ut sicarius, immo, Ut verum fatear, ut latro veneficus instat.» Quæ auctoritas, si non tanta est, ut lectionem firmare possit, comma insertum omnem offensionem tollet.

19. *Nempe ultra Euphraten sum.* Plurimi Codd., vel in margine, vel in contextu habent: *nempe obliti estis*, Unde Heinsius non male: *nempe, quod obliti estis, ultra Euphraten.* Nostri Regg. pessime: *nempe obliti estis; nempe u. E. sum.*

20. *Quam scio.* Impressi *quam scit.* Utrum melius videatur, lector eligat. Cæterum in barbaris regnis (orientis) principes quoque et satrapæ servi sunt, et a domini arbitrio pendent.

esse belli : hoc regente utriusque terminos regni, id
quemque habiturum, quod proximæ lucis assignatura
fortuna est.» Legati respondent, quum bellum in 24
animo sit, facere eum simpliciter, quod spe pacis non
frustraretur; ipsos petere, quamprimum dimittantur
ad regem : eum quoque bellum parare debere. Dimissi nunciant adesse certamen.

XII. Ille quidem confestim Mazæum cum tribus mil- 1
libus equitum ad itinera, quæ hostis petiturus erat,
occupanda præmisit. Alexander, corpori uxoris ejus 2
justis persolutis, omnique graviore comitatu intra eadem munimenta cum modico præsidio relicto, ad hostem contendit. In duo cornua diviserat peditem, in 3

21. *Hoc regente.* Interpretor cum Scheffero : bello determinante, definiente terminos. Solet quippe illud *regere* sic solemniter de finibus usurpari, quod ex titulo *de finibus regundis* apertum est. Sensus ergo est : Postquam illud definierit amborum imperiorum limites, utrumque nostrum id possessurum esse, quod crastinæ pugnæ sors adjudicatura est. Post *est* legitur in Edd. : *Et me in Asiam non venisse, ut ab aliis acciperem; sed ut aliis darem. Si secundus, et non par mihi vellet haberi, facerem forsitan, quæ petit. Cæterum, nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna, salvo statu terrarum, potest habere. Proinde, aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret : nec aliam sibi, quam expertus est, polliceatur fortunam.* De his vide supra, ad § 16.

24. *Simpliciter.* Bona fide.

1. *Mazæum cum tribus millibus.* Sæpius hoc repetitur. Vide supra, ad c. 9, 6.

2. *Justis. Justa* dicuntur exsequiarum suprema officia, propterea quod mortuis jure quodam naturæ debeantur, præsertim a suis. Gualterus multus est in describendo schemate quodam miro, quod, Alexandri jussu, in tumulo reginæ erexerit Judæus Apelles, in quo in primis historia Mosea de mundo creato, et fata gentis Judaicæ depicta erant. Risum teneatis amici! exclamat *Cunze* ad hunc locum. — *Omnique graviore comitatu.* Arr. III, 9 : *σκευοφόρα καὶ ὅσοι τῶν στρατιωτῶν ἀπόμαχοι ἦσαν.* Illi enim valde moraturi erant exercitum. Cæterum, hic *gravior comitatus* secernendus est ab *impedimentis*, quæ sequebantur agmen, in quibus autem ea modo erant, quibus ad usum quotidianum carere non poterant milites. — *Intra eadem munimenta.* De quibus in præcedentibus nihil dictum est. Sed vide, quæ ex Arriano ad c. 10, 15, scripsimus.

3. *In duo cornua.* Alexander instructa acie ibat propter hostes propinquos, quamvis hoc die non pugnaretur. Arrian. III, 9, 4. Pro sqq. in

utrumque latus equite circumdato: impedimenta se-
4 quebantur agmen. Præmissum deinde concitis equis Menidan jubet explorare, ubi Darius esset. At ille, quum Mazæus haud procul consedisset, non ausus ultra procedere, nihil aliud, quam fremitum hominum
5 hinnitumque equorum exaudisse nunciat. Mazæus quoque, conspectis procul exploratoribus, in castra se recipit, adventus hostium nuncius. Igitur Darius, qui in patentibus campis decernere optabat, armari mili-
6 tem jubet, aciemque disponit. In lævo cornu Bactriani ibant equites, mille admodum; Dahæ totidem: et Arachosii Susiique quatuor millia explebant. Hos quinquaginta falcati currus sequebantur; proximus qua-

Codd. legitur, vel *utrimque latera*, vel *utrimque lateri equite circumdato.*

4. *Concitis equis.* Nostri Regg. scribunt: *cum Scythis*, quod jam ex seipso conjecerat Modius. Quum tamen nullos in exercitu suo Scythas habuisse dicitur Alexander, approbantibus Heinsio, Schmiedero, Cunzio, scripsi cum Radero et Cod. Theocreni, *concitis equis*. Menidas erat dux equitum mercenariorum. — *At ille, quum Mazæus haud procul consedisset* (ab Alexandro et Menida; nam si haud procul a Dario consedisset, Menidas propius accedere, et castra Darii videre potuisset), *non ausus ultra procedere.* Sed cur non ausus est, quum Mazæus, quod statim adjicitur, conspectis *procul* exploratoribus in castra Darii se reciperet? cf. notam ad § 14 et 18.

6. *In lævo cornu*, etc. Ut *Schmieder*, in suis ad hoc caput notis, pugnam ex Arriano optime descripsit, satis mihi erit illius maximam partem transcribere. Ille igitur: descriptionem aciei persicæ post pugnam repertam esse, Aristobulus auctor est; quam quum servarit Arrianus, III, 11, ex eadem Curtius suppleri, et emendari posset. In lævo cornu extremo, προσετετάχατο equites Scythæ, mille equites Bactriani, et centum currus falcati; Arr. III, 11, 8: « Lævum cornu ipsum εἶχον equitum Bactrianorum majus agmen, Dahæ et Arachosii. » Dahæ igitur et Arachosii a Curtio ex posterioribus inter priores transpositi sunt. *Susios* a Dario cum Dahis et Arachotis junctos esse, per se incredibile est; nomen in Codd. multis modis corruptum, in plurimis sonat *Suanique;* unde *Sogdianique* legendum esse persuadeor. Nam hi et Bactri vicinas sedes habentes eidem parebant duci; Arrian. III, 8, 4. Conjicere quis posset *Scythæ* vel *Sacæ*, quos primos scripsit Arrianus; sed hos Curtius ultimos dixit, Massagetas vocans, cf. c. 15, 2. Denique pro centum curribus Curtius quinquaginta tantum habet: nam Arrianus ducentos Darii currus tripartitos, Curtius quadripartitos dixit. Vid. quoque de hac pugna *Guichard*, *Mémoires militaires.*

drigis erat Bessus cum octo millibus equitum, item
Bactrianis. Massagetæ duobus millibus agmen ejus claudebant.
Pedites his plurium gentium non mixtas, sed 7
suæ quisque nationis, junxerant copias. Persas deinde,
cum Mardis Sogdianisque, Ariobarzanes et Orobates
ducebant. Illi partibus copiarum, summæ Or- 8
sines præerat, a septem Persis oriundus, ad Cyrum
quoque nobilissimum regem originem sui referens.
Hos aliæ gentes, ne sociis quidem satis notæ, seque- 9

7. *Pedites his*, etc. Freinshemio verborum nrdo videtur : *pedites*, primo casu, *plurium gentium his*, prædictis, *junxerant copias, non mixtas, sed quisque suæ nationis*, sc. copias. *Quisque*, sc. *pedes*, singulari numero dictum est pro plurali, ut sæpe *miles* prn militibus. Sensus est : sequebantur pedites singularum nationum separatim euntium. Sed cur pergit : Persas *deinde* ducebant ; quasi Persæ peditatum plurium gentium sequerentur, quum essent Bactrianis, Dahis Arachotisque proximi? Nam Arrianus : « Post Arachotos Persæ, equites simul ac pedites permixti; post Persas Susii; post Susios Cadusii locati erant, ad medium usque tutius aciei. » — *Mardos* Persis junctos fuisse Curtiu facile concedit *Schmieder*, si modu Mardos Persidis intelligis ; nam hujus nominis duæ commemorantur nationes, altera in montibus Persidis, altera ad mare Caspium. Sogdianos autem cum Persis ivisse, minime verum est. Nomen corruptum est; lege *Susianisque*. Susiani enim sive Susii, Arriano quoque auctore, Persis proximi erant. Apud eundem Ariobarzanes, Orontobates, nostro Orobates, et Orxines, nostro Orsines, alio loco (III, 8, 8) duces accolarum maris Erythræi, hoc est, Persarum et reliquorum, qui ad sinum persicum habitabant, vocantur; alio (III, 18, 3) est Ariobarzanes Satrapa Persarum; alio (VI, 29, 3) Orxines ex principibus Persarum primus; alio (II, 5, 8) Orontobates, si idem homo designatur, Persa dicitur. Bene igitur Curtius eosdem Persis præfuisse retulit; male vero Susianis, quorum dux erat Oxathres (Arrian. III, 8, 8); pejus adhuc Sogdianis, si hoc nomen ipse scripsit; nam hi parebant Besso.

8. *A septem Persis oriundus*. Ad illos septem Persas, qui Magos, post Cambysen imperium tenentes, regno pepulerunt, respici recte monuerunt interpretes. Ex iisdem erant et Darius Hyst. qui regno potitus est, et Otanes quidam, a quo Orsines forte originem ducebat. In Arriano enim, III, 8, 8, pro vulgato *Orxines*, opt. Cod. legit *Otanes*. Alii quinque erant : Intaphernes, Gobryas, Megabyzus, Aspathines et Hydernes. Vid. Herodot. in Thalia ; Strabon. lib. XV.

9. *Aliæ gentes, ne sociis quidem satis notæ*. Hanc phrasin esse Curtii, ubi de gentibus sibi non satis notis loquitur, supra lib. III, 2, vidisti. Hæc vero et sequentia cum descriptione aciei arrianea aliquatenus concinnari posse desperat *Schmieder*; confusa sunt, nec in se ipsa habent veritatis documenta; plura potius negligentiæ

bantur. Post quas, quinquaginta quadrigas Phradates magno Caspianorum agmine antecedebat. Indi ceterique rubri maris accolæ, nomina verius quam auxilia,
10 post currus erant. Claudebatur hoc agmen aliis falcatis curribus quinquaginta : quis peregrinum militem adjunxerat. Hunc Armenii, quos Minores vocant; Armenios Babylonii; utrosque Belitæ, et qui montes
11 Cossæorum incolebant, sequebantur. Post hos ibant Gortuæ, gentes quidem Euboicæ, Medos quondam se-

atque ignorantiæ : nam aliarum gentium nullam fecit mentionem, quamvis in acie starent; aliarum, tamquam pugnantium, quæ in acie esse non poterant; aliarum denique nova adjecit nomina. Qui, si Arrianum sequimur, a lævo cornu ad mediam aciem starent, supra dictum est. A dextro deinde cornu ad mediam aciem erant equites Armeniorum et Cappadocum cum L curribus; tum Cœlesyri, Mesopotamii, Medi, Parthyæi, Sacæ, Tapuri, Hyrcani, Albani, atque Sacesinæ; medium in acie locum circa Darium tenebant regis cognati et Persæ melophori; ad quorum latus utrumque Græci mercede conducti, et præter hos, Indi, Cares anaspastæ, atque Mardi sagittarii. Iisdem a tergo locati erant Uxii, Babylonii, accolæ maris erythræi (Elymæi forte, et alii litorum Persidis et Carmaniæ accolæ, exceptis Persis ipsis), atque Sitacini. Iisdem a fronte elephantes 15, et 50 currus falcati. — Curtius vero, quas *alias gentes*, *ne sociis quidem satis notas* dixerit, non satis assequor. — *Phradates* idem est, qui Arriano *Autophradates* vocatur, Tapurorum satrapa. At non hic, sed *Phrataphernes*, ab illo diversus, Dario *magnum Caspianorum agmen*, nempe Parthyæos, Hyrcanos et Tapuros, adduxerat. Arrian. III, 8, 7. De *Indis cæterisque rubri maris accolis* ad lib. III, c. 2, § 9, scriptum est. — *Nomina verius quam auxilia*. Hoc est, nominantur quidem in auxiliis; sed, quia virtute nihil pollent, ista nomina vana sunt.

10. *Aliis L curribus*. Ut alii essent a dextra, alii a læva Indorum. Scilicet, neglectis elephantis, in acie media bis quinquaginta currus locatos dicit. — *Peregrinum militem*. Intellige Græcos mercenarios. — *Belitæ*. Belitas nemo novit. Fuitne forte *Arbelitæ?* conjectura est Jac. Gronovii, ad Arr. III, 11, p. 119. Regio enim circa Arbela Ptolemæo *Arbelitis* vocatur; quæ Plinio, VI, 27, auctore, etiam Sittacene dicta est; unde Curtii Arbelitas Arriani Sittacenos esse verisimile est. — *Cossæi*, montes inter Mediam et Susianam incolentes, ab Arriano inter auxilia Darii non numerantur; quod rectius : nam Dario non paruere, atque ab Alexandro demum domiti narrantur; Arrian. 7, 15.

11. *Gortuæ, gentes quidem Euboicæ*. Rectius legunt *gentis*. Sed Gortuarum nomen apud alios non invenitur. Cogitari potest de Eretriensibus, quos Datis et Artaphernes ex Eubœa in Asiam transmiserant, Herod. VI, 119; unde *Medos sequuti* dicuntur, atque, quum Græci origine essent, *jam dege-*

quuti; sed jam degeneres, et patrii moris ignari. Ap-
plicuerat his Phrygas et Cataonas. Parthorum deinde
gens, incolentium terras, quas nunc Parthi, Scythia
profecti, tenent, claudebant agmen. Hæc sinistri cornu
acies fuit. Dextrum tenebat natio majoris Armeniæ, 12
Cadusiique, Cappadoces, et Syri, et Medi; his quoque
falcati currus erant quinquaginta. Summa totius exer- 13

neres, et patrii moris ignari; neque enim fortes, neque Persis infesti erant, sicut ipsorum majores. Locus, quem iis Darius incolendum dederat, erat *Anderica* in regione Cissia, 210 stadiis a Susis, quem græco sermone servato ad Herodotum usque tenebant. — *Phrygas et Cataonas.* Posteriores prope Ciliciam inter Taurum et Antitaurum habitabant; priores vero in exercitu Darii fuisse, non sane credo: per duobus integris abhinc annis, ab Alexandro ipso in potestatem redacti fuerant, et satrapis ejus parebant. Nec ab Arriano commemorantur. — *Parthorum deinde gens.* Haud dubie animo Curtii, quum hæc scriberet, obversabatur magna illa differentia, quæ erat inter Parthos tempore Darii, et suo sæculo, « penes quos, ut ait Just. XLI, 1, velut divisione orbis cum Romanis facta, Orientis imperium erat. » At tempore Darii *inter Orientis populos obscurissimi*, quorum campi, *Assyriorum et Medorum temporibus, a Scythis exsulibus* occupati, Parthorum nomen ab iis accepere: *nam Scythico sermone* Parthen *exsules dicuntur.* Sed errat, si vocem *nunc* ad Darii tempora referri putat, quod hoc loco non magis fieri potest, quam infra lib. VI, 2, 12, ubi Curtius Parthos, *tunc* ignobilem gentem, *nunc* caput omnium Orientis appellat. At nostro loco si *nunc* intelligis de Curtii sæculo, falsa dixisse videtur; nam Parthi suo ævo plurima Orientis ultra Euphraten tenebant; Darii ævo minime amplam regionem, quæ est sub montibus Hyrcaniæ, ab oriente Mediæ conterminam; nec in hanc quidem post, sed multo ante Darii tempora venerant. Sed forte nihil voluit Curtius præter hoc: *Parthos*, e *Scythia* quondam *profectos*, Darii quoque tempore easdem *terras, incoluisse*, quas suo adhuc ævo incolerent, quamvis ejus nationis reges post Darium omnem fere Orientem bello subegissent.

12. *Syri.* Intellige cum Arriano Syros ex Syria Cœle et Mesopotamia, fortasse etiam Assyrios. Syriam propriam Alexander statim post prælium apud Issum occupaverat.

13. *Summa totius*, etc. Numerus hic justus esse non potest. Curtius enim, supr. IV, 9, 13, ipse dixerat, hunc Darii exercitum *dimidio ferme majorem fuisse*, quam ille in Cilicia fuerat. Ibi autem erant 311 millia ducenti (vid. ad III, 2, 3, not.) Quamvis autem Curtius in definiendis ejusmodi numeris verecundior esse soleat, quam cæteri et græci et latini scriptores, qui, ut victoris gloriam augeant in numerandis hostibus, quibuscum ei pugnandum esset, omnem prorsus modum excedere solent, hoc loco tamen numerus justo minor videtur esse. Locus sine dubio corruptus est, sed neque in varietate lectionis quidquam auxilii est, neque ali-

citus, equites quadraginta quinque millia: pedestris acies ducenta millia expleverat. Hoc modo instructi decem stadia procedunt : jussique subsistere, armati
14 hostem exspectabant. Alexandri exercitum pavor, cujus caussa non suberat, invasit : quippe lymphati trepidare cœperunt, omnium pectora occulto metu percurrente. Cæli fulgor, tempore æstivo ardenti similis internitens, ignis præbuit speciem; flammasque ex

unde patet, quid Curtius vere scripserit. Arr. III, 8, Dario in hoc prælio 40 millia equitum, et decies centena millia peditum tribuit. Plutarch. Alex. Vit., universe decies centena millia numerat. Diod. Sic. XVII, eum cum octingentis millibus peditum, et equitum haud minus ducentis millibus Babylone movisse tradit. Justin. XI, 12, 5, Darium cum quadringentis millibus peditum, et centum millibus equitum obviam ivisse Alexandro scribit. Cuinam maxima fides habenda sit, lector ipse judicet. — *Armati hostem exspectabant.* Per hunc nempe diem, et per totam noctem ante prælium; quæ longior sane, at incommoda in armis mora maximo Persis damno fuit. Confer Arrian. lib. III, 11, 1.

14. *Alexandri exercitum pavor invaserat.* Hoc est, die tertio ante prælium, quum in hostem moveret. Polyæn. Stratag. IV, 3, 26, rem illam ita narrat : Alexander ad fluvium Tigrim Darium prævertere festinabat: Panicus terror ab extrema acie pervasit universum exercitum. Rex mandavit tubicini, ut securitatis signum promulgaret, et antesignanis militibus, ut ante pedes arma projicerent atque idem sequentibus se dicerent. Sic omnes ex ordine hoc facientes caussam terroris cognoverunt. Sed vide quam parum Curtius temporum et dierum ordinem servet. Supra § 3 et 4 de itinere Macedonum secundo ante prælium die aliquid narravit; § 5... 13, quæ Mazæus et Darius secundo ante pugnam die gererent, descripsit; tum § 14... 17, quæ Alexandro tertio ante conflictum die acciderent, exponit; denique inde a § 18, et repetit, quæ de die ante prælium secundo jam narraverat, et addit alia. — *Lymphati.* Tales proprie dicti sunt qui ob speciem aliquam Nymphæ in aqua, nempe lympha, conspectam, versi repente in amentiam putabantur; quos Græci νυμφολήπτους, quasi a Nympha correptos vocant. Sed hoc nomen ad omnes transit, quos subitus furor invasit. Et *lymphaticus* pavor idem ferme qui panicus. — *Tempore æstivo.* Alii, *tepori æstivo*, quod præplacet Scheffero, quia tepor ille soleret esse caussa istius fulgoris. Quale phænomenon, terrarum forte, quæ sole ardentiore uruntur, intelligendum sit, ignoro. Ne vero istum fulgorem facium in castris Darii fuisse credas, licet hanc caussam referat Plutarchus: nam tertio ante prælium die, castra Darii ad minimum sexaginta stadia ab Alexandro aberant; atque Alexander non noctu, sed interdio proficiscebatur; denique eam ipsorum Macedonum quoque, novitate rei attonitorum, opinionem

Darii castris splendere, velut illati temere præsidiis,
credebant. Quod si perculsis Mazæus, qui præsidebat 15
itineri, supervenisset, ingens clades accipi potuit;
nunc dum ille segnis in eo, quem occupaverat, tu-
mulo sedet, contentus non lacessi, Alexander, cognito 16
pavore exercitus, signum ut consisterent dari, ipsos
arma deponere, ac levare corpora jubet: admonens,
nullam subiti caussam esse timoris; hostem procul
stare. Tandem compotes sui pariter arma et animos 17
recepere: nec quidquam ex præsentibus tutius visum
est, quam eodem loco castra munire. Postero die Ma- 18
zæus, qui cum delectis equitum in edito colle, ex
quo Macedonum prospiciebantur castra, consederat,
sive metu, sive quia speculari modo jussus erat, ad
Darium rediit. Macedones eum ipsum collem, quem 19
deseruerat, occupaverunt: nam et tutior planitie erat,
et inde acies hostium, quæ in campo explicabatur,
conspici poterat. Sed caligo, quam circa humidi effu- 20

vanam esse docet Alexander. — *Velut illati temere præsidiis*. Scil. persicis. Credebant se jam intra Darii castra versari, nec opinantes in hostium præsidia incidisse. *Cunze* hæc verba adscititia esse putat, sed Schmiedero, et mihi caussa gravis, cur hæc pro glossemate habenda sint, adesse non videtur.

15. *Nunc dum*. Utrumque ex quinque Codd. restituit *Schmieder*, immutata paulisper interpunctione.

16. *Ipsos arma ponere*. Multi Codd. *ante ipsos*, h. e. πρὸ τῶν πεδῶν. Freinsh. conjecit *antesignanos arma ponere*, Polyæno suffragante. — *Levare corpora*. Ipsa armorum depositione. Sed Freinsh. mavult: *levari torpore*. Mox pro *timoris* multi Codd. *terroris*.

17. *Recepere*. Sex Codd. *recipere*.

18. *Postero die Mazæus*. Hoc est, secundo die ante prælium. Res eadem jam supra narrata est § 1 et 5. Hoc eodem die, quo castra utriusque regis sexaginta stadia distabant, prospectum e castris alteris in altera propter colles intermedios non permissum fuisse, testatur Arrianus quoque III, 9, 5, quamvis de castris separatis Mazæi nihil sciat. Tum eosdem colles occupabat Alexander, atque inde liber erat prospectus oculorum in vastam planitiem atque castra Darii.

20. *Sed caligo*. Nebulæ quæ ex vicinis montibus humidis se diffuderant, non eripuerunt quidem confusum universi exercitus hostilis aspectum, sed aciei distributionem ac dispositionem cerni non sivit. Ea erat caligo, quæ sæpius, oriente mane, oritur, et quam vocamus, *brouillard*.

derant montes, universam quidem rei faciem non
abstulit: ceterum, agminum discrimina atque ordinem
prohibuit perspici. Multitudo inundaverat campos;
fremitusque tot millium etiam procul stantium aures
21 impleverat. Fluctuari animo rex, et modo suum,
modo Parmenionis consilium sera æstimatione per-
pendere; quippe eo ventum erat, unde recipi exerci-
22 tus, nisi victor, sine clade non posset. [Itaque, dissi-
mulato eo, mercenarium equitem ex Pæonia præcedere
23 jubet. Ipse phalangem, sicut antea dictum est, in duo

21. *Parmenionis consilium.* Vide supra, c. 11, 11. Sed quam digniora Alexandro narravit Arrianus, nihil, sicut Curtius, de sera æstimatione ac metu regia fingens! Alexandro, quum jam transiret illos colles, Parmenio et alii ducum convocatorum persuaserunt, ut hoc die, castris ibidem positis, locum omnem, in quo prælium committendum esset, atque aciem ipsam hostium diligentius exploraret. Quod quum fecisset, duces suos hortatur. Nocte insequente, rejicit Parmenionis de prælio nocturno consilium, ac postero die, acie sua instructa, in hostem recta contendit. — *Sine clade.* Multi scribunt: *aut sine clade.* Sed *aut* delevimus, probante Schmiedero. Hæc enim vocula abest a septem Codd. et abesse debet. Ordo est: unde exercitus sine clade recipi non posset, nisi victor. Post *posset*, legebatur in edd. *Movebat etiam eum multitudo hostium, respectu paucitatis suæ gentis; sed interdum reputabat, quantas res cum hac gente gessisset, quantosque populos fudisset. Itaque quum spes metum vinceret, periculosius bellum differre ratus, ne desperatio suis cresceret....* Sed hæc omnia ex Justino, XI, 9, inculcata esse primus vidit Modius. Absunt etiam a Codd. melioribus. Ea ergo delevi iis de caussis, quas exposui ad II, 16. Cætera vero usque ad *contenderent* uncis cum Schmiedero includenda curavi. Cur vero ipse fecerit, in sequenti nota explicat, quam ad verbum transcribo. — *Mercenarium ex Pæonia præcedere jubet.* Quorsum? Nonne, paucis interjectis, Alexander in eodem tumulo, in quo tum erat, ex quo mercenarii equites procedere debuissent, castra muniri jussisse narratur? nonne postero demum die ex iisdem castris exire copias jubet, aciemque disponit? c. 13, 26. Qui potuissent igitur jam tum Macedones cursu in hostes, triginta stadia remotos, contendere? Accedit et mancam esse orationem in verbis *dissimulato eo*, ubi, si Curtii essent, pro *eo* vel *pavore* vel *metu* legendum esset; eamque hiulcam quoque in *melius adhuc ratus*, ubi unus modo Codex: *Alexander melius adhuc ratus.* Quid multis moror? Omnis locus, non solum a *movebat* ad *cresceret*, sed sequentia etiam ad *contenderent* usque aliunde inculcata sunt. Priora in Justino ad verbum fere inveniri dixi; posteriora non inveniuntur, at omnia ex Trogo Pompeio esse persuasus sum. Omnia non de prælio apud Gaugamela, sed de principio conflictus issici intelli-

cornua extenderat: utrumque cornu equites tegebant. Jamque nitidior lux, discussa caligine, aciem hostium ostenderat : et Macedones, sive alacritate, sive tædio exspectationis, ingentem, pugnantium more, edidere clamorem : redditus et a Persis nemora vallesque circumjectas terribili sono impleverat. Nec jam contineri 24
Macedones poterant, quin cursu quoque ad hostem contenderent.] Melius adhuc ratus in eodem tumulo castra munire, vallum jaci jussit: strenueque opere perfecto, in tabernaculum, ex quo tota acies hostium conspiciebatur, secessit.

XIII. Tum vero universa futuri discriminis facies 1

genda sunt. De prioribus (a *movebat* ad *cresceret*) certissimum hoc est ex Justino; de posterioribus ex verbis ipsis res liquet. Nam in acie Alexandri issica *Pæones præcedebant* equitem gravis armaturæ. Arrian. II, 9, 3, ibidem *phalanx in duo cornua extensa erat*, *utrumque cornu equites tegebant*. Vide supra lib. III, c. 9, 7, 8, et notam ad III, 9, 2: *nitidior lux, discussa caligine, aciem hostium ostenderat*, quia Alexander ὑπὸ τὴν ἕω κατῄει ex pylis Syriis contra Darium. Arrian. II, 8, 3. Si hæc de *caligine discussa* ad § 10, et illa *de phalange in cornua extensa* ad § 3, hujus capitis respicere putas, memineris istam ipsam rerum narratarum similitudinem fuisse caussam, cur alienus locus inculcaretur. De *clamore a Macedonibus* apud Issum *edito*, *a Persis repetito*, vide notam ad lib. III, 10, 2. Circa Issum erant *nemora vallesque*, quæ terribili sono clamantium impleri poterant; vide supra III, 10, 2. Apud Gaugamela vero nec nemora nec valles erant; ne stirpes quidem (ut Curtius supra lib. IV, 9, 10), et brevia virgulta operiebant solum, liberque prospectus oculorum et *ad ea, quæ procul recessere*, permittebatur. Collis vero triginta stadia a castris Darii remotus (Arrian. III, 9, 6), quem Alexander occupabat, nec arboribus obsitus esse, nec aliud quid esse potuit, quam locus in vasta planitie aliquantulum editus. Denique apud Issum quoque *Macedones*, quum intra teli jactum perventum esset, *cursu ad hostem contendebant*. Vide not. ad III, 10, 3. Vera igitur omnia sunt, si de prælio issico, falsa et reliquæ narrationi contraria, si de prælio ad Gaugamela intelliguntur. Si omnia, quæ indicavi, insititia sunt, et nihil mutandum est in *dissimulato eo*; nam *eo* respicit ad *metum*, quod verbum præcessit; et reliqua sàtis cohærent; nam *ratus* § 24, respicit ad *rex* § 21.

24. *Vallum jaci*. Aggerem circum castra duci. Pro *secessit*, non pauci habent *successit*.

1. *Universa futuri discriminis facies*. Hoc est, et locus, in quo, et acies hostium, cum qua confligendum erat. *Apud hostem*, quod paulo post sequitur, sunt qui deleant, tamquam glossam.

in oculis erat: armis insignibus equi virique splende-
bant; et, omnia intentiore cura præparari apud ho-
stem, sollicitudo prætorum agmina sua interequitan-
2 tium ostendebat; ac pleraque inania, sicut fremitus
hominum, equorum hinnitus, armorum interniten-
tium fulgor, sollicitam exspectatione mentem turba-
3 verant. Igitur, sive dubius animi, sive ut suos experi-
retur, consilium adhibet, quid optimum factu esset,
4 exquirens. Parmenio, peritissimus inter duces artium
belli, furto, non prælio opus esse censebat: intem-
pesta nocte opprimi posse hostes; discordes moribus,
linguis, ad hæc somno et improviso periculo territos,
5 quando in nocturna trepidatione coituros? At interdiu
primum terribiles occursuras facies Scytharum Bac-
trianorumque: hirta illis ora et intonsas comas esse;
præterea eximiam vastorum magnitudinem corporum;
vanis et inanibus militem magis, quam justis formi-
6 dinis caussis moveri. Deinde tantam multitudinem
circumfundi paucioribus posse; non in Ciliciæ angu-
stiis et inviis callibus, sed in aperta et lata planitie di
7 micandum fore. Omnes ferme Parmenioni assentie-

2. *Ac pleraque inania.* Hoc est, multæ res, quæ alias non tanti sunt, ut metum injicere possint — *Sicut*, exempli caussa, melius scribitur h. l. separatim *sic ut.* — *Sive dubius*, etc. Arrian. III, 10, paulo aliter rem tradidit. Plutarc. Alex. Vit. neutri, neque Curtio, neque Arriano consentit.

4. *Furto, non prælio.* Insidiis, non aperto certamine utendum esse.

5. *Terribiles occursuras facies Scytharum.* Scytharum mos erat alere comam ἐπὶ τὸ φοβερὸν, ut ait Plutarch. Crass. c. 44, de Parthis, qui morem istum patrium retinuerant. Cæterum, cum Schmiedero fatendum est, quamvis hæc respectu ad militem gregarium, qui vanis magis, quam justis formidinis caussis movetur, dicantur, nimis tamen puerilia esse, nec digna duce inter arma senescente, nec milite, jam sæpius victore.

6. *Tantam multitudinem* Persarum *circumfundi paucioribus posse*, circumire pauciores Macedonas posse. Gualterus ita h. loc. expressit: « Addit et a paucis hominum tot millia gentis Non circumfundi, nec bello posse moveri. » Inde Loccenius inserendum putavit *non*. Sed *paucioribus* casu tertio et *circumfundi* sensu reciproco potius sumendum videtur. — *Dimicandum*

bant : Polypercon haud dubie in eo consilio positam
victoriam arbitrabatur ; quem intuens rex (namque 8
Parmenionem nuper acrius, quam vellet, increpitum,
rursus castigare non sustinebat) : « latrunculorum, in-
quit, et furum ista solertia est, quam præcipis mihi :
quippe illorum votum unicum est fallere. Meæ vero 9
gloriæ semper aut absentiam Darii, aut angustias loco-
rum, aut furtum noctis obstare non patiar : palam luce
aggredi certum est ; malo me fortunæ pœniteat, quam
victoriæ pudeat. Ad hæc, illud quoque accedit, vigilias 10
agere barbaros, et in armis stare, ut ne decipi quidem
possint, compertum habeo ; itaque ad prælium vos pa-
rate. » Sic incitatos ad corpora curanda dimisit. Darius 11
illud, quod Parmenio suaserat, hostem facturum esse
conjectans, frenatos equos stare, magnamque exerci-
tus partem in armis esse, ac vigilias intentiore cura
servari jusserat ; ergo ignibus tota ejus castra fulgebant.
Ipse cum ducibus propinquisque agmina in armis stan- 12
tium circumibat, Solem Mithren, sacrumque et æter-
num invocans ignem, ut illis dignam vetere gloria
majorumque monimentis fortitudinem inspirarent. Et
profecto, si qua divinæ opis auguria humana mente 13

fore. Alii, *dimicarent*. Hinc Scheffe-rus fecit *dimicari*.

8. *Acrius increpitum*. Conf. supra IV, 11, 14. — *Latrunculorum*, etc. Ap. Arr. l. l. ita respondet Alexand. : αἰσχρὸν εἶναι κλέψαι τὴν νίκην, ἀλλὰ φανερῶς καὶ δίχα σοφίσματος χρῆναι νικῆσαι Ἀλέξανδρον. Idem fere Plut. l. l. tradit. Uterque auctor testatur, multis hoc responsum temerarium atque arrogans visum fuisse. Arrianus tamen multus est in ejus laude. — *Præcipis*. Quidam *quam præitis ;* alii *quam præcipitis mihi*. Cum uno Cod. Freinshemioque et Schmiedero prætuli *præcipis*, ut Parmenioni parcatur.

9. *Aut absentiam Darii*. Ut in prælio ad Granicum ; *aut angustias locorum*, ut altero prælio juxta Ciliciæ fauces. — *Furtum noctis*. Hoc est, nocturnum et furtivum prælium. — *Malo me*. Malo minus prospere pugnare, quam turpiter vincere. Vid. *Racine*, *Alexand.*, *trag.*, a. IV, sc. 2.

11. *Tota castra*. Dicta sunt pro universa acie in armis stantium ; cf. notam ad c. 12, 13.

12. *Mithren*. Solem, quem præcipue Persæ adorabant. Vox persica, uti e Xenophonte, Plinio et aliis constat.

concipi possent, deos stare secum; illos nuper Mace-
donum animis subitam incussisse formidinem : adhuc
lymphatos ferri agique, arma jacientes : expetere præ-
sides Persarum imperii deos debitas e vecordibus
14 pœnas. Nec ipsum ducem saniorem esse; quippe ritu
ferarum prædam modo, quam expeteret, intuentem,
in perniciem, quæ ante prædam posita esset, incur-
rere. Similis apud Macedones quoque sollicitudo erat :
noctemque, velut in eam certamine edicto, metu ege-
15 runt. Alexander, non alias magis territus, ad vota et
preces Aristandrum vocari jubet. Ille in candida veste,
verbenas manu præferens, capite velato, præibat pre-
ces regi, Jovem, Minervam, Victoriamque propitianti.
16 Tunc quidem sacrificio rite perpetrato, reliquum noctis
acquieturus in tabernaculum rediit. Sed nec somnum
capere, nec quietem pati poterat; modo e jugo montis
aciem in dextrum Persarum cornu demittere agitabat;
modo recta fronte concurrere hosti : interdum hæsitare,
an potius in lævum torqueret agmen? tandem grava-
tum animi anxietate corpus altior somnus oppressit.

13. *Lymphatos.* Vide IV, 12, 14. Et in hoc cadit, quod Acidalius nutat ad c. 14, 14. Num verisimile est, Darium de subito terrore Macedonum certiorem factum fuisse : nec quadrare in Macedones, propter terrorem discurrentes, phrasim *ferri agique*, quæ de præda solemnis est, existimat *Schmieder*. *Feruntur*, quæ portari possunt; *aguntur* pecora et servi. — *Noctemque*, noctem in formidine transegerunt, quasi hæc ipsa pugnæ destinata esset.

15. *In candida veste.* Solemnis mos Romanorum, sacra sic peragi. Ovid. Fast. I, 79 : « Vestibus intactis Tarpeias itur ad arces, Et populus festo concolor ipse suo est. » Apud Græcos quoque plurimus usus albæ vestis. In Panathenæis nefas atra veste spectari. *Verbenæ* sunt gramen et herbæ puræ e sacro luco evulsæ, rami, virgæ, frondes sacrarum arborum. *Capita velare* erat ritus precantium. *Præire alicui preces* ex Romanorum moribus, quos Curtius interdum ad res græcanicas transtulit, est sacerdotis, qui verba precationis concipit, ab iis, qui precantur, repetenda. — *Jovem, Minervam Victoriamque.* Plut., cap. 31, auctore, *Metui* sacra fecit, aliaque sacra ἀπόῤῥητα.

16. *E jugo montis.* E colle, quem occupaverat. — *Altior somnus oppressit.* Hanc rem, Arriano excepto, omnes testantur, Plut. Alex., Diodor. XVII, 56; Justin. XI, 13; Sueton.

Jamque luce orta, duces ad accipienda imperia conve- 17
venerant, insolito circa prætorium silentio attoniti;
quippe alias arcessere ipsos, et interdum morantes 18
castigare assueverat : tunc ne ultimo quidem rerum
discrimine excitatum esse mirabantur; et non somno
quiescere, sed pavore marcere credebant. Non tamen 19
quisquam e custodibus corporis intrare tabernaculum
audebat : et jam tempus instabat; nec miles, injussu
ducis, aut arma capere poterat, aut in ordines ire. Diu 20
Parmenio cunctatus, cibum ut caperent ipse pronunciat. Jamque exire necesse erat : tunc demum intrat

de Augusto in vita, c. 16, 3 : « Sub horam pugnæ tam arcto repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur. » Omnibus occurrunt animis illa quæ prædicabat de magno Condæo magnus ille nostras *Bossuet:* « A la nuit qu'il fallut passer en « présence des ennemis, comme un vi« gilant capitaine, il reposa le dernier; « mais jamais il ne reposa plus paisi« blement. A la veille d'un si grand « jour, et dès la première bataille, il « est tranquille; tant il se trouve dans « son naturel! et on sait que le lende« main, à l'heure marquée, il fallut ré« veiller d'un profond sommeil cet au« tre Alexandre. » *Ora son funèbre.*

17. *Luce orta.* Dies prælii non certo constat, propter auctorum discrepantiam. Accidit prælium medio ann. 331 a. Chr. Ol. 112, 2. — *Alias.* De vigilantia Alexandri singulare est quod narrat Marcellin. XVI, 6 : « Ille namque ænea concha supposita, brachio extra cubile protento, pilam tenebat argenteam, ut, quum nervorum rigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum. »

19. *E custodibus corporis.* Custodum corporis potissimum duo erant genera. Alii custodes erant pueri nobiles (*Pages*), qui apud regem famulitio fungebantur, de quibus, præter alios, vide Curt. V, 1, 42, et 8, 6. Alii erant principes ducum Alexandri, e quibus sæpe terrarum devictarum satrapæ ac magnorum exercituum duces eligebantur; de quibus vid. Arrian. Exp. VI, 28. Nomen inde habere videntur, quod ipsi quoque, per vices, ad cubiculi regii limen excubabant, Curt. VIII, 6, 22. Præter hos utrosque, in scriptoribus de Alexandro alii interdum corporis custodes occurrere videntur, nempe militum aliquod agmen (*gardes-du-corps*). Sed, ni fallor, plerumque simpliciter isti pueri intelligi possunt, qui, et numero non erant pauci, et ætate jam satis provecti, ut regem in prælia quoque comitari possent. Sic enim Curt. lib. V, 1, 4: *Amyntas adduxerat L principum Macedoniæ liberos adultos ad custodiam corporis.* Et l. VIII, 6 : *comitabantur regem et venantem, et in præliis.* Potest interdum etiam *peditum agema* (οἱ ὑπασπισταί) intelligi, de quo paullo post. — *Tempus instabat* e castris exeundi, et instruendi aciem.

tabernaculum; sæpiusque nomine compellatum, quum
21 voce non posset, tactu excitavit. « Multa lux, inquit,
est; instructam aciem hostis admovit : tuus miles adhuc inermis exspectat imperium. Ubi est vigor ille ani-
22 mi tui? nempe excitare vigiles soles. » Ad hæc Alexander:
« Credisne, me prius somnum capere potuisse, quam
exonerarem animum sollicitudine, quæ quietem mo-
23 rabatur? » signumque [pugnæ] tuba dari jussit. Et
quum in eadem admiratione Parmenio perseveraret quod securus somnum cepisset; « Minime, inquit, mirum est; ego enim, quum Darius terras ureret, vicos excideret, alimenta corrumperet, potens mei non eram: nunc vero quid metuam, quum acie decernere paret?
24 Hercule, votum meum implevit. Sed hujus quoque consilii ratio postea reddetur : vos ite ad copias, quibus quisque præest; ego jam adero, et quid fieri velim
25 exponam. » Raro admodum admonitu amicorum, quum

22. *Signumque pugnæ*. Secunda vox deest in Cod. Theocr. Signum dedit Alexander ex castris exeundi.

23. *Quod securus somnum cepisset*. In nostris Regg. Codd. legitur : *quod solutum se curis somnum cepisse dixisset*. — *Votum meum*. Id erat, ut Darius omnes suas copias in unum locum congregaret, neque divisis illis bellum traheret. Vid. Plutarch., Diod. et Justin. ll. ll. Tetigit eleganter hanc historiam Sidon. IX, 57, ubi de Dario sic : « Qui quum maxima bella concitasset, Tota et Persidis undique gregatæ Uno constituisset arma campo; Hoc solum perhibetur assecutus, Dormire ut melius liceret hosti. »

24. *Sed hujus quoque consilii*. Non video, cujus? num *consilii* ex glossa sit, ut ad *hujus* intelligendum sit *voti*? Ex Curtii opinione, Alexandri metuentis, ne Darius interiora regni sui peteret, sequendusque esset per loca omni solitudine atque inopia vasta (c. 9, 13), votum erat, ut Darium assequeretur.

25. *Raro admodum admonitu amicorum*, etc. Locum hunc corruptissimum alii aliter exhibent, v. c. *admon. agéas amicor. quam metu discriminis adeundum erat uti*; al. *admon. agitis amicor. quam metu discriminis adeundum erat utique*; al. *admon. amicor. quin metu discr. ad eund. erat ut*. Mira hæc lectionis varietas movet suspicionem, periodum suo loco non esse : cum Cunzio illam merum glossema puto, quod librarius, bene memor illorum, quæ supr. IV, 6, 14, dicta sunt, sequentibus *Tunc quoque*, etc. addiderat et quidem hoc modo : *r.* (rex) *eo modo admonitu amicorum, quum metus discriminis aderat, uti solebat*. Verba, inquit, priora *r. eo*

metus discriminis aderat, uti solebat. Tunc quoque,
munimento corporis sumpto, processit ad milites. Haud
alias tam alacrem viderant regem : et vultu ejus inter-
rito, certam spem victoriæ augurabantur. Atque ille, 26
proruto vallo, exire copias jubet, aciemque disponit.
In dextro cornu locati sunt equites, quos agema appel-
lant; præerat his Clitus; cui junxit Philotæ turmas,
ceterosque præfectos equitum lateri ejus applicuit.
Ultima Meleagri ala stabat; quam phalanx sequebatur. 27

modo facile mutari potuerunt in: *raro admodum.* Si *admonitu uti alicujus* latine dici posset pro *admonere aliquem*, sententia esset plana; nempe: paucis cohortatus duces, ad milites processit. Sed merito interpretes vulgatam vix ferendam judicarunt. Schmieder ad Freinshemii, vestigia veteris scripturæ Codd. prementis, conjecturam inclinans, legere mallet: *Raro admodum, admanitu magis amicorum, quam metu discriminis, quad adeundum erat, uti solebat munimento corporis. Tum quoque sumpto, processit ad milites*, etc. Huic quoque interpretationi favet *Tellier*, et quum mei Regg. Codd. nihil ad illustrandum sensum exhibeant, hanc ego quoque ceteris anteferam.

26. *Proruto valla.* Sic scripsi cum pluribus Codd. pro *prorupto.* — *In dextro cornu.* Alexandri acies a Curtio æque male descripta est, ac Darii. Emendanda est ex Arriano III, 11, 12, et in talibus describendis diligentissimo: notas Schmiederi, qui rem omnem multa cum laude illustravit, ut supra, transcribam. — *Quos agema appellant.* Pauca de hoc scripta sunt supra ad III, 9, 8. Confer quoque Excurs. I ad lib. III. Primi inter equites Alexandri erant *equites amici*, *τῶν ἱππέων οἱ ἑταῖροι*, apud Gaugamela in dextro cornu locati. Erant eorum octo alæ, quarum prima, numero circiter trecentorum equitum, *ala regia*, sive *agema equitum* (nam erat agema quoque peditum) appellabatur. Huic apud Gaugamela præerat Clitus, Dropidæ filius. Ad cujus lævam sequebantur apud Gaug. alæ Glauciæ, Aristonis, Sopolidis, Heracliti, Demetrii, Meleagri, atque Hegelochi, singulæ circiter ducentorum equitum. Omnibus præerat Philotas, Parmenionis fil. Alia igitur Curtius recte, alia male scripsit. Male, quod Philotæ turmas ab agemate Cliti, et equitibus ceterorum præfectorum disjunxit, quum Philotas omnibus præesset. Scil. turbatus etiam est fons ejus, ut ex Diod. XVII, 57, palam est. Male quoque, quod Meleagri alam, quæ penultima erat, ultimam dixit.

27. *Quam phalanx sequebatur.* Vox *phalanx* diversa significat; inter alia, universam aciem peditum gravioris armaturæ, interdum etiam unum peditum agmen, addito ducis nomine, ut ab reliquis agminibus distinguatur, ex. e. Crateri phalanx, Simmiæ phalanx. Nullius vero peditum inter Macedonas, agminis nomen proprium erat *phalanx*, sicut inter equites vox *agema*. Male igitur Curtius simpliciter dixit *phalanx sequebatur*. Intelligendum au-

Post phalangem Argyraspides erant; his Nicanor Par-
28 menionis filius præerat. In subsidiis cum manu sua Cœnos : post eum Orestes Lyncestesque. Post illos

tem est id peditum agmen, quod *agema peditum*, sive *agema hypaspistarum* appellabatur, atque tria circiter millia continebat. — *Post phalangem argyraspides erant.* Post agema peditum, sequebatur aliud agmen trium millium, quod οἱ ἄλλοι ὑπασπισταὶ appellari solet. Omnibus hypaspistis, et agemati, et reliquis, præerat *Nicanor*, Parmenionis fil. Posteriores intelligendi sunt sub *Argyraspidibus* Curtii, utrique sub Argyraspidibus Diodori, c. 57, quem ille non satis capiens, phalangem et argyraspidas diversa esse credidit. Sed si Justinum evolveris, lib. XII, 7, et nostrum infra VIII, 5, 4, Alexandrum videbis, quum Indiam ingressurus esset, scutis militum argenteas laminas addidisse. Neuter adjecit, utrum parti tantum militum; videtur enim omnibus. Igitur vel omnium scutis laminæ argenteæ additæ sunt; tum unicum agmen nomine hoc ornari non debuit; vel scutis unius tantum agminis; tum per prolepsin Argyraspides vocati sunt, qui apud Gaugamela alio nomine utebantur.

28. *In subsidiis cum manu sua Cœnos.* Hæc et quæ sequuntur, Curtii ipsius culpa corruptissima sunt. Veriora præmittere, posthæc de Curtii erroribus loqui placet. Hypaspistas sequebatur tertium agmen peditum, gravissimæ armaturæ, quod κατ' ἐξοχὴν *pedites amicos*, τοὺς πεζεταίρους appellare solent; quorum sex erant agmina, sive τάξεις millenorum militum. Conf. supra ad III, 9, 7. Singulæ a dextra ad lævam ap. Gaug. parebant Cœnu, Perdiccæ, Meleagro, Polyperconti, Amyntæ, et Cratero. Omnibus præerat Craterus idem. Ex his quid fecit Curtius? Cœnos cum manu sua *in subsidiis* est. Scilicet non intellexit Curtius græca auctoris sui, scribentis vel ἐπὶ δὲ, vel ἐπὶ τούτοις, vel μετὰ τούτους, vel, ut Diod. habet : ὄπισθεν δὲ τούτων ὑπετάγη, quod vertendum erat: *post hos in eadem acie et fronte*, quia Græci in describenda acie ab altero cornu ad alterum progredi solent. Posthæc scripsit *Orestes*, gentile pro nomine proprio; nam Perdiccas, qui intelligendus est, erat Orestes, sive ex Orestide, regione Epiri. *Lyncestes* iterum est nomen gentile pro proprio. Sed fortasse nihil latet, nisi male intellectus locus Diodori, qui ejus τάξεως, quæ ex Orestis et Lyncestis conscripta erat, ducem fuisse Perdiccam tradidit. Forte igitur legendum est *Orestæ Lyncestæque. Polypercon* deinde non erat dux peregrini militis, sed quartæ τάξεως peditum amicorum, ex Stymphæis conscriptæ. Eorumdem quintæ, non peregrino militi, præerat *Amyntas*, cujus tum absentis (nam ad supplementa conducenda in Macedoniam missus erat) locum Simmias tenebat. Unde pro *hujus agminis* forte legendum est: *Simmias agminis Amyntæ princeps erat.* Posthæc, si addit: *Philagus Balacras regebat, in societatem nuper adscitos* sive *accitos*, ut Cod. Th., miro modo et novum ducem, et novam gentem effinxit. Nempe Diodorus, hac in parte ab Arriano discedens, pro Amynta, et Simmia, locum illius tenente, *Philippum* aliquem, *Balacri filium*, cum agmine suo post Polypercontem stetisse tradidit. Ex his vix satis oculis perlustratis Curtius sua fecit, et citata manu conscripsit.

Polypercon, dux peregrini militis; hujus agminis
Amyntas princeps erat. Philagus Balacros regebat, in
societatem nuper adscitos. Hæc dextri cornu facies
erat. In lævo, Craterus Peloponnensium equites ha- 29
bebat, Achæorumque; et Locrensium, et Maleon tur-
mis sibi adjunctis; hos Thessali equites claudebant,
Philippo duce. Peditum acies equitatu tegebatur;
frons lævi cornu hæc erat. Sed, ne circumiri posset a 30
multitudine, ultimum agmen valida manu cinxerat;

29. *Hæc dextri cornu facies erat.* Minime; universa acies in duo cornua divisa erat; dextrum tenebat Philotas cum equitibus amicis, et Nicanor cum agemate peditum et reliquis hypaspistis. His junctum erat cornu lævum, et proximi hypaspistis erant ex pezetæris Cœni pedites; tum reliquorum; quibus omnibus Craterus præfectus: sequebantur equites sociorum sub Erigyio, et Thessalorum sub Philippo. Universum dextrum regebat Alexander ipse; universum lævum Parmenio. Sic clare Arrianus. Meliora Curtium quoque legisse, quam scripsisse, ex sqq. patet. Nam in lævo cornu Craterum locat, nescius eum ipsum pezetæron, quos male dextro cornu adjunxerat, ducem fuisse. Igitur, omisso nomine Erigyii, Craterum equitibus sociis præfectum dixit. Sic alius alium errorem trahit. Quos equites Arrianus universim *sociorum* dixit, eosdem Diodorus et Curtius pro gentibus distinxerunt. Neuter quidem satisfacit. Distinxerunt enim *Peloponnenses*, et *Achæos*, qui ipsi quoque Peloponnenses erant. Adjecerunt *Maleon* turmam: lege cum Diodoro *Malieon*. Malienses autem erant Thessali, quorum igitur turmam non sociis Erigyii, sed Thessalis Philippi adjunctam fuisse verosimilius est. Diodorus etiam Phthiotas addit, atque Phocenses. Sequentia Curtii rectius forte sic invertenda sunt, ut post *Philippo duce* legatur: *frons lævi cornu hæc erat. Peditum* igitur *acies equitatu tegebatur* (nempe a dextra equitibus amicis, a læva sociis ac Thessalis); *sed ne circumiri posset* non peditum solum, sed universa acies et peditum et equitum, etc. Si nihil transponis, *peditum acies* de lævo cornu interpretanda est.

30. *Ultimum agmen valida manu cinxerat.* Operam dabo, inquit *Schmieder*, ut in has quoque tenebras lucem afferam. Alexander cornua dupliciter firmaverat, copiis levis armaturæ partim recta fronte, partim a latere ἐς ἐπικαμπτὴν (ad inflexionem) primæ aciei appositis. De prioribus loquitur Curtius his: *ultimum agmen*, non lævi, sed dextri cornu, *valida manu cinxerat*, h. e. in dextro cornu, juxta agema equitum, recta fronte apposuerat dimidiam partem Agrianorum, sagittariorumque, atque Balacri jaculatores; in lævo vero cornu, juxta equites Thessalos, nulli recta fronte appositi memorantur. De posterioribus scripsit sic: *cornua quoque subsidiis firmavit, non recta fronte, sed a latere positis*, h. e. alios ita locavit, ut in dextro cornu latus eorum lævum in terga equitum amicorum spectaret, in lævo latus

cornua quoque subsidiis firmavit, non recta fronte, sed a latere positis; ut, si hostis circumvenire aciem
31 tentasset, parata pugnæ forent. Hic Agriani erant, quibus Attalus præerat; adjunctis sagittariis Cretensibus. Ultimos ordines avertit a fronte, ut totam aciem orbe muniret. Illyrii hic erant: adjuncto milite mer-
32 cede conducto. Thracas quoque simul objecerat leviter armatos; adeoque aciem versatilem posuit, ut, qui

eorum dextrum in equites Thessalos. Horum frons tum demum hosti obvertebatur, si ipsa cornua circumveniret. In dextro cornu, ad inflexionem locati erant reliqua pars dimidia *Agrianorum* sub Attalo, *sagittarii* sub Brisone, et alii, quos h. l. Curtius neglexit, nempe *socii prisci* sub Cleandro, *prodromi* sub Arete, *Pæones* sub Aristone, atque *equites mercenarii* Menidæ. In cornu sinistro, a latere positi erant *Thraces* Sitalcæ, *socii* sub Cœrano, *Odrysæ* sub Agathone, *mercenarii* Andromachi, omnes equites. De quibus Curtius sic: *Illyrii hic erant*, etc. Sed, si mihi credis, et hic aliqua transponenda sunt. Lego: *Hic Agriani erant, quibus Attalus præerat, adjunctis sagittariis Cretensibus; Illyrii (hic erant), adjuncto milite mercede conducto. Thracas quoque simul objecerat leviter armatos. Ultimos ordines avertit a fronte, ut totam aciem orbe muniret, adeoque (aciem) versatilem posuit, ut, qui ultimi stabant, ne circumirentur, verti tamen et in frontem circumagi possent.* Quæ hic de ultimis ordinibus a fronte aversis dixit, intelligenda sunt de phalange peditum, utrimque equitibus cincta; quam, ut clare dixit Arrianus, Alexander *amphistomon* fecerat. Phalanx amphistomos vocatur, quæ dimidiam partem virorum aversam habebat a se mutuo, sic ut terga sibi obverterent. Arr. Tactic. c. 39. Macedonum igitur phalanx, si sedecim constabat ordinibus, ita ordinata erat, ut principio quidem omnes sedecim ordines recta fronte in hostes procederent; simul ac autem hostis a tergo conspiceretur, *ultimi ordines*, h. e. octo ordines posteriores ita verterentur, ut prioribus terga obverterent, hoc est, *averterentur a fronte*: atque sic factum est, ut tota acies quasi *orbe muniretur*, aliis in prima acie, aliis a lateribus, aliis a tergo primorum frontem hostibus offerentibus. Sic *acies posita erat versatilis, ut, qui ultimi stabant* (posteriores ordines), *verti tamen* (quamvis essent ultimi), *et in frontem circumagi possent* (nempe in frontem, circumvectis hostibus obversam), *ne circumirentur*, h. e. ne terga eorum cædi possent. *Itaque non prima* (h. e. frons aciei), *quam latera* (cornua); *non latera* (cornua), *munitiora fuere, quam terga.* Addit Arrianus, totum Alexandri exercitum equites ad 7,000, pedites circiter 40,000 fuisse. Vid. quoque Exc. I ad lib. I. Frontinus, II, 3, 19, de hac ipsa Alexandri acie: « Alexander ad Arbela, cum hostium multitudinem vereretur, virtuti autem suorum fideret, aciem in omnem partem spectantem ordinavit, ut, circumventi, undique pugnare possent. »

ultimi stabant, ne circumirentur, verti tamen, et in
frontem circumagi possent. Itaque non prima, quam 33
latera, non latera munitiora fuere, quam terga. His
ita ordinatis, præcipit, ut, si falcatos currus cum fre-
mitu barbari emitterent, ipsi, laxatis ordinibus, impe-
tum incurrentium silentio exciperent : haud dubius
sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret; sin
autem sine fremitu immisissent, eos ipsi clamore ter-
rerent, pavidosque equos telis utrimque suffoderent.
Qui cornibus præerant, extendere ea jussi, ita ut nec 34
circumvenirentur, si arctius starent, nec tamen me-
diam aciem exinanirent. Impedimenta cum captivis, 35
inter quos mater liberique Darii custodiebantur, haud
procul acie, in edito colle constituit, modico præsidio
relicto. Lævum cornu, sicut alias, Parmenioni tuen-
dum datum : ipse in dextro stabat. Nondum ad teli 36
jactum pervenerant, quum Bion quidam transfuga
quanto maximo cursu potuerat, ad regem pervenit,
nuncians murices ferreos in terram defodisse Darium,

33. *Cum fremitu*. Cum clamore. — *Laxatis ordinibus*. Ut curribus spatium daretur transcurrendi. Pro *occurrentium*, cum plurimis Codd. scripsi *incurrentium*. — *Utrimque suffoderent*. Si per laxatos ordines transcurrerent.

34. *Nec circumvenirentur*. De dextro cornu hoc intelligendum est. Alexander enim, suam aciem obliquam ducens dextram versus, eum cornu suo dextro lævum Darii transire, atque a latere aggredi (*la prendre en flancs*) cupiebat. Itaque dextrum suum extendi jussit (si scilicet vera dixit Curtius), ut singuli militum latius spatium in sua quisque statione occuparent, quo minus ibi circumvenirentur, quo facilius quoque Darii lævum superarent. Cavendum vero erat, ne media acies exinaniretur, quod ibi hostes irrupturi fuissent. Vid. quæ ad suum Arr. III, 13, 2, notavit *Schmied*.

35. *In edito colle*. Sine dubio, eodem, in quo castra habuerat. — *Modico præsidio relicto*. Nempe Thracibus peditibus.

36. *Murices ferreos*. Murices ita parati erant, ut in quam partem inciderent, aliquot aculeos protenderent, fere ut tribuli (*chausses trapes*), quos Vegetius lib. III, cap. 24 describit. Hanc rem Curtius quidem solus tradidit, ex Arriano tamen etiam patet, tale quid ad Alexandrum fuisse allatum. Is enim narrat Alexandrum totam regionem accurate perlustrasse εἰ δή τι ὕποπτον αὐτοῦ, ἢ ἄπορον ἢ,

qua hostem equites emissurum esse credebat : notatumque certo signo locum, ut fraus evitari a suis pos-
37 set. Asservari transfuga jusso, duces convocat : expositoque quod nunciatum erat, monet, ut regionem monstratam declinent, equitemque periculum edo-
38 ceant. Ceterum hoc tantus exercitus exaudire non poterat, usum aurium intercipiente fremitu duorum agminum : sed in conspectu omnium duces, et proximum quemque interequitans alloquebatur.

1 XIV. « Emensis tot terras in spem victoriæ, de qua dimicandum foret, hoc unum superesse discrimen; Granicum hic amnem, Ciliciæque montes, et Syriam Ægyptumque præeuntibus raptas, ingentia spei glo-
2 riæque incitamenta, referebat. Reprehensos ex fuga Persas pugnaturos, quia fugere non possent : tertium diem jam metu exsangues, armis suis oneratos, in eodem vestigio hærere; nullum desperationis illorum

ἢ εἴ ποι τάφροι, ἢ σκόλοπες καταπεπηγότες ἀφανεῖς.

38. *Tantus exercitus*. Plurimi Codd. *hoc tandem exercitus*. Sed totum locum non satis integrum esse, recte viderunt *Ostertag* et *Cunze* legentes : *Ceterum, quod tantus exercitus exaudire non poterat, usum .... agminum, in conspectu sive rex in conspectu*, etc. Si præfectos suos Alexander hurtatus est, multo verisimilius, pridie prælii id factum esse Arrianus, III, c. 9, refert, quam in ipso fere conflictu, *usum aurium intercipiente fremitu duorum agminum.*

1. *Victoriæ*, plenæ, qua Persarum vires penitus infracturi, imperiumque totius Asiæ sibi vindicaturi essent. Arrian. III, 9 : ἐν τῇδε τῇ μάχῃ οὐχ ὑπὲρ κοίλης Συρίας, ἢ Φοινίκης, οὐδὲ ὑπὲρ Αἰγύπτου, ὡς πρόσθεν, μαχουμένους, ἀλλὰ ὑπὲρ τῆς ξυμπάσης Ἀσίας. — *Præeuntibus*. Vel legitur *præeuntibus*, vel *prætereuntibus*. Hoc si præfers, dativus est græcus, pro, *a prætereuntibus* Macedonibus, qui Syriam atque Ægyptum sine multo labore ἐν παρόδῳ cepisse dicuntur : si illud placet, quod in nostris Codd. legitur, ad dativum *præeuntibus* intellige, Persis, h. e. iis Persarum exercitibus, qui hunc præivissent, ereptas esse Syriam Ægyptumque.

2. *Persas reprehensos*. Retractos a se, Alexandro, *ex fuga*, quum huc usque fugissent. Plaut. Bacch. act. II, sc. 3, v. 130 : « Si ergo reprehensus, macto illum infortunio; » id est revocatus a fuga. Eamdem sententiam, iisdem fere verbis expressam, legere est apud Tac. Agric. 34 : « Quosquos tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt novissime. Ideo extremo metu corpora defixere in his

majus indicium esse, quam quod urbes, quod agros suos urerent; quidquid non corrupissent, hostium esse confessi. Nomina modo vana gentium ignotarum 3
ne extimescerent; neque enim ad belli discrimen pertinere, qui ab his Scythæ, quive Cadusii appellentur. Ob id ipsum, quod ignoti essent, ignobiles esse; num- 4
quam ignorari viros fortes : at imbelles, ex latebris suis erutos, nihil præter nomina afferre; Macedones virtute assequutos, ne quis toto orbe locus esset, qui tales viros ignoraret. Intuerentur barbarorum inconditum agmen: 5
alium nihil præter jaculum habere; alium funda saxa

vestigiis, etc. » — *Quidquid corrupissent.* Nullo enim certiore indicio, ut notavit Freinshemius, se prodit obtinendi, quæ occupaveris, desperatio, quam exactionibus, rapinis, atque vastationibus, quæ edi tum solent maxime, ut a festinantibus. Cæterum, Alexander factum illud Persarum callide detorquet in alienam interpretationem. Ipse enim satis noverat, hac ratione Persas, vastatione paucorum, reliqua conservaturus esse. Id ipsis consilium initio belli dederat Memnon; id fecerant Persæ contra Cyrum minorem, Xenoph. Ἀναβάσ. I : Id Fabius dictator bello punico secundo, Liv. XXII, 11. Quid recentiora referam? Omnibus recurrit mentibus hac terrarum vastatione, hoc urbium incendio, immensum imperium ab externo jugo, et a summo forte exitio fuisse nuper (1812) servatum; Martemque illum Gallicum, qui per tot annos invictus indomitusque omnes omnium conatus fregerat, sic primum fuisse fractum.

13. *Qui ab his Scythæ, quive Cadusii.* Neque Persis, neque Macedonibus Scythæ Cadusiique ignoti esse potuerunt, quippe qui ex illo tempore, quo cum Medis et Persis bella gesserant, horrido suo nomine totum pæne terrarum orbem impleverant. Alexandrum autem non ignarum fuisse rerum ab illis gestarum vel inde patet, quod Aristandro (apud Arrian. IV, 4) monenti, ne cum Scythis congrediatur, respondet : κρεῖσσον ἐς ἔσχατον κινδύνου ἐλθεῖν, ἤ, καταστρεψάμενον ξύμπασαν ὀλίγου δεῖν Ἀσίαν, γέλωτα εἶναι Σκύθαις, καθάπερ Δαρεῖος ὁ Ξέρξου πατὴρ πάλαι ἐγένετο. Si itaque Alexander de nominis vanis gentibusque ignotis loquitur, militibus suis persuadet, Scythas Cadusiosque non re vera adesse in Persarum exercitu, sed alios ignobiles homines venditari sub hoc fortissimarum gentium nomine, Persasque, ut terrorem Macedonibus incuterent, populis imbellibus atque ignavis, a latebris suis erutis, nomina illa formidolosa induisse. Per idem stratagema Darius infra IV, 14, 17, militibus suis ostentat, in Alexandri exercitu Macedonum arma, non corpora esse, ne hoc nomen extimescerent. Sed hunc sensum, qui Schmiederi est, in Curtii verbis non satis perspicue apparere arbitror.

5. *Nihil præter jaculum.* Vide apud Herodot. in Polyhymnia, exercitum

librare : paucis justa arma esse. Itaque illinc plures
6 stare, hinc plures dimicaturos. Nec postulare se, ut fortiter capesserent prælium, ni ipse ceteris fortitudinis fuisset exemplum; se ante prima signa dimicaturum: spondere pro se, quot cicatrices, totidem corporis decora : scire ipsos, unum pæne se prædæ communis exsortem, in illis colendis ornandisque usurpare
7 victoriæ præmia. Hæc se fortibus viris dicere. Si qui dissimiles eorum essent, illa fuisse dicturum : pervenisse eo, unde fugere non possent: tot terrarum spatia emensis, tot amnibus montibusque post tergum objectis, iter in patriam et penates manu esse faciendum.»
8 Sic duces, sic proximi militum instincti sunt. Darius in lævo cornu erat, magno suorum agmine, delectis

Xerxis hoc modo descriptum. — *Saxa*, lapides majoris molis, sed ob eam rem minus timendi, quia ipsa illa magnitudo impedimento erat, quo minus longius, atque eum vi pertingerent. — *Justa*, qualia miles bene instructus habere debet. — *Illinc plures*. Hoc sic expressit Justin. XI, 13, 10: « Dario majorem turbam hominum esse; virorum sibi. »

6. *Ni ipse cœteris*. Tertia vox abest a Cod. Theocr. — *Spondere pro se*. Quas gerat in corpore cicatrices, totidem decora corporis, militibus esse debere testes, vades et obsides regiæ virtutis. Quanti Alexander gloriam e vulneribus æstimarit, e Plutarch. de fort. Alexandri II, 13, patet, ubi Philippum patrem claudicationem ex femore, in Triballis hasta transfixo, iniquius ferentem ita consolatur : « Bono animo sis, pater, ac palam progredere, ut ad singulos gressus virtutis tuæ recorderis. » Ipse etiam ejusmodi decora innumera habuit, teste eodem Plut. l. l. *Ἀλεξάνδρου δὲ εἰ μηδὲν ἄλλο, τὸ σῶμα κατατετρωμένον ἐξ ἄκρας κεφαλῆς ἄχρι ποδῶν διακέκοπται, καὶ περιτέθλασται τυπτόμενον ὑπὸ τῶν πολεμίων*. Notavit Freinshem. omnibus magnis imperatoribus res potius quam verba cordi fuisse; et hinc maxime solere hortari suos : Valerius, apud Liv. VII, 32, 1 : « Facta mea non dicta vos, milites, sequi volo: nec disciplinam modo, sed etiam exemplum a me petere. » Julian. apud Marcell. XXIII, 14 : « Adero ubique vobis imperator, et antesignanus, et conturmalis. » Andronicus apud Nicetam, 11 : « Me sequimini paratum una vobiscum perpeti quicquid sors dederit. Imo et in prima acie stabo, ut decebit; et extremum agmen claudam, ubi oportuerit. »

7. *Pervenisse eo*. Alii *pervenisse eos;* sed nostri Codd. *eo*. — *Instincti*. Alii *instructi*. Prior vox eodem sensu occurrit apud Tacitum, Agricol. 35, 2 : « milites instinctos ita disposuit. »

8. *Darius in lævo cornu erat*. Sic etiam Diod. XVII, 59. Sed hoc eam

equitum peditumque stipatus; contempseratque paucitatem hostis; vanam aciem esse extentis cornibus ratus. Ceterum, sicut curru eminebat, dextra lævaque 9
ad circumstantium agmina oculos manusque circumferens; « Terrarum, inquit, quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellespontus, paulo ante domini, jam non de gloria, sed de salute, et, quod saluti præponitis, de libertate pugnandum est. Hic dies imperium, quo 10
nulla amplius vidit ætas, aut constituet, aut finiet. Apud Granicum minima virium parte cum hoste certavimus: in Cilicia victos Syria poterat excipere: magna munimenta regni Tigris atque Euphrates erant. Ven- 11
tum est eo, unde pulsis ne fugæ quidem locus est; omnia tam diutino bello exhausta post tergum sunt: non incolas suos urbes, non cultores habent terræ. Conjuges quoque et liberi sequuntur hanc aciem: parata hostibus præda, nisi pro carissimis pigneribus corpora opponimus. Quod mearum fuit partium, exer- 12
citum, quem pæne inmensa planities vix caperet, comparavi: equos, arma distribui: commeatus, ne tantæ multitudini deessent, providi: locum, in quo acies explicari posset, elegi. Cetera in vestra potestate sunt: 13

ob caussam scriptum est, quod Alexander cum dextro suo in eum incideret. Arrian. III, 13, 1. Re vera Darius ex more regum Persarum in media acie erat, quod etiam ex Arriano probari potest; cf. notam ad IV, 12, 9, et III, 9, 4. — *Vanam aciem.* Tenuem, exilem; vid. supra c. 13, 35; et infra c. 14, 14; *raram* Cod. Theocr.

9. *Circumstantium agmina.* Codd. plurimi et nostri Regg. *circumstantia agmina.* — *Quas Oceanus.* Indicus.

10. *Quo nulla.* Sic dedi cum Schmiedero ex uno Codd. pro *quo nullum.* — *Constituet.* In integrum restitutum firmabit. — *Minima virium parte.* Centum peditum millibus, viginti equitum.

11. *Exhausta.* Non quod ibi gestum fuisset bellum, sed quod incolæ ad militiam abducti fuissent. — *Diutino bello.* Cum Alexandro quidem quadriennali. — *Conjuges et liberi sequuntur.* Ex more antiquo Asiaticorum. Vid. Brisson. lib. III. — *Pro carissimis pigneribus corpora opponimus. Pignera* conjuges et liberi sunt. *Corpus opponere* est tueri ita, ut periculum alterius in nos convertamus.

audete modo vincere; famamque, infirmissimum adversus fortes viros telum, contemnite. Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis: quæ, ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia emisso aculeo,
14 torpet. Hi vero campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciæ montes absconderant; videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam et exhaustam; nam ultimi, quos locavit aversos, terga jam præbent. Obteri mehercule equorum ungulis possunt; etiamsi
15 nil præter falcatos currus emisero. Et bello vicerimus, si vincimus prælio: nam ne illis quidem ad fugam locus est: hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclusos.
16 Et, quæ antea pro illis erant, in contrarium versa sunt.

13. *Primum impetum.* Hoc fuisse vitium Germanis tradidere Tac. Germ. c. 4 et 30; Seneca de Ira I, 11; Florus, III, 3, et inprimis Gallis Liv. X, 28, 4, multique alii; de Parthis Justin. XLI, 2, 8: «Parthi intolerandi forent, si quantus his impetus est, vis tanta et perseverantia esset.» — *Emisso*, non *amisso*. Aristot. de Hist. Anim. III, 12, testatur, apiculam, si percutiat, et infigat aculeum alteri, vel illi evellatur, mori. Alii negant mori, sed torpere, et fucos fieri. Plinium, XI, 17, consule. Hæc Menander: Κέντρον γὰρ πληγῇ περὶ καλλιπεν ἐμπαπίουσα, Κέντρον δὲ ζωῆτι φέρει, θανατοῦντι μελίσση. Livius, XXIII, 42, 4: «Te ad unum modum ictum figentem, velut jaculo (Freinshemius corrigit: veluti aculeo) emisso torpere.»

14. *Hi vero campi.* Mavult Scheff.: *hi vere campi.* — *Deprehendere.* Ob oculos ponere. — *Nam ultimi.* Orationes ducum a Curtio fictas esse, certissimum est; sed sæpe etiam male fictas, jam supra aliquo loco monui. Ad hunc Acidalius notavit hæc: Bonis oculis et vix humanis necesse est fuisse, qui totam aciem viso permetiretur, et ad ultimos ordines ita penetraret, ut discrimina etiam agminum, et positus eorum perspiceret. Nisi si a transfugis accepisse credemus, quod solum excusando Curtio dici possit. Sed esto apud transfugas et exploratores Curtio perfugium. Ita tamen omnia debebant temperari, ut nihil nisi verisimile dicatur, nihil admittatur, quod vel minimam excitare suspicionem queat dubiæ veritatis.

15. *Et bello.* Totius belli victores erimus, si hac una pugna superiores fuerimus. Liv. IX, 19, 10: «Uno prælio victus Alexander, bello victus esset.» — *Hinc Euphrates, illinc Tigris.* Quasi inter utrumque amnem acies stetisset, quæ vero longe ultra Tigrim erat transmota.

16. *Et quæ.* Pronomen hoc ad sequentia referendum est. Darius nempe sperat, sicuti antea nocuisset, quod exercitus suus agmen mulierum atque spadonum secum traxisset, neque non purpura et auro aliisque inutilibus impedimentis oneratus fuisset, ita eumdem etiam nunc plurima inde perceptu-

Nostrum mobile et expeditum agmen est; illud præda
grave; implicatos ergo spoliis nostris trucidabimus :
eademque res et caussa victoriæ erit, et fructus. Quod 17
si quem e vobis nomen gentis movet, cogitet, Macedo-
num illic arma esse, non corpora; multum enim san-
guinis invicem hausimus; et semper gravior in pau-
citate jactura est. Nam Alexander, quantuscumque 18
ignavis et timidis videri potest, unum animal est, et,
si quid mihi creditis, temerarium et vecors; adhuc
nostro pavore, quam sua virtute felicius. Nihil autem 19
potest esse diuturnum, cui non subest ratio; licet fe-
licitas adspirare videatur, tamen ad ultimum temeri-
tati non sufficit. Præterea breves et mutabiles vices
rerum sunt: et fortuna numquam simpliciter indulget.
Forsitan ita dii fata ordinaverunt, ut Persarum impe- 20
rium, quod secundo cursu per ducentos triginta an-

rum esse commoda, quod mobilis et expeditos, hostes contra præda impediti atque implicati essent.

17. *Non corpora.* Macedones omnes bellis prioribus attritos; præsentem Alexandri militem peregrinum esse, non macedonicum. — *Paucitate.* In parte numero minore. Eodem modo Liv. II, 64, dixit: « paucitas damno sentiendo propior est »

18. *Unum animal.* Animal proprie est omne vivum, quod animam ducit. Hoc loco, non sine contemptu sic appellatur Alexander. Liv. de eodem Alexandro, IX, 7, 22: « Quantalibet, inquit, magnitudo hominis concipitur animo, unius tamen ea magnitudo hominis est. » — *Temerarium*, utpote qui cum tam paucis copiis tam vasto exercitui occurrere non veretur. »

19. *Diuturnum.* « Non semper, inquit Livius, temeritas est felix. » — *Non sufficit.* Ad ultimum temeraria cœpta destituit. — *Simpliciter.* Hoc est, sine fraude, ut supra c. 11, 24, quia per fortunam fraudulentam et mutabilem, *vices* quoque *rerum mutabiles sunt.* Potes etiam interpretari sic: Fortuna nemini unquam omnia concedit, sive bono, sive malo consilio utatur; sive strenue suum officium, sive non præstet.

20. *Dii fata ordinaverunt.* Non est dictum hoc ex mente mythographorum et poetarum, quibus fatum supra deos est. — *Per ducentos triginta;* a Cyro, qui Media Lydiaque ademptum imperium in Persidem transtulit, usque ad Darium. Non omnino tamen conveniunt scriptores inter se de hoc numero. Dionys. Halyc. Antiq. Rom. I, non satis definite dixit: *Πέρσαι χρόνον οὐ πολλῷ πλείονα διακοσίων ἐτῶν ἔμειναν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς.* Clemens Alexandr. Strom. I, accuratius subductis temporum rationibus summam efficit annorum CCXXXV: aliique aliter tradunt; sed quis tempus, ab nos-

nos ad summum fastigium evexerant, magno motu concuterent magis, quam affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanæ, cujus nimia in prosperis re-
21 bus oblivio est. Modo Græcis ultro bellum inferebamus : nunc in sedibus nostris propulsamus illatum; jactamur invicem varietate fortunæ. Videlicet imperium, quod mutuo affectamus, una gens non capit.
22 Ceterum, etiamsi spes non subesset, necessitas tamen stimulare deberet; ad extrema perventum est : matrem meam, duas filias, Ochum, in spem hujus imperii genitum principem, illam sobolem regiæ stirpis, duces vestros, regum instar, vinctos habet : nisi quod in vobis est, ipse ego majore mei parte captivus sum. Eripite viscera mea ex vinculis : restituite mihi pignera, pro

tra ætate adeo remotum, recte definire audeat? — *Affligerent.* Disturbarent, destruerent. — *Admonerentque nos fragilitatis humanæ.* Monerent, ne nunc obliviscamur, quam caducæ sint res humanæ.

21. *Ultro bellum inferebamus.* Dario, Hystaspis filio, et Xerxe ducibus. — *Jactamur invicem.* Utrique alterna extollimur, et deprimimur sortis mutatione. — *Una gens non capit.* Nimium est imperium, ut ab una gente firmiter obtineri, et satis semper defendi possit. Sæpius hoc verbo *capere* elegantissime utitur Curtius.

22. *Principem.* In omnibus fere edd. et plurimis Codd. legitur : *genitum, illos principes, illam*... etc. Sed ad quid referemus *illos?* Germanam, ut opinor, lectionem restitui ex nostris optimis Regg. qui habent *principem*, quod ad Ochum referendum, qui ex Romanorum sub imperatoribus loquendi more princeps, nempe juventutis, diceretur. Pitiscus, ex conjectura, ut videtur, totum locum sic exhibuit : *Illas* (filias Darii), *principes; illum* (Ochum), *sobolem regiæ stirpis, duces vestros* (intelligit matrem, filium, et filias), *reorum instar, vinctos habet.* — *Duces, regum instar.* Satrapas. — *Nisi quod in vobis est.* Cellarius interpretatur : Si vos excipio, qui quasi pars mei estis, majore parte, in matre et liberis, captivus sum. Sed ego Schmiedero potius assentio qui omnem locum sic interpretatur. « Magis probo eos codices, qui *est* omittunt. Tum ex sqq. repetendum est *sum*, et sententia est : « Ego et domus mea separari nequimus; major domus meæ pars captiva est; ergo ipse ego majore parte captivus sum, quamvis meo quidem corpore inter vos sim. » Mox ex meis Codd. *majore mei parte*, pro : *majore parte mei.* — *Eripite viscera mea ex vinculis.* Matrem et liberos, quos tam caros habemus, ut *viscera.* Eos nunquam vinxerat Alexander, sed in libera custodia liberaliter semper habuit. Unde Statiram uxorem *in carcere* se amisisse

quibus ipse mori non recuso, parentem, liberos; nam conjugem in illo carcere amisi. Credite nunc omnes 23
tendere ad vos manus, implorare patrios deos, opem vestram, misericordiam, fidem exposcere, ut servitute, ut compedibus, ut precario victu ipsos liberetis. An creditis, æquo animo iis servire, quorum reges esse fastidiunt? Video admoveri hostium aciem: sed quo 24
propius discrimen accedo, hoc minus iis, quæ dixi, possum esse contentus. Per ego vos deos patrios, æternumque ignem, qui præfertur altaribus, fulgoremque Solis intra fines regni mei orientis, per æternam memoriam Cyri, qui ademptum Medis Lydisque imperium primus in Persidem intulit: vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Persarum. Ite alacres et 25
spe pleni, ut, quam gloriam accepistis a majoribus vestris, posteris relinquatis. In dextris vestris jam li-

καταχρηστικῶς mox dicet. Sic Rader.

23. *Nunc omnes tendere*. Cod. Bong. *omnes hos*. — *Precario victu*. Ex clementia victoris pendente. — *Quorum reges esse fastidiunt*, vel *fastidiunt*, ut mavult Freinshemius, qui ita uderunt Græcos, ut vel reges ipsorum esse dedignentur; tantum abest, ut æquo animo illis serviant. Sic ætate nostra, 1804, quum miles Corsicus innumeris inflatus victoriis, fortuna ebrius, a senatu ad servitutem ruente postularet majestatem imperatoriam, audita est una vox vere Gallica: « Quoi! vous « iriez prendre un maitre dans cette ile « où les Romains refusaient de prendre « même leurs esclaves! »

24. *Per ego vos deos patrios*. Scil. deprecor. Sic Snakenb. cum Modio et Heinsio, et sic Cod. Theocr. Vulgata erat: *precor vos per deos patrios*, ex glossa. Vulgaris est tum apud veteres, tum apud recentiores hujus modi invocatio. — *Æternum ignem*. Vid. supr. III, 3, 9. — *Solis intra fines mei regni orientis*. Plebeia loquendi ratio, vetustis scriptoribus valde amata. Vulgus enim terrarum orbem ut discum imaginatur, cujus extremitates cælum contingant, et ad quas sidera tum oriantur, tum ex adverso occidant. Darius ergo tantum Persarum imperium esse dicit, ut ab ortu terminos, quos vulgus soli orienti constituit, longe excedat, atque ita intra fines regni persici hoc sidus oriatur.

25. *Spe pleni*. Codd. *spiritus pleni*. — *Posteris relinquatis*. Hoc quasi in proverbium abiisse discimus ex Polybio, I, 54: *φυλάξαι, κατὰ τὴν παροιμίαν, πατέρων τὰ κείμενα ἔργα.* — *In dextris vestris*. Sall. Catilin. 58, 10: « Memineritis vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare. » Similis locus est apud Livium XXI, 41,

bertatem, opem, spem futuri temporis geritis. Effugit mortem, quisquis contempserit : timidissimum quem-
26 que consequitur. Ipse non patrio more solum, sed etiam ut conspici possim, curru vehor : nec recuso, quo minus imitemini me, sive fortitudinis exemplum, sive ignaviæ fuero. »

1 XV. Interim Alexander, ut et demonstratum a transfuga insidiarum locum circumiret, et Dario, qui lævum cornu tuebatur, occurreret, agmen obliquum
2 incedere jubet. Darius quoque eodem suum obvertit, Besso admonito, ut Massagetas equites in lævum Ale-
3 xandri cornu a latere invehi juberet. Ipse ante se falcatos currus habebat : quos, signo dato, universos in

17. — *Quisquis contempserit*: Id. Sall.: « Semper in prælio his maximum periculum esse, qui maxime timent »; et Liv. XXII, 5, 2 : « Quo timoris minus, eo minus ferme periculi esse. »

1. *Insidiarum locum*, quo murices defossi erant. — *Darius, qui lævum cornu*. Vid. ad IV, 14, 8. Nostri Codd. 5717, 5718, omittunt vocem *lævum*. — *Agmen obliquum incedere jubet*. Confer supra notam ad c. 13, 34. Alexander λοξὴν τὴν τάξιν ποιούμενος, δι' ἑαυτοῦ τὴν ὅλην κρίσιν τοῦ κινδύνου ποιεῖσθαι διέγνωκε. Diod. XVII, 57. Obliquum agmen dextram versus duxit, non tam ut murices, et loca curruum caussa a Dario æquata circumiret, atque Dario occurreret, quam ut sinistrum Darii cornu a latere aggrederetur. Quod videns Darius, *eodem* quidem *suum* agmen *obvertit*, hoc est suam aciem lævam versus ducebat, ut ne ipse circumiretur ab Alexandro, et hic obsistere cogeretur. Sed prohibere non poterat, quin prælium in extremo cornu lævo inciperet, quum Alexander jam in eo esset, ut ad id cornu transiret. Fugiebant deinde Persæ in lævo cornu, εἰς τὰ μέσα συνελαύνοντας Ἀλεξάνδρου τὰ νικώμενα, ὅπου Δαρεῖος ἦν. Plut. Vit. Alex. e. 33.

2. *Ut Massagetas equites in lævum Alexandri cornu a latere invehi juberet*. Scythæ, sive Massagetæ in extremo cornu lævo Darii erant; in eodem Bessus quoque. Vide cap. 12, 6, cum nota. Hac in parte prælium cœptum est, Scythis in eos, quibus Alexander dextrum cornu suum cinxerat, impetum facientibus. Arrian. III, 13, 3. Curtius igitur scribere debuerat : *in dextrum Alexandri cornu*; ubi primum pugnabatur. Scythæ et Bactriani fortiter pugnantes, non sine multo labore, a Pæonibus et equitibus Alexandri mercenariis in fugam agebantur. Arrian. III, 13, 4...9.

3. *Quos universos in hostem effudit*. Non in eos solum, quibus cornu Alexandri dextrum a latere cinctum erat, sed in aciem Macedonum ipsam, eodem tempore, quo in extremo cornu pugnabatur. De effectu curruum veriora dixit infra § 14 sqq., ubi vide notam. Nam bis loquitur de re eadem. De curribus vide supra ad c. 9, § 4.

hostem effudit : ruebant laxatis habenis aurigæ, quo
plures, nondum satis proviso impetu, obtererent. Alios 5
ergo hastæ multum ultra temones eminentes, alios ab
utroque latere dimissæ falces laceravere; nec sensim
Macedones cedebant, sed effusa fuga turbaverant or-
dines. Mazæus quoque perculsis metum incussit, mille 6
equitibus ad diripienda hostis impedimenta circumvehi
jussis : ratus captivos quoque, qui simul asservaban-
tur, rupturos vincula, quum suos appropinquantes
vidissent. Non fefellerat Parmenionem, qui in lævo
cornu erat : propere igitur Polydamanta mittit ad

6. *Mazæus quoque perculsis metum incussit.* Opinio Curtii est, Mazæum, qui in Darii cornu dextro erat, contra lævum Alexandri, eodem tempore, quo dextrum Macedonum cornu extremum pugnaret, universaque eorumdem acies curribus falcatis affligeretur, circum lævum cornu Macedonum misisse equites, qui impedimenta Macedonum diriperent. Aliter Arrianus: Mazæi equites eodem tempore, quo lævum Darii jam fugiebat, in lævum Alexandri cornu impetum fecerant: summa descriptionis Arrianeæ hæc est; Quum dextrum cornu Alexandri a lævo Darii jam prope abesset, Scythis Bactrianisque in fugam actis, curribus, vel repulsis, vel destructis, Alexander, cum equitibus amicis et phalange peditum, cursu in lævum Darii ferebatur; idque, quum res ad manus pervenisset, brevi et fugabat, et persequebatur. At propter vehementem equitum ex cornu Darii dextro impetum, lævum Alexandri sequi non poterat. Disrumpebatur acies macedonica; per intervallum, pars Indorum et equitum Persarum ad impedimenta usque Macedonum penetrabat. Quum vero ultimi ordines phalangis conversi in hos impetum facerent, hi quoque vel refugiebant, vel circa impedimenta cædebantur. Laborante adhuc cornu lævo, Alexander jam persequutus Darium, revertebatur cum equitatu ad auxilium Parmenioni ferendum. Atque, quum versus dextrum Persarum cornu duceret, in equites Indorum Persarumque fugientes incidebat, tanta vi pugnantes, ut vix tandem cum summo labore superarentur. Interim et Parmenio jam vicerat; jam fugiebant Persarum agmina omnia. Fugientium terga cædebat Alexander, Darii castra capiebat Parmenio. Non in omnibus consentit Diod. XVII, 58...61. Jam hac in re ab Arriano discessit, quod non Persas et Indos per disjunctam phalangem Macedonum ad impedimenta penetrasse, sed Mazæum circa lævum Macedonum cornu Cadusios et Scythas ad impedimenta diripienda misisse scriptum reliquit. Sic etiam Plut. c. 32. Eadem in re Diodorum sequitur Curtius, in reliquis plurima miscens et confundens, cujus errores singulis locis indicantem Schmiederum transcribam. — *Mille equitibus.* Diodoro teste miserat Mazæus Cadusiorum bis mille, et Scytharum mille equites delectos, qui ad satietatem prædati, sua sponte ad Mazæum reversi sunt: cf. § 12.

regem, qui et periculum ostenderet, et quid fieri
7 juberet, consuleret. Ille, audito Polydamante, « Abi,
nuncia, inquit, Parmenioni, si acie vicerimus, non
nostra solum nos recuperaturos, sed etiam quæ ho-
8 stium sunt occupaturos. Proinde non est quod quid-
quam virium subducat ex acie, sed ut me, ut Philippo
patre dignum est, contempto sarcinarum damno for-
9 titer dimicet. » Interim barbari impedimenta turbave-
rant: cæsisque plerisque custodum, captivi, vinculis
ruptis, quidquid obvium erat, quo armari possent,
arripiunt; et aggregati suorum equitibus, Macedonas
10 ancipiti circumventos malo, invadunt: lætique circa
Sysigambim, vicisse Darium; ingenti cæde prostratos
hostes; ad ultimum etiam impedimentis exutos esse
nunciant: quippe eamdem fortunam ubique esse cre-
debant, et victores Persas ad prædam discurrisse. Sy-
11 sigambis, hortantibus captivis, ut animum a mœrore
allevaret, in eodem, quo antea fuit, perseveravit: non
vox ulla excidit ei; non oris color vultusve mutatus est:
sedit immobilis, credo, præcoce gaudio verita irritare
fortunam, adeo ut quid mallet intuentibus fuerit incer-

7. *Abi, nuncia.* Cf. de hoc Alexandri dicto Plut. c. 32; Polyæn. IV, 3, 6. Cum aliquibus Codd.: *sed etiam quæ*, pro *sed omnia quæ* scribere malui, et *ut Philippo*, pro *et Philippo*. Simile fere dictum est Catonis apud Plutarchum (Vit. Cat. 19), qui, Celtiberis in auxilium vocatis, quum illi ducenta talenta mercedis nomine poscerent, ceterique Romani id aspernarentur: « nihil esse mali affirmavit. Victoria enim parta, non de suo, sed de hostilibus bonis mercedem iis soluturum: sin secus evenisset, neque qui poscerent superfuturos, neque unde exigerent. »

9. *Arripiunt.* Hoc scripsi cum meis Regg. Codd. pro *rapiunt.* — *Ancipiti malo.* Duplici periculo implicatos.

10. *Lætique circa Sysigambim.* Spadones et captivi.

11. *In eodem.* Scilicet loco. Mox in plurimis est *sed*, ante *sedit.* Illud vero cum meis Regg. omisi. — *Præcoce gaudio fortunam irritare.* Metuens, ne fortunam infestam sibi redderet præmaturo et intempestivo gaudio. Quam dignius Sysigambi Diodorus: « Sysigambis manet, dum nec inopinato fortunæ casui fidem habet, nec gratæ erga Alexandrum mentis officium deserendum arbitrator. »

tum. Inter hæc Menidas, præfectus equitum Alexandri, 12
cum paucis turmis opem impedimentis laturus advenerat; incertum, suone consilio, an regis imperio; sed non sustinuit Cadusiorum Scytharumque impetum: quippe vix tentato certamine refugit ad regem, amis-

12. *Menidas.* Freinshemius et ceteri legunt: *Amyntas, præfectus equitum Alexandri;* sed nemo hunc novit; erant apud Alexandrum plures Amyntæ; at inter eos nullus qui equitibus præesset. Igitur cum nostris Regg. Codd. et cum Schmiedero, legendum est *Menidas.* Sed nec de hujus, nec de alius equitum præfecti conatu impedimenta liberandi mentionem fecerunt, et Diodorus, et Arrianus. Rem omnem finxit Curtius, quum auctores suos non satis intelligeret. Nempe supra, § 2: *Bessum* a Dario *admonitum* dixit, *ut Massagetas*, hoc est, Scythas *equites in dextrum* (non *lævum*) *Alexandri cornu a latere invehi juberet.* Nihil de defensione Macedonum in dextro cornu contra hos Scythas adjecit, sed per errorem suum, in lævum cornu delatus, pauca de effectu curruum præfatus, de Mazæi impetu in lævum cornu, et de iis, quos circum hoc cornu ad impedimenta Macedonum miserat, loquitur. Nunc, semel turbatus, ex primo errore incidit in secundum et tertium. Nam quæ a Macedonibus in dextro cornu contra Scythas gesta legebat, qui a latere invehebantur, eadem contra eos, qui impedimenta diripiebant, gesta esse, falso credidit. Quæ igitur h. l. et in sqq. scripsit, quamvis invito Curtio, de principio pugnæ in dextro Alexandri cornu, non de prælio circa impedimenta intelligenda sunt. Scripsit vero: *inter hæc* (quibus duobus verbis, se tempus quo hæc acciderint nescire, jam satis declarat) *Menidas, præfectus equitum Alexandri* mercenariorum, qui in dextro cornu ad inflexionem locati erant (vide sup. ad c. 13, 30), non *advenerat cum paucis turmis, opem impedimentis laturus, incertum, suone consilio an regis imperio*, sed jubente Alexandro, in Scythas, dextrum Macedonum cornu circumvectos, impetum fecit (Arrian. III, 13); sed Scythæ et mille Bactriani, Scythis juncti, illos paucos, ipsi multo plures, facile repellunt. Recte igitur Curtius: *sed non sustinuit Cadusiorum Scytharumque impetum.* Sed expungendum est nomen *Cadusiorum*, quod huic loco interpretes obtruserunt, quia, Diodoro teste, Mazæus Cadusios et Scythas in impedimenta Macedonum miserat. In Codd. legitur: *Caucasiorum*, nec hoc satis recte; debuisset *Bactrianorum*, quorum mille cum Scythis juncti erant. Sed quia Macedones Paropamisum montem, qui Bactrianam a meridie cingebat, Caucasum appellabant, græcus auctor, quem Curtius sequitur, istos Bactrianos *Caucasios* appellasse facile credi potest. Fuerunt fortasse isti mille Bactriani Paropamisadæ, sive Caucasii, atque ob eam caussam a reliquis Bactrianis sejuncti. Jam vero, ut ad reliqua pergam, monere non opus est, quam falsa sint hæc: *quippe vix tentato certamine refugit ad regem, amissorum impedimentorum testis magis quam vindex. Jam consilium Alexandri vicerat dolor*, et sqq.

sorum impedimentorum testis magis, quam vindex.
13 Jam consilium Alexandri dolor vicerat; et, ne cura recuperandi sua militem a prælio averteret, non immerito verebatur. Itaque Areten, ducem hastatorum
14 (*sarissophoros* vocabant), adversus Scythas mittit. Inter hæc currus, qui circa prima signa turbaverant aciem,

13. *Itaque Areten.* Aretes erat dux prodromorum sive præcursorum, qui ab Arriano quoque interdum *equites sarissophori* vocantur. Disjuncti erant in quatuor turmas; pertinebant ad leviter armatos, ideoque ad itinera adhibebantur; vel ad speculandum, vel ad viam cognoscendam, vel ut primum in hostes impetum facerent, ante exercitum præmittebantur. Ad Gaugamela, ut supra dixi ad c. 13, 30, in dextro cornu ad inflexionem locati erant, proxime Menidan, extremum locum tenentem. Menida igitur repulso, Alexander proximos Prodromos, Pæones, atque exteros Cleandri in Scythas cornu dextrum circumvectos mittebat. Arr. III, 13, 6. Qui quomodo rem gesserint, Curt. infra § 18, narrare pergit.

14. *Inter hæc* (dum a latere cornu dextri pugnaretur) *currus, qui circa prima signa turbaverant aciem.* De curruum effectu jam supra § 3, 4, aliqua dixit, quæ, quomodo intelligenda sint, ex nostro hoc loco patet. Alexander juxta equites amicos in cornu dextro, a fronte locaverat jaculatores Balacri, et dimidiam partem sagittariorum; quum igitur e Darii cornu lævo centum currus, de quibus potissimum hic locus intelligendus est, in aciem macedonicam ferrentur, in eosdem hi jaculatores et sagittarii excurrebant, atque multorum et equos et sessores circumventos cædebant. Arr. III, 13, 11. Hunc primum conflictum Curtius supra describere voluit, ubi: *nec sensim,* inquit, *Macedones cedebant, sed effusa turbaverant fuga ordines.* Probe teneas, istos velites conferta fronte curribus obsistere nec voluisse nec potuisse: justo consilio usi, cedebant et diffugiebant, ut a latere et equos et sessores ferirent. Quod Curtius non intelligens *effusam ordinum fugam* finxit. De eodem primo conflictu et noster locus intelligendus est, ubi *currus* scripsit, *qui circa prima signa turbaverant aciem.* Isti sagittarii et jaculatores sunt Curtii *prima signa;* per quæ, qui currus incolumes penetraverant, *in phalangem* ipsam *invehebantur.* At non omnes currus in phalangem invecti sunt, sed superstites modo, exceptis iis, quorum equi vel interfecti jacebant, vel attoniti, in suosque reversi, currus trahebant. Vid. Diodorum et Arrianum. Supra c. 13, 33, Curtius dixit, Alexandrum suorum ordines, si currus incurrerent, laxari jussisse, ut sine noxa transcurrerent. Quod factum esse et Diod. et Arrian. tradiderunt. De eadem re intelligenda sunt Curtii hæc: *Macedones currus in medium agmen accipiunt,* h. e. laxatis ordinibus, concedebant incurrentibus intervalla, per quæ transire possent. *Vallo similis acies erat:* sicut valli ex vallo, sive aggere, quo castra cingi solent, eminent, sic ad utrumque latus percurrentium curruum, ex phalange in equos eminebant hastæ, *quas* Macedones *junxerant, et* quibus *ab utroque latere temere* atque

in phalangem invecti erant. Macedones, confirmatis animis, in medium agmen accipiunt. Vallo similis acies 15
erat : junxerant hastas; et ab utroque latere temere incurrentium ilia suffodiebant; circumire deinde currus, et propugnatores præcipitare cœperunt. Ingens 16
ruina equorum aurigarumque aciem compleverat; hi territos regere non poterant : equi, crebra jactatione cervicum, non jugum modo excusserant, sed etiam currus everterant; vulnerati interfectos trahebant : nec consistere territi, nec progredi debiles poterant. Paucæ tamen evasere quadrigæ in ultimam aciem, 17
iis, quibus inciderunt, miserabili morte consumptis; quippe amputata virorum membra humi jacebant : et quia calidis adhuc vulneribus aberat dolor, trunci quoque et debiles arma non omittebant; donec, multo sanguine effuso, exanimati procumberent. Interim 18
Aretes, Scytharum, qui impedimenta diripiebant, duce

incaute *incurrentium* equorum *ilia suffodiebant*. Equis interfectis, *circumire deinde currus, et propugnatores præcipitare cœperunt. Ingens ruina equorum aurigarumque aciem* phalangis macedonicæ *compleverat*, etc. Non addidit noster, quosdam etiam currus integros per phalangem evasisse, quibus a tergo phalangis equisones aliique Macedonum facile potiti sunt. Ni forte id ipsum voluit, quum scriberet : *paucæ tamen evasere quadrigæ in ultimam aciem*. Sed quæritur, quænam fuerit illa acies ultima? nempe non alia esse potuit, quam phalanx ipsa, ad quam per sagittarios et jaculatores evaserant. Phalangis enim ordines posteriores tam diu priores sequebantur, quam nondum hostis a tergo conspiceretur. Vid. supra ad c. 13, 30. Vix dubito, Curtium alia scribere non voluisse, quam quæ Diodor. sic expressit : « Nonnulli currus, impetu violentissimo provecti, in phalangem, antequam ordines laxari potuerant, inciderant. Igitur, dum ferramentorum aciem obviis quam efficacissime infligunt, plurimis varia mortis specie exitium afferunt, etc. » Damno aliquo, sed minore quam pro spe Darii, Macedones a curribus affectos esse, nec Arrianus negat. Speraverat enim Darius, phalangem per currus disturbatum iri; qua in re maxime spe sua frustratus est.

17. *Quippe amputata*. Eadem de curribus narrat Appian. in Mithridat. *δρεπανηφόρα ἅρματα διέκοπτε καὶ διέτεμνε τοὺς μὲν ἀθρόως εἰς δύο, τοὺς δὲ ἐς μέρη πολλά. Τὸ τὶ γιγνόμενον ἐξέπληττε τὴν στρατιάν, ὅτε ἴδοιεν ἡμιτόμους, ἄνδρας ἔτι ἐμπνέους, ἢ ἐς πολλὰ διερριμμένους, ἢ τῶν δρεπανηφόρων ἀπηρτημένους.*

18. *Interim Aretes*. Vide supra ad

occiso, gravius territis instabat. Supervenere deinde missi a Dario Bactriani, pugnæque vertere fortunam. Multi ergo Macedonum primo impetu obtriti sunt :
19 plures ad Alexandrum refugerunt. Tum Persæ, clamore sublato, qualem victores solent edere, ferociter in hostem, quasi ubique profligatum, incurrunt. Alexander territos castigare, adhortari; prælium, quod jam elanguerat, solus accendere; confirmatisque tan-
20 dem animis, ire in hostem jubet. Rarior acies erat in dextro cornu Persarum; namque inde Bactriani decesserant ad opprimenda impedimenta; itaque Alexander laxatos ordines invadit, et multa cæde hostium
21 invehitur. At qui in lævo cornu erant Persæ, spe posse eum includi, agmen suum a tergo dimicantis opponunt: ingensque periculum in medio hærens adisset, ni

§ 13. Aretes in fugam agebat illos Scythas, qui in dextrum cornu Macedonum a latere invecti erant. — *Supervenere*, auxilio suis venere *Bactriani* reliqui, octo millia numero; vid. sup. ad c. 12, 6, qui primo pugnam reficiunt, tandem vero et ipsi fugantur. Arrian. III, 13, 7 .... 9.

19. *Ire in hostem jubet*. Cum Freinshemio hoc *jubet* abesse mallem. Paullo ante pro *incurrunt*, septem Codd. *incurrerunt*; sed vulgatam præfero. Mox quinque, *discesserant* pro *decesserant*.

20. *Rarior erat acies in dextro cornu*. In *lævo cornu* Persarum, non *in dextro* steterant illa octo millia Bactrianorum. Qui quum Scythis, in dextrum Alexandri cornu circumvectis quidem, sed fugatis, auxilio abirent, reliqui Persarum non satis subsequebantur, ita ut spatium aliquod in fronte Persarum maneret vacuum. Id est, quod Curtius *rariorem aciem* et *laxatos ordines* vocat, Arrianus *τὸ διέχον τῆς πρώτης φάλαγγος τῶν βαρβάρων*. In hoc intervallum Alexander, cuneo facto ex equitibus amicis et phalange, cursu et cum clamore invehebatur. Principio pugnabatur, sed si Arriano credis, non diu: non multum intercedebat temporis, quum omne lævum Persarum effuse fugeret. Si Bactrianos *ad impedimenta opprimenda* missa dixit, jam non est, ut denuo hunc errorem refellam. — *Et multa cæde hostium invehitur*, et magnam hostium stragem faciendo, in Persas fertur.

21. *At qui in lævo cornu erant Persæ*. Hoc est, iidem Bactriani Scythæque. Jam recte et noster de *lævo* cornu loquitur. Illi enim Bactriani eodem tempore, quo Alexander ipse in aciem Persarum atque Darium ferebatur, et a sua parte prælium restituebant, denuo a latere et tergo in Macedones invecti. Sed denuo ab Arete in fugam acti sunt. Arrian. III, 14, 1

equites Agriani, calcaribus subditis, circumfusos regi barbaros adorti essent, aversosque cædendo in se obverti coegissent. Turbata erat utraque acies. Alexander et a fronte, et a tergo, hostem habebat; qui 22
averso ei instabant, ab Agrianis equitibus premebantur : Bactriani impedimentis hostium direptis reversi, ordines suos recuperare non poterant : plura simul abrupta a ceteris agmina, ubicumque alium alii fors miscuerat, dimicabant. Duo reges junctis prope agmi- 23
nibus prælium accendebant; plures Persæ cadebant; par ferme utrimque numerus vulnerabatur. Curru

et 4. — *Aversosque cædendo*. Et illos feriendo a tergo, coegissent in ipsos frontem convertere.

22. *Turbata erat utraque acies*. Turbata quoque est hæc descriptio. Nam quousque perget de Bactrianis ad impedimenta missis loqui? Qui quæso fuerint isti Persæ, qui regi averso instantes ab Agrianis premerentur, nisi ipsi Bactriani, qui a dextro Alexandri cornu non discesserant, nisi quum in fugam acti essent? Ordines suos recuperare (quod non bene dictum est pro : locum suum in acie recuperare) non poterant propter instantes Agrianos; nec erant in lævo Darii alia a ceteris abrupta agmina, quam ipsa Bactrianorum atque Scytharum. — *Et a fronte*. Ex nostris Regg. Codd. addidi *et*, probante Schmiedero; ex iisdem *ab Agrianis equitibus* scripsi, pro *ab Agrianis militibus*; modo enim dixerat : *ni equites Agriani calcaribus subditis... barbaros adorti essent*. Sed duo in his reprehendo. Primum est, quod Agrianos male a Curtio scribuntur *Agriani*; Græce vocantur Ἀγριᾶνες, quam formam vide in Arrian. IV, 26, 6, et quarto Ἀγριᾶνας multis aliis locis. Hanc formam etiam reliqui Latinorum retinuerunt. Exempla suppeditant indices in Livium aliosque. Secundum est, quod nostro loco equitibus annumerantur. Hoc enim est contra auctoritatem reliquorum omnium. In Arriano omnibus locis pedites dicuntur. Pertinebant ad copias levis armaturæ, et sunt jaculatores; unde a Curtio, VIII, 14, 24, meliores concursatione quam cominus milites vocantur. Conjicio circiter mille fuisse. In præliis plerumque in duo agmina, quibus cornua tegebantur, divisi sunt.

24. *Quippe amisso rege*. Sic Craterus ad Alexandrum, lib. IX, 6, 8 : «...quum tam avide manifestis periculis offeras corpus, oblitus tot civium animas trahere te in casum? Quis enim tibi superstes aut optat esse, aut potest?» Ita prisci Germani, «quibus infame in omnem vitam ac probrosum superstites principi suo ex acie recedere.» Tacit. Germ. 14, 2. — *Ante oculos*. Id Persæ et Macedones, omnibus temporibus egregium duxere. De Persis notavit Herodotus VIII, 86, et Diodor. quoque XII, 7. De Macedonibus Livius, XXXI, 37 : «Eo quoque superiores Macedones erant, quod et rex ipse hortator aderat.»

Darius, Alexander equo vehebatur: utrumque delecti
24 tuebantur, sui immemores; quippe, amisso rege, nec volebant salvi esse, nec poterant; ante oculos sui quisque regis mortem occumbere ducebant egregium.
25 Maximum tamen periculum adibant qui maxime tuebantur; quippe sibi quisque cæsi regis expetebat de-
26 cus. Ceterum, sive ludibrium oculorum, sive vera species fuit, qui circa Alexandrum erant, vidisse se crediderunt paululum super caput regis placide volantem aquilam, non sonitu armorum, non gemitu morientium territam : diuque circa equum Alexandri
27 pendenti magis, quam volanti, similis apparuit. Certe vates Aristander, alba veste indutus, et dextra præferens lauream, militibus in pugnam intentis avem mon-
28 stravit, haud dubium victoriæ auspicium. Ingens ergo alacritas ac fiducia paulo ante territos accendit ad pugnam; utique postquam auriga Darii, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est, nec aut Persæ, aut Macedones dubitavere, quin ipse rex
29 esset occisus. Lugubri ergo ululatu, et incondito clamore gemituque totam fere aciem adhuc æquo Marte pugnantium turbavere cognati Darii et armigeri; lævoque cornu in fugam effuso, destituerant currum;

26. *Aquilam.* Quam Plut. 33, visam dixit, antequam Alexander prælium iniret, quod longe verisimilius quam in ipso conflictu vehementissimo. Seneca, Nat. Quæst. II, 32 : « Aquilæ hic honos datus est, ut magnarum rerum faceret auspicia. » Sidon. Carm. XI, 127 : « Multos cinxerunt aquilæ, subitumque per orbem Lusit venturas famulatrix penna coronas. » In Plutarcho quoque Aristander primus aquilam vidisse dicitur, eamque militibus ostendisse; qua de re *Delille de Sales*, *Hist. des hommes*, *p.* 259, sic disserit: « Les soldats ne virent point l'aigle de « l'astrologue, mais le crurent, comme « c'est l'usage. » Hanc aquilam non oblitus est famosus pictor *Lebrun*, in iis tabulis quas admiramur, *Batailles d'Alexandre.*

28. *Hasta transfixus.* Ab ipso Alexandro, ut auctor est Diod. XVII, 60.

29. *Destituerant currum.* Diod. 60: « Igitur, quum alterum latus (Darii et ejus currus) post fugam propugnatorum, nudatum esset, etiam ipse metu perculsus fugam intendit. » Aliter Arrianus, I, 14 : « Quum equites et

quem a dextra parte stipati in medium agmen recepe-
runt. Dicitur, acinace stricto, Darius dubitasse, an fu- 30
gæ dedecus honesta morte vitaret. Sed eminens curru
nondum omnem suorum aciem prælio excedentem de-
stituere erubescebat. Dum inter spem et desperationem 31
hæsitat, sensim Persæ cedebant, et laxaverant ordines.
Alexander, mutato equo, quippe plures fatigaverat,
resistentium adversa ora fodiebat, fugientium terga.
Jamque non pugna, sed cædes erat; quum Darius 32
quoque currum suum in fugam vertit. Hærebat in
tergis fugientium victor : sed prospectum oculorum
nubes pulveris, quæ ad cælum ferebatur, abstulerat;
ergo haud secus quam in tenebris errabant; ad soni-
tum notæ vocis, ut signum, subinde coeuntes. Exau- 33
diebantur tantum strepitus habenarum, quibus equi
currum trahentes identidem verberabantur : hæc sola
fugientis vestigia excepta sunt.

phalanx Macedonum vehementissimum impetum facerent, atque Dariu, multo ante metu percusso, omnia terribiliora simul adesse viderentur, primus ipse terga vertebat. » Igitur de dubitatione Darii non sine caussa dubitari posset, nisi Justinus quoque, lib. XI, 14, scriptum reliquisset : « Darius quum vinci suos videret, voluit et ipse mori. Sed a proximis fugere compulsus est. » — *Quem a dextra*. Quem conferti ex dextro cornu Persæ in media turma acceperunt.

30. *Sed eminens curru*. Quum e curru conspicuus esset, illum pudebat deserere suum exercitum qui nondum totus pugna cedebat.

31. *Adversa ora fodiebat*. Suo gladio feriebat. Οἵ τε ἱππεῖς οἱ ἀμφ' Ἀλέξανδρον... τοῖς ξυστοῖς τὰ πρόσωπα τῶν Περσῶν κόπτοντες, etc. Arrian.

32. *Ut signum*. Multi Codd. *aut signum*, quod non sperno.

33. *Currum trahentes*. Cujus currum? Darii sine dubio; at sequitur : « hæc sola fugientis vestigia excepta sunt, » quæ profecto de nullo alio accipienda. Jam vero nihil de eo proxime præcessit. Loquutus noster est communiter de fugientibus, eos dixit errasse, coivisse. Quomodo nunc potest tam abrupte venire ad Darium seorsim, ne prolato quidem ejus nomine? mihi admodum persuasum, non pauca huc loco excidisse. Diodor. c. 60, sic : « unde factum, ut vestigia hostium premente cum suis Alexandro, per densam nimii pulveris nubem, quo Darius fugam capesseret, conspici nequiret. Cadentium solummodo gemitus virorum, sonitusque equorum et continuus flagellorum strepitus exaudiebatur. »

1 XVI. At in lævo Macedonum cornu, quod Parmenio, sicut ante dictum, tuebatur, longe alia fortuna
2 utriusque partis res gerebatur. Mazæus, cum omni suorum equitatu vehementer invectus, urgebat Macedonum alas : jamque abundans multitudine, aciem circumvehi cœperat; quum Parmenio equites nunciare jubet Alexandro, in quo discrimine ipsi essent : nisi
3 mature subveniretur, non posse sisti fugam. Jam multum viæ præceperat rex, imminens fugientium tergis, quum a Parmenione tristis nuncius venit; refrenare equos jussi, qui vehebantur; agmenque constitit; frendente Alexandro, eripi sibi victoriam e manibus, et
4 Darium felicius fugere, quam se sequi. Interim ad Mazæum superati regis fama pervenerat. Itaque, quamquam validior erat, fortuna tamen partium territus, perculsis languidius instabat. Parmenio ignorabat quidem caussam sua sponte pugnæ remissæ : sed

2. *Quum Parmenio.* Fuerunt, qui Parmenionam, val propter senectutem, vel ob invidiam minus strenue res suas gessisse traderent, conf. Plut. Alex. Vit. a. 33.

3. *Jam multum viæ præceperat.* Sic Codd. fere omnes. Vulgata : *jam .... processerat :* hoc illius interpretatio est. — *Tristis nuncius venit.* Idem Arrian. at Plut. tradiderunt. Diodor. vero missos quidem a Parmeniona equites scribit, ad Alexandrum revocandum, sed infecta re illos rediisse.

4. *Fortuna partium.* Hoc est, adversa fortuna Darii. — *Thessalos ad se vocari jubet.* Putidum hoc esse, nec imperatorem, si sapiat, in ipso pugnæ discrimine constitutos, hortandi caussa, ad se vocaturum esse, jam vidit Freinshemius. Conjecit igitur : *Thessalos equites advectus, « ecquid, inquit*, etc. Schaffar. mavult : *Th. equites advolare, ubi « et quid, inquit, videtis*, etc. Snakenburgius : *Thessalos equites id speculari jubet.* Sic sunt editores. Quamvis Curtius quavis pagina incogitanter scripserit, ipsum tamen dafendunt, librarios incusant. Nec placet mihi interpretatio hæc : Thessalos cedentes et retrogressos in primam aciem revocari jubet. Nam Thessali ex acie nondum fugerant : *urgebat Mazæus eorum alas, instabat adhuc perculsis*, sad *languidius ;* nec Parmenio vix alio in loco quam inter Thessalos ipsos esse potarat. Hæc justissimis de caussis *Schmieder.* Mox cum aliquot Codd. *vicit* scripsi, pro *vincit.* Cæterum et Diodorus et Arrianus victoriam in lævo cornu et virtuti Thessalorum et peritiæ Parmenionis tribuunt. Vicerant enim, antequam Alexander, hostem persecutus, ad lævum cornu tuendum veniret.

occasione vincendi strenue est usus. Thessalos equites
ad se vocari jubet. « Ecquid, inquit, videtis istos, qui 5
ferociter modo instabant, pedem referre, subito pa-
vore perterritos? Nimirum nobis quoque regis nostri
fortuna vicit : omnia Persarum cæde strata sunt ; quid
cessatis ? an ne fugientibus quidem pares estis? » Vera 6
dicere videbatur, et spes languentes quoque erexerat;
subditis calcaribus, proruere in hostem ; et illi jam non
sensim, sed citato gradu recedebant, nec quidquam
fugæ, nisi quod terga nondum verterant, deerat. Par- 7
menio tamen, ignarus quænam in dextro cornu for-
tuna regis esset, repressit suos : Mazæus, dato fugæ
spatio, non recto itinere, sed majore, et ob id tutiore
circumitu, Tigrim superat, et Babylonem cum reliquiis
devicti exercitus intrat. Darius, paucis fugæ comitibus, 8
ad Lycum amnem contenderat; quo trajecto, dubitavit
an solveret pontem, quippe hostem jam affore nun-
ciabatur. Sed tot millia suorum, quæ nondum ad
amnem pervenerant, ponte reciso, prædam hostis fore
videbat. Abeuntem, quum intactum sineret pontem, 9
dixisse constat, malle insequentibus iter dare, quam
auferre fugientibus. Ipse, ingens spatium fuga emensus,
media fere nocte Arbela pervenit. Quis tot ludibria 10

6. *Terga nondum verterant.* Ego hoc non capio, inquit Schmied., quomodo Mazæi equites citato gradu recedentes terga tamen nondum verterint?

7. *Repressit suos.* Acrius hostem persequi non sivit. — *Majore circuitu Tigrim superat.* Si vera reliquit Curtius, Mazæus Lycum amnem non per eumdem pontem transivit, per quem Darius, sed longe ab eo ponte orientem versus. Lyco vero superato, ad Tigrim contendisse credendus est, quo etiam superato, Babylonem.

8. *Lycum.* Supra IV, 9, 9. — *Dubitavit an*, etc. Idem testatur Justin. XI, 14, 4, ubi tamen pro *Cydni* legendum est *Lyci*, ut recte monuere Acidalius, Freinshemius, et *Ste-Croix*, *Examen critique*, p. 278, *prem. éd.*

9. *Dixisse constat, malle.* En præclarum argumentum, laudem, quam Curt. III, 8, 5, Dario tribuit, haud immeritam fuisse. — *Insequentibus*, Macedonibus; *fugientibus*, suis. — *Ingens spatium.* Ad minimum quingenta stadia; cf. IV, 9, 9.

10. *Quis tot ludibria.* Hæc omnia, severiori forsan judicio, ut declama-

fortunæ, ducum agminumque cædem multiplicem, devictorum fugam, clades nunc singulorum, nunc universorum, aut animo assequi queat, aut oratione complecti? Propemodum sæculi res in unum illum
11 diem fortuna cumulavit. Alii, qua brevissimum patebat iter, alii diversos saltus, et ignotos sequentibus calles petebant. Eques pedesque confusi, sine duce, armatis
12 inermes, integris debiles implicabantur. Deinde, misericordia in metum versa, qui sequi non poterant, inter mutuos gemitus deserebantur. Sitis præcipue fatigatos et saucios perurebat, passimque omnibus rivis prostraverant corpora, præterfluentem aquam hianti
13 ore captantes; quam quum avide turbidam hausissent, tendebantur extemplo præcordia premente limo; resolutisque et torpentibus membris, quum supervenis-
14 set hostis, novis vulneribus excitabantur. Quidam, occupatis proximis rivis, diverterant longius, ut quidquid occulti humoris usquam manaret exciperent; nec ulla adeo avia et sicca lacuna erat, quæ vestigan-
15 tium sitim falleret. E proximis vero itineri vicis se-

torio dicendi genere producta, vitio dant auctori nostro *Leclerc*, Judic. cap. 8, § 3; et *Sainte-Croix*, *Exam. crit.*, pag. 301 et sqq. *deux. édit.* — *Sæculi res.* Tam varios et multiplices intelligit casus, ut alias vix sæculis singulis integrisque, per tempora diversissima, solent evenire.

11. *Brevissimum iter.* Forte ad pontem Lyci. — *Sequentibus* hostibus. — *Integri.* Quorum vires non consumptæ sunt. — *Debiles.* Laboribus, vulneribus confecti.

12. *Misericordia in metum versa.* Quum propter metum imminentis periculi cogerentur omittere misericordiam, nec tam aliis esse auxilio, quam ipsi suam curare salutem.

13. *Quum avide.* Sic malui cum Codd. pro *quum diu avidi.* — *Premente limo.* Distendebantur confestim viscera, limo adhærente. — *Resolutisque membris.* Resolvi membra dicuntur, quum nervorum vis elastica debilitatur, quod in primis fessis et dormitantibus accidit; confer cum hac poetica nimium descriptione Lucret. VI, 1170: « In fluvios partim gelidos ardentia morbo Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas », etc.

14. *Diverterant longius*, a via longius abscesserant. — *Nec ulla adeo avia et sicca lacuna erat.* Nulla lacuna a via tam erat remota, nulla tam exsiccata, quam fugientes non reperissent, atque perscrutati essent.

num ululatus feminarumque exaudiebantur, barbaro ritu Darium adhuc regem clamantium. Alexander, ut 16
supra dictum est, inhibito suorum cursu, ad Lycum amnem pervenerat; ubi ingens multitudo fugientium oneraverat pontem, et plerique, quum hostis urgeret, in flumen se præcipitaverant, gravesque armis, et prælio ac fuga defatigati, gurgitibus hauriebantur. Jam- 17
que non pons modo fugientes, sed ne amnis quidem capiebat, agmina sua improvide subinde cumulantes; quippe, ubi intravit animos pavor, id solum metuunt quod primum formidare cœperunt. Alexander, instan- 18
tibus suis, impune abeuntem hostem sequi permitteret; hebetia tela esse, et manus fatigatas, tantoque cursu corpora exhausta, et præceps in noctem diei tempus caussatus est. Re vera de lævo cornu, quod 19
adhuc in acie stare credebat, sollicitus, reverti ad ferendam opem suis statuit. Jamque signa converterat, quum equites, a Parmenione missi, illius quoque partis victoriam nunciant. Sed nullum eo die majus pericu- 20
lum adiit, quam dum copias reducit in castra. Pauci eum et incompositi sequebantur, ovantes victoria; quippe omnes hostes, aut in fugam effusos, aut in acie

15. *Darium adhuc regem clamantium.* Petebant auxilium a Dario, ejusque implorabant opem contra vim Macedonum, quasi adhuc rex esset, quum is tamen, jam in fuga constitutus, ipse indigus esset opis alienæ.

16. *Inhibito suorum cursu.* Quum cursus suorum inhiberetur per nuntium de cornu lævo laborante a Parmenione missum.

17. *Agmina sua improvide*, etc. Temere et confertim ipsi sese urgentes. — *Pavor*, consternatio: « Pavor sapientiam omnem ex animo expectorat. » Ennius apud Cic. Iisdem prope verbis, in pari casu, utitur Liv. XXIX, c. 32, § 10: « Amnis ingens fugientes excepit (neque enim cunctanter, ut quos major metus urgeret, immiserant equos), raptique gurgite, et in obliquum relati. »

18. *Hebetia tela*, etc. Plut. Alex. Vit.: οὐχ ἔφρασε τὸ ἀληθὲς, ἀλλ' ὡς ἀνέχων τοῦ φονεύειν, καὶ σκότους ὄντος, ἀνάκλησιν ἐσήμανε. Liv. VIII, 38, 16: « Jam viris vires, jam ferro sua vis deerat; » XXII, 59, 6: « nec supersumus pugnæ, nisi in quibus trucidandis et ferrum et vires hostem defecerunt. »

21 credebant cecidisse; quum repente ex adverso appa-
ruit agmen equitum, qui primo inhibuere cursum;
deinde, Macedonum paucitate conspecta, turmas in
22 obvios concitaverunt. Ante signa rex ibat, dissimulato
magis periculo, quam spreto : nec defuit ei perpetua
23 in dubiis rebus felicitas; namque præfectum equitatus
avidum certaminis, et ob id ipsum incautius in se
ruentem, hasta transfixit; quo ex equo lapso, proxi-
24 mum ac deinde plures eodem telo confodit. Invasere
turbatos amici quoque; nec Persæ inulti cadebant :
quippe non universæ acies, quam hæ tumultuariæ
25 manus, vehementius iniere certamen. Tandem bar-
bari, quum, obscura luce, fuga tutior videretur esse
quam pugna, diversis agminibus abiere. Rex, extra-
ordinario periculo defunctus, incolumes suos reduxit
26 in castra. Cecidere Persarum, quorum numerum vic-
tores finire potuerunt, millia XL; Macedonum minus

24. *Tumultuariæ manus.* Agmina fortuito et partim sine ordine concurrentis. Si Arrianum audis (II, 15, 2...7), hoc certamen cruentum initum est, quum Alexander e persequendo desistens cum equitibus amicis cursum versus dextrum Persarum dirigeret, e Parmenione accitus. Erat enim jam a tergo eorum Persarum, qui adhuc pugnaverant. Qui, quum eodem tempore fugæ se mandarent, quo Alexander reverteretur, in ipsum Alexandrum fugientes ferebantur. Nominat Arrianus equites Parthyæos, Indorum quosdam, et Persarum plurimos fortissimosque, qui jam de propria quisque salute dimicantes ἀφειδῶς et cædebant et cædebantur.

25. *Diversis agminibus.* In multis Codd. *dispersis a.* — *Extraordinario periculo.* In quod extra prælium, jam victor, inciderat. — *Incolumes suos.* Nonne Curtius ipse modo scripserat : *nec Persæ inulti cadebant ?* Nonne Arrianus : « in hoc certamine extraordinario, ex equitibus amicis circiter LX cæsi sunt, atque vulneratus cum Cœno et Menida ipse Hephæstion ? » Sed Curtius eosdem non in hoc periculo, sed in prælio ipso vulneratos indicet. Sic etiam Diodorus, c. 61. Idque verisimilius videri potest, quod Cœnus peditum agminis præfectus, Menidas equitum mercenariorum erat; neuter equitum amicorum, quibuscum solis Alexander reversus dicebatur.

26. *Millia XL.* Arrian. III, 15, 16 : « Ex barbaris circiter trecenta millia cæsa ferebantur, multoque major numerus captorum quam cæsorum fuit. » Qui numerus ingens est et vere incredibilis. Si Diodoro credis, Persarum cecidere equitum et peditum supra 90,000; si Dexippo (apud Cedren.

quam ccc desiderati sunt. Ceterum, hanc victoriam 27
rex majore ex parte virtuti quam fortunæ suæ debuit;
animo, non, ut antea, loco vicit. Nam et aciem peri- 28
tissime instruxit, et promptissime ipse pugnavit; et
magno consilio jacturam sarcinarum impedimentorum-
que contempsit, quum in ipsa acie summum rei vi-
deret esse discrimen : dubioque adhuc pugnæ eventu,
pro victore se gessit : perculsos deinde hostes fudit :
fugientes, quod in illo ardore animi vix credi potest, 29
prudentius, quam avidius persequutus est. Nam si, 30
parte exercitus adhuc in acie stante, instare cedenti-...

t. I, pag. 125) 130,000; si denique Zosimo, lib. I, c. 4, omnis fere exercitus desideratus est. Vid. soper his *Sainte-Croix*, *Exam. crit.* p. 303.— *Macedonum minus quam CCC desiderati sunt*. Arrianus : « ab Alexandri partibus in eo prælio centum circiter viri (fortasse equites) et supra mille equi perierunt. » Diodorus : « Macedonum cæsi sunt ad quingentos. » Quemcumqne numerum elegeris, minor est, quam pro atrocitate pugnæ. Scriptores superstites in suis auctoribus majorem memoriæ proditum non invenisse palam est; cf. notam ad III, 11, 27.

27. *Non, ut anteà, loco.* Nempe ap. Issum. Ad Granicum vero, in loco iniquissimo solummodo et virtote et animo vicerat. Sententiarum veritate et gravitate, verborum delectu et numero æque laudanda est hujus libri clausula. Confer cum ultima phrasi illud Ciceronis, Philipp. ultim. « dignus imperator legione, digna legio imperatore. » Sed alia quoque sententia occurrit philosophorum mentibus, qua liber ille quartus claudi poterat: adesse nempe in omnium fere illorum triumphatorum vita, fatale quoddam tempus, ex quo paulatim in deterius feruntur dotes illæ, quibus primum commendandi erant, et virtutes vitiis excipiuntur. Ad hanc usque diem, omnibus fere numeris absoluta est Alexandri laus, et nihil forsan in eo reperire est, reprehensione dignum. Sed ex hoc momento, sensim emicant vitia qua huc usque latuerant; ambitioque in primis, prospero fortunæ flato excitata, vehementior in dies assorgit. Hæc potentiæ insatiata cupido, qua bellatores illi laborant, nedum justis limitibus consistat, rapido ruit impetu, donec alimenta deficiant : « ... Velut immissi diversis partibus ignes Arentem in sylvam, et virgulta sonantia lauro; Aut ubi decursu rapido de montibus altis Dant sonitum spumosi amnes, et in æquora currunt, Quisque suum populatus iter ...... » Æneid. lib. XII, 521—525. Sic Cæsar, debellatis Galliarum populis, in patriam ipsam arma vertit. Sic aliud nobis memorandum magis exemplum ætas nostra vidit. Sic Alexander, Perside, post hostes ad Arbela victos, potitus, totum orbem ad indici Oceani littora imperio complecti aggreditur. Omnes sane fatentur necesse esse, ad externum im-

bus perseverasset; aut sua culpa victus esset, aut aliena
virtute vicisset; jam, si multitudinem equitum occur-
rentium extimuisset, victori aut fœde fugiendum, aut
31 miserabiliter cadendum fuit. Ne duces quidem copia-
rum sua laude fraudandi sunt; quippe vulnera, quæ
32 quisque excepit, indicia virtutis sunt. Hephæstionis
brachium hasta ictum est: Perdiccas, ac Cœnus, et Me-
33 nidas sagittis prope occisi. Et, si vere æstimare Mace-
donas qui tunc erant volumus, fatebimur et regem
talibus ministris, et illos tanto rege fuisse dignissimos.

perium in qualibet regione firmandum, tota illa regione, quantacunque pateat, potiri; sed insani quidem ducis est ultra hujus novi imperii limites ruere, ea tantum mente, ut regna pereant, vanamque et inutilem laudem sibi comparet. Hoc nomine Alexander reprehendendus: nec fortuna, quæ semper illi comes adstitit, excusandus; nec ipsa sua bellica virtute; nam, ut notavit *Nivernois*, *Réflex. sur Alex.*, *Mélang. de littér.*, t. I, p. 303 : « Il « fut toujours, même dans les Indes, « un héros de roman, qui ne se tire « d'affaire qu'à force d'héroïsme. » Sed, post pugnam ad Arbela, hujus principis animus adulteratus est, ejus indoles mutata; devictarum gentium moribus victus est, et de eo dici potuit quod de Romanis Juvenalis, sat. VI, v. 292 : « ... Sævior armis Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem. »

LIBER IV.

EXCURSUS I.

DE ABDALONYMO.

Historia Abdalonymi varie traditur a scriptoribus rerum ab Alexandro gestarum, excepto Arriano, qui nullam prorsus ejus rei mentionem facit. Inde non parva movetur suspicio. Variant autem auctores quum in loci, tum in viri nomine. Diod. XVII, 47: *Βαλλώνυμόν τινα τῆς βασιλικῆς οἰκίας ἀπόγονον, τὰ μὲν ἄλλα σώφρονα καὶ ἀγαθὸν ἄνδρα, πένητα δὲ καθ᾽ ὑπερβολήν*, ab Hephæstione ad fastigium regiæ potestatis evectum esse, non vero Sidone, sed Tyri, postquam illa urbs ab Alexandro expugnata esset, refert. Verum enim vero, si Arriano fides habenda est, Diodorus certe hac in re non errare non potest. Ille enim, II, 24, auctor est, Alexandrum veteri Tyriorum regi, Azelmico, veniam concessisse. Quod quum ita fuerit, Tyriis minime opus fuit novo rege.

Auctor orationis II, de Fortuna Alexandri, quem vulgo Plutarchum venditant, scenam facti in insulam Paphum transfert, regemque illum, qui successerit malo atque injusto tyranno, e Cyniradum gente orto, *Ἀλυνόμον* vocat. Justinus, qui de loco quidem Curtio consentit, totam rem, XI, 10, paucis ita narrat: « Insignis præter cæteros fuit *Abdalonymus*, rex ab Alexandro Sidoniæ constitutus: quem Alexander, quum operam oblocare ad puteos exhauriendos, hortosque irrigandos solitus esset, misere vitam exhibentem, regem fecerat. » Negare autem videtur Abdalonymum stirpi regiæ cognatione annexum fuisse, si addit Alexandrum illum potius fecisse regem, « spretis nobilibus, ne generis id, non dantis, beneficium putarent. » Hanc omnem historiam unus e celeberrimis hujus nostræ ætatis vatibus, J. Delille, in suo poemate, cui nomen inscribitur, Les Jardins, et quidem elegantissimo carmine descripsit. Nos

vero hæc denuo typis committenda voluimus, non solum ut lector gallica cum latinis conferre posset, sed alia quoque et major sane ratio suberat. Ut enim notavit Gallici vatis clarissimus editor, *Michaud*, hoc ἐπυσόδιον eodem anno in lucem prodiit, quo Alexander I, Russiarum omnium imperator, paternum conscendit solium; et ea communis opinio fuit, poetam Alexandro auctorem fuisse, ut illum imitaretur, cujus nomen habebat, et Abdalonymum alterum, regiis natalibus ortum, quique *eodem animo regnum patitur*, quo adversam tulit fortunam, in Galliam suam revocaret. Id eo probabilius est quod idem vates in alio poemate (LA PITIÉ), quod eodem fere tempore prodiit Londini, eumdem imperatorem allocutus, his utitur verbis :

Souviens-toi de ton nom; Alexandre autrefois
Fit monter un vieillard sur le trône des rois.
Sur le front de Louis tu mettras la couronne:
Le sceptre le plus beau c'est celui que l'on donne.

Hæc carmina Alexandri oculis denuo subjecta sunt, die martis 31 1814, qua Lutetiam ingressus est; simulque oblatum hoc distichon probavit, quod illius imagini subscribendum curaverat, eadem alludens, nostræ Collectionis Editor, N. E. LEMAIRE :

Jora pater populis, diademata Regibus ultor,
Europæ pacem, templis sua numina reddit.

LES JARDINS, in extr. cant. IV :

Ces doux soins qui du sage occupent les loisirs,
Quelquefois les rois même ont goûté leurs plaisirs.
C'est toi que j'en atteste, ô vieillard magnanime!
Toi, né du sang royal, modeste Abdolonyme.
Obscur, et retiré dans son paisible enclos,
Entre son doux travail et son heureux repos,
Le vieillard oubliait le sang qui le fit naître:
Nul séjour n'égalait sa demeure champêtre......

Plus loin c'est un troupeau qui, content sous ses lois,
Lui peignait l'origine et les devoirs des rois.
Les premiers souverains furent pasteurs des hommes,
Se disait-il souvent, mais, dans l'âge où nous sommes,
Quels sages envîraient ces illustres dangers?
Il disait; et, content du sceptre des bergers,
Il soignait tour à tour ses troupeaux et ses plantes;
Son fils le secondait de ses mains innocentes......

Tous deux, lorsque le soir tempérait les chaleurs,
Au repos de la nuit abandonnant les fleurs,
Quelquefois de l'empire ils lisaient les annales,
Et du peuple et des grands les discordes fatales;
Comment, au bruit confus de mille affreuses voix,
Le crime ensanglanta la demeure des rois,
Et du trône brisé fit tomber leurs ancêtres.
Le vieillard les pleurait; mais, sous ses toits champêtres,
Tranquille, il était loin d'envier leur splendeur......

Un soir, après avoir fini leurs doux travaux,
Désaltéré leurs fleurs, taillé leurs arbrisseaux,
Au pied de cet autel couronné de guirlandes,
Tous deux agenouillés présentaient leurs offrandes......

Voilà que tout à coup résonne aux environs
L'éclatante trompette et le bruit des clairons;
Une troupe guerrière entoure cette enceinte;
Le jeune Abdolonyme a tressailli de crainte:
Mon fils, dit le vieillard, ne t'épouvante pas!
Lorsque l'orgueil armé rassemble ses soldats,
Le riche peut trembler; mais le pauvre est tranquille.
Il dit, reste à l'autel, et demeure immobile.
Mais la trompette sonne une seconde fois,
Et l'écho roule au loin, prolongé dans les bois:
C'est le vainqueur de Tyr, c'est lui, c'est Alexandre;
Fatigué de marcher sur des palais en cendre,
Effroi du trône, il veut en devenir l'appui,
Et ce caprice auguste est digne encor de lui.
Des portes du jardin les pilastres rustiques
N'offraient point des palais les marbres magnifiques:
D'un simple bois de chêne ils etaient façonnés;
Ces lieux d'un vert rempart étaient environnés;
Les mûriers, les buissons, les blanches aubépines,
Ensemble composaient ces murs tissus d'épines.
Alexandre s'arrête; et ce triomphateur,
Qui des plus fiers remparts abaissa la hauteur,
Contemple avec respect cette faible barrière;
Il laisse hors des murs sa cohorte guerrière;
Il porte dans l'enceinte un pas religieux,
Et craint de profaner le calme de ces lieux:
A peine il les a vus, ses passions s'apaisent,
Son orgueil s'attendrit, ses victoires se taisent;
Et sur ce cœur fougueux, sur ce tyran des rois,
La nature un instant a repris tous ses droits.

Il cherche le vieillard, il le voit, il s'approche :
Ce lien me fait, dit-il, un trop juste reproche :
Il me dit que j'ai trop méconnu le bonheur.
A terrasser les rois je mettais mon honneur;
Je vais jouir enfin d'un charme que j'ignore :
Ton sang régna jadis, il doit régner encore;
Sors de l'obscurité : les peuples et les rois
Sont toujours criminels d'abandonner leurs droits.
Ne me refuse pas cette nouvelle gloire :
C'est la prix le plus doux qu'attendait ma victoire.
Viens donc, tout te rappelle au rang de tes aïeux,
Tes vertus et ton peuple, Alexandre et les dieux.
Ainsi ta main toujours dispose des couronnes :
Aux uns tu les ravis, aux autres tu les donnes,
Répondit le vieillard; et de tes fières lois
Le plus obscur rédoit ne peut sauver les rois!
Hé bien, à mes destins je suis prêt à souscrire;
Pour le rendre à mon fils je reprends mon empire.
Toi, si tu peux des champs goûter encor la paix,
Contemple cet asile, et conçois mes regrets :
Permets donc qu'en ces lieux le sommeil des chaumières
Pour cette nuit du moins ferme encor mes paupières,
Et qu'en ce doux abri prolongeant mon séjour,
Je dérobe aux grandeurs le reste d'un beau jour;
Demain à mes devoirs je consens à me rendre.
Cette noble fierté plaît au cœur d'Alexandre;
Mais, durant leurs adieux, le fils, dans le jardin
Ayant cueilli des fleurs qu'entrelace sa main,
A ces lauriers cruels qu'ensanglanta Bellone,
Demande à marier sa modeste couronne.
Le héros lui sourit, et ce front triomphant
Se courbe avec plaisir sous la main d'un enfant;
Il le prend, il l'embrasse; et, fixant son visage,
Dans ses destins futurs aime à voir son ouvrage.
Il part enfin, s'éloigne, et s'arrache à regret
A ce couple innocent qu'il envie en secret;
Il s'éloigne, indigné de sa grandeur cruelle
Qui traîne le ravage et le deuil après elle,
Prend pitié de sa gloire, et sent avec douleur
Qu'il a conquis le monde et perdu le bonheur;
Mais ce jour le console : il éprouve en lui-même
Ce plaisir pur qui fuit l'orgueil du diadème,
Qu'ignore la victoire, et quitte ces beaux lieux,
Fier d'un plus beau triomphe, et plus grand à ses yeux.

EXCURSUS II.

DE ALEXANDRO HIEROSOLYMA INGREDIENTE.

Omnes, qui vitam et res gestas Alexandri exposuerunt, uno ore consentiunt, Alexandrum a Tyro Gazam profectum, atque inde, sine ulla mora in Ægyptum pervenisse. Curtius h. l., et Arr. III, 1, accuratius tempus definientes, addunt etiam, iter illud a Gaza usque ad Pelusium, Ægypti urbem, septem diebus esse confectum. De Palæstina atque Judæis, quos in hoc itinere prætergressus est, nusquam fit mentio, nisi quod apud Arrian. II, 25, legimus: Ἀλέξανδρος δὲ ἐπ' Αἰγύπτου ἐγνω ποιεῖσθαι τὸν στόλον. Καὶ ἦν αὐτῷ τὰ μὲν ἄλλα τῆς Παλαιστίνης καλουμένης Συρίας προσκεχωρηκότα ἤδη. E brevi hac relatione, atque ex alto cæterorum scriptorum silentio merito colligimus, regionem illam Alexandro prætereunti sine cunctatione sese dedisse, neque ullam ei curam injecisse. Verum tamen Josephus, Antiqq. Jud. XI, 8, contra omnem cæterorum historicorum auctoritatem multis verbis demonstrat, Alexandrum non Palæstinam modo, sed ipsum etiam terræ illius caput, Hierosolyma, petiisse, non alio consilio, quam ut puniret Judæos ob denegata ipsi auxilia, quæ Tyrum oppugnans ab illis petiisset. Itaque operæ pretium est, expendere Josephi in tali relatione fidem. Quod quo facilius facere, atque singula momenta rite ponderare possimus, totum ejus locum repetere necesse videtur: Ἀλέξανδρος δὲ εἰς Συρίαν παραγενόμενος Δαμασκὸν αἱρεῖ. Καὶ, Σιδῶνος κρατήσας, ἐπολιόρκει Τύρον· ἠξίου τε, ἀποστείλας γράμματα πρὸς τὸν τῶν Ἰουδαίων ἀρχιερέα, συμμαχίαν αὐτῷ πέμπειν, καὶ ἀγορὰν τῷ στρατεύματι παρασχεῖν, καὶ ὅσα Δαρείῳ πρότερον ἐτέλουν δῶρα τούτῳ διδόναι, τὴν Μακεδόνων φιλίαν ἑλόμενον, οὐ γὰρ μετανοήσειν ἐπὶ τούτοις. Τοῦ δ' ἀρχιερέως ἀποκριναμένου τοῖς γραμματοφόροις, ὡς ὅρκους εἴη Δαρείῳ δεδωκὼς, μὴ βαστάζειν ὅπλα κατ' αὐτοῦ, καὶ τούτους, ἕως ἂν ᾖ Δαρεῖος ἐν τοῖς ζῶσι, μὴ παραβήσεσθαι φήσαντος, ἀκούσας Ἀλέξανδρος παρωξύνθη, καὶ τὴν μὲν Τύρον οὐκ ἔκρινε καταλιπεῖν, ὅσον οὐδέπω μέλλουσαν αἱρεῖσθαι. Παραστησάμενος δὲ ταύτην, ἠπείλησε στρατεύειν ἐπὶ τὸν Ἰουδαίων ἀρχιερέα, καὶ διδά-

ξειν πάντας, πρὸς τίνας δὴ αὐτοῖς φυλακτέον τοὺς ὅρκους.... Μηνῶν δὲ ἑπτὰ τῇ Τύρου πολιορκίᾳ διεληλυθότων, καὶ δύο τῇ Γάζῃ, ὁ Ἀλέξανδρος ἐπὶ τὴν τῶν Ἱεροσολυμιτῶν πόλιν ἀναβαίνειν ἐσπουδάκει. Ὁ δὲ ἀρχιερεὺς Ἰαδδοῦς τοῦτο ἀκούσας, ἦν ἐν ἀγωνίᾳ καὶ δέει, πῶς ἀπαντήσει τοῖς Μακεδόσιν ἀμηχανῶν, ὀργιζομένου τοῦ βασιλέως ἐπὶ τῇ πρότερον ἀπειθείᾳ. Παραγγείλας οὖν ἱκεσίας τῷ λαῷ, καὶ θυσίαν μετ' αὐτοῦ τῷ Θεῷ προσφέρων, ἐδεῖτο ὑπερασπίσαι τοῦ ἔθνους, καὶ τῶν ἐπερχομένων κινδύνων ἀπαλλάξαι. Κατακοιμηθέντι δὲ μετὰ τὴν θυσίαν ἐχρημάτισεν αὐτῷ κατὰ τοὺς ὕπνους ὁ Θεὸς θαῤῥεῖν καὶ, στεφανοῦντας τὴν πόλιν, ἀνοίγειν τὰς πύλας... Πυθόμενος δὲ αὐτὸν οὐ πόῤῥω τῆς πόλεως ὄντα, πρόεισι μετὰ τῶν ἱερέων καὶ τοῦ πολιτικοῦ πλήθους, ἱεροπρεπῆ καὶ διαφέρουσαν τῶν ἄλλων ἐθνῶν ποιούμενος τὴν ὑπάντησιν εἰς τόπον τινὰ Σαφὰ λεγόμενον. Τῶν δὲ Φοινίκων καὶ τῶν ἀκολουθούντων Χαλδαίων, ὅσα βασι ἐις ὀργὴν εἰκὸς ἐπιτρέψειν αὐτοῖς, τήν τε πόλιν διαρπάσειν καὶ τὸν ἀρχιερέα μετ' αἰκίας ἀπολέσειν λογιζομένων, τὰ ἐναντία τούτων ἐγένετο. ὁ γὰρ Ἀλέξανδρος ἔτι πόῤῥωθεν ἰδὼν τὸ μὲν πλῆθος ἐν ταῖς λευκαῖς ἐσθῆσι, τοὺς δὲ ἱερεῖς προεστῶτας ἐν ταῖς βυσσίναις αὐτῶν, τὸν δ' ἀρχιερέα ἐν τῇ ὑακινθίνῃ καὶ διαχρύσῳ στολῇ, καὶ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχοντα τὴν κίδαριν καὶ τὸ χρυσοῦν ἐπ' αὐτῆς ἔλασμα, ᾧ τὸ τοῦ Θεοῦ ἐγέγραπτο ὄνομα, προσελθὼν μόνος, προσκύνησε τὸ ὄνομα καὶ τὸν ἀρχιερέα πρῶτος ἠσπάσατο. Τῶν δὲ Ἰουδαίων πάντων ὁμοῦ μιᾷ φωνῇ τὸν Ἀλέξανδρον ἀσπασαμένων καὶ κυκλωσαμένων αὐτὸν, οἱ μὲν τῆς Συρίας βασιλεῖς καὶ οἱ λοιποὶ, τοῦτο ποιήσαντος, κατεπλάγησαν, καὶ διεφθάρθαι τῷ βασιλεῖ τὴν διάνοιαν ὑπελάμβανον. Παρμενίωνος δὲ μόνου προσελθόντος αὐτῷ καὶ πυθομένου, τί δήποτε, προσκυνούντων αὐτὸν ἁπάντων, αὐτὸς προσκυνήσειε τῶν Ἰουδαίων ἀρχιερέα; οὐ τοῦτον, εἶπε, προσεκύνησα, τὸν δὲ Θεὸν οὗ τὴν ἀρχιερωσύνην αὐτὸς τετίμηται. Τοῦτον γὰρ κατὰ τοὺς ὕπνους εἶδον ἐν τῷ νῦν σχήματι, ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας τυγχάνων, καὶ πρὸς ἐμαυτὸν διασκεπτομένῳ μοι πῶς ἂν κρατήσαιμι τῆς Ἀσίας παρεκελεύετο μὴ μέλλειν, ἀλλὰ θαρσοῦντα διαβαίνειν. Αὐτὸς γὰρ ἡγήσεσθαί μοι τῆς στρατείας καὶ τὴν Περσῶν παραδώσειν ἀρχήν.... Ταῦτ' εἰπὼν πρὸς τὸν Παρμενίωνα καὶ δεξιωσάμενος τὸν ἀρχιερέα, τῶν ἱερέων παραθεόντων εἰς τὴν πόλιν παραγίνεται. Καὶ ἀνελθὼν ἐπὶ τὸ ἱερὸν, θύει μὲν τῷ Θεῷ κατὰ τὴν τοῦ ἱερέως ὑφήγησιν· δειχθείσης δὲ αὐτῷ τῆς Δανιήλου βίβλου, ἐν ᾗ τινὰ τῶν Ἑλλήνων καταλύσειν τὴν Περσῶν ἀρχὴν ἐδήλου, νομίσας αὐτὸς εἶναι ὁ σημαινόμενος, κ. τ. λ.

Multa huic relationi inesse vero dissimillima, quis est, quin videat? Omnibus tamen, quæ Josepho, utpote homini religioso, facile concedi possunt, omissis, ea tantum animadverto, quæ omni veritati historicæ aperte repugnare videntur. Quis, verbi caussa, non miratur, quod Alexander in oppugnanda urbe Tyro, quam virtus Macedonica ægre vincere sustinuit, auxilia ab Judæis, hominibus

jam tum minime bellicosis, quæsiverit? Ad res autem venales quod attinet, cur eas ab Hierosolymitanis, qnorum animum in se nondum cognoverat, atque e longinquo potius, quam e vicinia, ubi Sidon, celeberrimum illud prisci orbis emporium situm jamque in potestatem ipsius redactum erat, petiit Alexander? Ut vero omnia alia taceam, duo in hac relatione adsunt anachronismi, qui fidem boni Josephi maxime arguunt. Scilicet *Jaddus* ille, pontifex maximus, qni Alexandro occurrit, nti Chronicon Alexandrinum testatur, aliquot annos antequam Darius Codomanus ad imperium Persarum accederet, jam mortuus erat; atque si Newtono, summo illi viro et de rebus ad chronologiam pertinentibus meritissimo, credere licet, tum, quum Alexander Persis bellum inferret, nepos illius Jaddi, Simon cognomine Justus, post patrem Onaniam, illud sacerdotium exceperat. Et ne quid dicam de miranda divini nominis, quo aurea lamina sacerdotis insculpta erat, vi, quæ Alexandrum ita movit, ut non iram modo poneret, sed ad genua sacerdotis provolutus illud adoraret etiam, porro et inde justa movetur suspicio, quod Parmenio rogat: *τί δήποτε, προσκυνούντων αὐτὸν ἁπάντων, προσκυνήσειε τὸν Ιουδαίων ἀρχιερέα* Tum enim Alexander nondum eo processerat, ut cnltum divinum sibi arrogaret. Talem fastum assnmpsit demnm, quum, post mortem Darii, totius Asiæ dominus sibi videretur. Quibus rebus rite perpensis equidem non possnm, quin Josepho omnem fidem derogem. Cæterum et Gualterus, Josephi auctoritatem secutus, hanc narratiunculam carmini suo inseruit. Hæc de Alexandri expeditione adversus Hierosolymitanos disseruit *Cunze*, cujusquidem sententiæ adhæreo: nec ille omnia retulit quæ Josephi narrationem in dubium revocare queant: de cæteris lectorem conferre jnbet ea qnæ tradidit *Sainte-Croix*, *Examen critique*, *Paris*, 1775. Sed notandum est duas quidem hujus clarissimi operis editiones in publicum prodiisse, alteram nempe anno 1810, in qua, quum auctor suam de religiosis politicisque rebus cogitandi rationem in aliam viam deflexisset, multa suppressit, plnra mntavit, inprimisque alia de hac expeditione disseruit, ab ea sententia, quam prius expresserat, plane diversa. Eadem fere fabula de Alexandro exstat in chronico quod Arabice scripsit *Aboul'lfatah*, cujus partes qnasdam typis mandaverat v. cl. *Schnurrer*, et nostras celeberrimus *de Sacy*, in libro qui inscribitur *Chrestomathie arabe*, t. II, n° 6, p. 209...12. Hic tantum a Josepho differt quod omnia quæ Judæus auctor de Judæis, Arabicus de Samaritanis retulit. Quædam alia reperias in hebraico opere quod

in decimo circiter sæculo, ut virorum doctorum sententia est, scripserunt rabbini *Salomon Jarchi* et *Aben Esra*. Ineptias quas illi auctores Josephi fabulæ superadditas intexuerant optime refellit *Sainte-Croix;* fabulam vero ipsam, quam validioribus argumentis pugnaverat, tueri conatur. Num ergo necesse credidit, quod ad absolutam religionis fidem reverteretur, ea amplecti figmenta, quæ narravit historicus, in multis quidem, et in hac ipsa Alexandri expeditione, cum sacris scripturis minime consentaneus? Cæterum qui plura de Josepho et de sacris scripturis, ubi de Alexandro agitur, noscere velit, ipsum hoc opus adeat, *Examen critique*, *quatr. section*, p. 523 — *deux. édit.* et *Voltaire*, t. IV, p. 102...103; et t. VII, p. 162, *éd. Desoer.*

EXCURSUS III.

DE TRIPLICI ALEXANDRIA.

Quum Alexandria inter urbes celeberrimas numeretur, quum terrestri maritimoque commercio floruerit, immensaque reliquiarum moles præteritam hujus civitatis laudem, viginti seculis elapsis, testetur; operæ pretium esse censuimus paucis paginis complecti quicquid de ea tradidere, tum ex veterum scriptis, tum ex iis quæ ipsi viderunt, Geographi recentiores. Nobis quidem talia aggressis maximæ opi fuere *Sainte-Croix*, *Examen critique*, et *Chaussard*, in ea translatione, quæ gallice prodiit, Arriani, de Expeditione Alexandri, tom. IV, p. 80.

Asia, quam minorem vocamus, subacta, Tyro capta, Alexander Ægyptum ingressus est Persarum Tyrannidi infensam. Ea, haud ægre quidem, potitus est, ipsis incolis ultro vocantibus, utpote qui eos infami jugo eriperet. Ut vero eam tueretur, longe a suis provinciis sitam, et arcem haberet, portumque multarum navium capacem, necesse erat. Hæc, Alexandria condita, Ægypto addidit Alexander.

§ I. DE ANTIQUA ALEXANDRIA.

Alexandria inter Mediterraneum mare, septemtrionem versus, Mareotimque paludem versus austrum sita erat [1]. Itaque ad eam duobus tantum isthmis, et altero quidem austrum versus arctissimo, via patebat. Moles in ipso mari structa, inter continentem Pharonque insulam, et *Heptastadium* vocata, duos portus discriminaverat, quorum alteri, qui *major portus* vocabatur, aditus erat sub turri quæ Pharon gestabat; alterius nomen erat *Eunosti*, quod *faustum reditum* sonat. Moles hæc utrinque aperiebatur, ut naves ex altero in alterum migrare possent, superinjecto, urbem inter et molem, ponte, qui prægaltis et in mari structis columnis nitebatur [2].

Urbs 30 stadiis in longitudinem protendebatur, auctoribus Josepho [3] et Strabone [4]; 10 stadiis, si Josepho; 7 aut 8, si Straboni credideris, lata. Philo 10 circiter stadia latam affirmat [5]. In Curtio legimus *octoginta stadiorum muris ambitum destinasse* Alexandrum; qui numerus cum cæteris quadrat, si 30 stadia in longitudinem, 10 vero in latitudinem duplicaveris. 15,000 passibus circuitu fuisse testatur Plinius [6], quod 120 stadia, non vero 80 refert.

Alia nunc est Alexandria ac olim fuerat. De duobus isthmis unus tantum superest, ad extremam urbem situs, in eo suburbio quod veteres *Necropolin* vocabant. Nunc minor est Mareotis lacus quam erat : quod quidem non mirum est. Crescente enim Nilo crescere Mareotim affirmat Strabo ; ut vero, nostris temporibus, minor cura in canalibus e Nilo ad lacum derivatis impenditur, minor quoque aquarum moles in lacum defluat necesse est.

Alia quoque res notatur ; limi et arenarum aquis invectarum aggestu coopertum est heptastadium, et id, quod prius arctissimum erat, nunc in satis amplam latitudinem extenditur. Hic aggestus littus a magno portu, quem *portum novum* vocant, subduxit ; et mare, quod urbis mœnia alluebat, nunc ab iis, in quibusdam partibus, circiter 250 hexapodis distat.

1. Vid. *D'Anville*, *Mémoires sur l'Égypte*.
2. *Savary*, *Lettres sur l'Égypte*, tom. I.
3. De Bello Jud., lib. II.
4. Lib. XVII.
5. In Flaccum.
6. Lib. V, c. 31.

Quædam tamen succurrunt quibus quantum porrigebatur vetus Alexandria judicari possit. Heptastadio quasi communi mensura uti posse existimo, cujus nomen, ex Aristide Sophista, mensuram ejus designasse constat. Inter urbis mœnia, in veteri portus littore sita, et Phari insulam, 660 circiter hexapodæ numerantur, quam mensuram si Heptastadii longitudinem esse putes, stadium fere 95 hexapodas amplectitur. Et illud ipsum stadium apud antiquos reperitur, idem quod stadium Olympicum, romani milliarii octava parte constans.

Si vero Plinius 15 millia ambitu Alexandriam amplexam esse dicit, quod idem ac 120 stadia est, Curtius vero 80 tantum stadia nominat, ex his concludendum est Plinii stadium hic idem esse ac 50 hexapodæ, 4 pedes; Curtii nempe stadio tertia fere parte brevius. Vulgare enim Plinio est distantia milliariis metiri, unoquoque milliario 8 stadia complectente. Et inde quoque explicari potest quod in bello civili inter Pompeium et Cæsarem dicitur, molem nempe inter Pharon et urbem 900 passibus longam fuisse; ut enim milliarium vulgo 8 stadiis constabat, 7 stadia idem erant ac 875 passus.

Addicta stadii mensura, quod stadio Olympico quinta parte brevius, Alexandria 2,250 hexapodis in longitudinem, 750 in latitudinem porrigitur. Nunc 1,600 tantum hexapodas longa, 600 lata est arabica urbs. *Majoris* portus magna pars et portus Eunosti, suburbio quodam claudebatur, quod Alexandria ipsa vetustius, priscum nomen *Rhacotin* servabat. Tacit. Hist. VI, 84, ibi *Serapi* templum exstructum fuisse dicit; et nunc quoque *Serapei* hujus locus noscitur turri quadam, qua militum vigiliæ unaquaque die aguntur.[1]

Alius quoque portus *Eunosto* propior quondam fuit qui *Kibotos*, quod proprie *arca* est, vocabatur, undique clausus, cujusque nulla superfuere vestigia; sed Leonis Africani tempore, nempe ineunte decimo sexto sæculo, adhuc exstitisse probabile est; hic enim scriptor de catena, quæ portum claudebat, loquitur; quod sane de veteri portu 1,000 hexapodis in latitudinem porrecto intelligi non potest. Quemdam e Nilo canalem in *Kiboton* defluxisse narrat Strabo.

Ex hac, ut ex altera parte, nova Alexandria vetus major erat, ad suburbium usque *Necropolin*, cujus antiqua monumenta in hoc isthmo reperiuntur, nunc, ut olim, inter mare et Mareotim palu-

1. Sozomen. lib. VII, c. 15.

dem est coarctata. Arabs quidam, quem retulit Golius[2], hujus Alexandriæ suburbii mentionem babet, unam e tribus urbis partibus *Nekitam* vocans.

Alexandria, qua austrum spectat, Gymnasio ornàbatur cum porticibus quarum longitudo 600 pedes superabat, quæque pluribus marmorearum columnarum ordinibus nitebantur. Ultra Canopi portam spatiosus erat circus; et paulo post suburbium *Nicopolis*, quod in littore maris assurgens, altera quædam Alexandria videbatur. Ibi erat ampbitheatrum cum stadio ad celebranda quinquennalia[3].

Plurima pars majoris portus loco claudebatur, qui *Bruchion* dictus, regum mortuorum monimentis famosus erat. Privato suo vallo munitus, obsidionem ferre poterat, et ibi quidem ab Alexandrinis obsessus est Cæsar, eamque ob caussam Aureliani imperatoris jussu urbis ea pars diruta est, ut narrat Ammianus Marcellinus. Multa fuisse fama digna in portus littore, e promontorio Lochia, ex Strabone discimus : ædes magnificas a Ptolemæis conditas, Museum, doctorum virorum sedem, bortos, immensa ædificia, templumque cui Alexandri corpus inerat, aureo feretro inclusum, in cujus quidem ablati locum, vitreum aliud posuit Seleucus Cybiosactes.[4].

Insula erat litori propior, *Antirhodus* vocata, in qua, teste Strabone, ampbitheatrum regiæque ædes videbantur. Nullæ hujus occurrunt reliquiæ, nisi eam fuisse credideris terræ tumulum quemdam, qui in litoris sinu exsurgit.

In describenda veteri Alexandria addendum est duas immensas vias per omnem urbem ivisse, in medio sese intersecantes. Prior quidem in longitudinem, quadraginta stadiis longa, e marina porta ad portam Canopi porrigebatur. In bac magnificentissima via, omnium forsan quæ in orbe fuerunt pulcherrima, undique occurrebant marmoreæ columnæ, porphyreæ porticus, obeliscique quæ Romæ et Constantinopoli decus postea fuere; et in ambarum viarum immenso anfractu, ambæ portæ et innumeræ naves e septemtrione austroque conspiciebantur. Vid. Diodorum Siculum, lib. XVII, cap. 52, et Strab. lib. XVII, pag. 1143.

1. Golius, not. in Alferg. p. 159, et *D'Anville*, ibid.
2. *Savary*, ibid.
3. Id. ibid.
4. Id. ibid.

Ex insula Pharo nomen *Pharos* datum turri illi quæ facem præferebat, et in summa rupe per medias undas sita, surgebat, centum circiter hexapodarum, ambitum habente. Turris, quæ nunc *Pharillon* vocatur, mole quadam sive ponte 250 hexapodis longo, cum australi insulæ parte connectitur. In extremo Heptastadio, suburbium erat quod in bello inter Cæsarem et Alexandrinos incensum, rursus conditum est, ut ex Plinio, V, 31, apparet.

§ II. DE ARABICA ALEXANDRIA.

Alexandria, licet variis calamitatibus obnoxia, tamen ipso situ urbis florebat, quo mercium receptrix statio mansit, quum Ægyptus, Omaro regnante, in potestatem Arabum venit. Quos contra quum Alexandria rebellasset, *Amru-Ebn-El-Aas*, Arabum in Ægypto dux, per quatuordecim menses obsessam, 23,000 suorum cæsis, tandem vi cepit. Victor hæc Kalifo scripsit : « Urbem Occidentis caput cepi, immensam sane, quanta miracula contineat describere nequeam; 4,000 balneas, 12,000 olitores, 4,000 Judæos qui tributa solvunt, 400 comædos.... » De Bibliotheca, in qua 400,000 circiter codices congesserant Ptolemæi, interrogatus Kalifus hæc renuntiavit, urendos esse hos libros, qui si nihil nisi Koranum continebant, inutiles; si quid aliud, perniciosi erant. Alexandriæ, Arabum jugo subjectæ, decus paulatim imminutum est. Anno p. C. 875, antiqua mœnia diruta sunt, eaque, quæ nunc exstant, dimidio minorem ambitum circumdantia, exstruxerunt, quæ quidem crassa solidaque et centum turribus munita ad hunc usque diem, hominum sæculorumque injuriis partim intacta, manserunt. Illa posterior Alexandria, quæ Arabica vocari potest, in decimo tertio sæculo florebat adhuc[1], quibusdam suorum munimentorum servatis, latruncularìæ tabulæ speciem præbebat. Cum Hispania et Indis negotiabatur, mercesque in Ægyptum superiorem, per Mareotim paludem, in inferiorem, per canalem qui vocatur *Faoué*, deferebat.

Tum quoque exstabat Pharus, Sostratis Cnidii opus. Huic turri multa erant tabulata porticibus circumdata, quæ marmoreis columnis nitebantur. Ejus altitudo 400 pedum erat, summaque in arce positum erat speculum chalybeum, et ita politum, ut imaginem navium redderet, priusquam oculis apparerent. Ignes nocturni in

1. *Abulfeda*, Ægyptus geographice descriptus.

hac turri accendebantur, quibus proxima esse Ægypti littora nautæ noscere poterant. Quintodecimo sæculo, Turcæ Ægypto potiti sunt; et ea, quam huc usque Alexandria servaverat, laus omnis periit. Doctrinæ quæ tunc florebant, astronomia, geometria, poesis, grammatice, agrorum colendorum ratio, ex Ægypto exularunt.

§ III. DE TURCICA ALEXANDRIA.

Alexandria nihil est nunc, nisi vicus, cui 10,000 circiter incolæ sunt, dum contra, imperante Augusto, 300,000 liberorum, et servorum 600,000 in Alexandria numerabantur. Solum quo surgit, major quondam portus erat, ex qua mare paulatim subductum excessit. Moles, qua littus cum insula Pharo committebatur, jam nunc pars est continentis. Insula Antirhodus ubi fuerit ignotum. Nihil de portu Kiboto superest, fere nihil de canali quem ex eo ad Mareotim lacum effoderant. Lacus ipsius, ante gallici exercitus adventum, nihil supererat; sed bello eos inter et Britannos ineunte, lacus aquis rursum impletus est, a mari, non a Nilo, affluentibus.

Solus adhuc exstat, et ipse multum limum arenamque devehit, canalis qui *Alexandrinus* vocatur. Eo sublato, nulla prorsus foret Alexandria, in qua quidem fluvialis aqua nusquam reperitur.

Ut ut sit Alexandria, et quamquam nullum habeat momentum ad tuendam Ægyptum, magno tamen usui est, si eam ut mercium receptricem stationem æstimaveris; nec omnia prioris magnitudinis vestigia ætas aut Turcæ aboleverunt, nonnullique canales, aliaque monimenta supersunt.

In ea palatii parte, quæ versus orientem spectat, duo sunt *obelisci* quos vulgo vocant, *Cleopatræ acus*. Horum materia est ex Thebaicis lapidibus, multæque hieroglyphicæ literæ in iis inscriptæ sunt. Jacet alter fractus, arenisque coopertus; alter surgit una tantum lapide constans, 60 circiter pedes altus. *Rosettæ* portam versus quinque marmoreæ columnæ inveniuntur. Sed nihil admirationem æque movet ac rubri sienitæ columna quæ Alexandriæ portam versus meridiem spectat. Corinthiacum est capitulum, novem pedes altum; scapus, unius quidem lapidis, 90 pedes longus; basis, quadrata, quindecim pedibus ex omni parte constans. Totum hoc monumentum, 114 pedes altum, urbi imminere videtur, signumque est navibus. Id *Abulfeda*, Arabicus scriptor, *Severi*

columnam vocat; sed in Diocletiani laudem erectum fuisse ex inscriptione ad basim reperta conjicere possumus. Haud procul urbe *hypogæorum* descensus est, eodem loco quo surgebat olim suburbium Necropolis, et in quo templa, horti, superbaque mausolea occurrebant. Quædam apparent vestigia Mæandræi canalis, qui vulgo *Cleopatræ balnea* dicitur; nulla vero musei, quo omnes doctrinæ diu floruerunt, cuique decori fuere Appianus, Herodianus, Euclides, Origenes, Philo, multique alii.[1]

[1] De *Alexandria*, vid. *Description de l'Égypte*, Ant. tom. V, pl. 31; E. M. tom. II, pl. 84, et Ant. mem. tom. I, pag. 677 et seq.



PLAN COMPARATIF
D'ALEXANDRIE,
ANCIENNE, MODERNE,
ET
DU TEMPS DES ARABES;

Q. CURTII RUFI

DE REBUS GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Cap. I. Dario Mediæ fines ingresso, Arbelis potitur Alexander et Babylone, cujus situs, amplitudo et corrupti mores describuntur. Exercitus suppletur augeturque. Præsides aliquarum regionum constituuntur. — II. De virtute militari certantibus præmia proponit Alexander, et in disciplina militari non pauca mutat. Tum Susis et magnis thesauris potitus, Sisygambin, cui imprudens ægre fecerat, solatur. — III. Uxiorum regione superata, Madatem præfectum, ac deditos et captivos, Sisygambi deprecante, tum libertate, tum immunitate donat: Persidemque intrare meditatus, ab Ariobarzane retrocedere cogitur. — IV. Captivo quodam iter paucis cognitum aperiente, Persarum exercitum, ipso Ariobarzane occiso, delet Alexander. — V. Ad Persepolim properans, captivorum Græcorum IV millia liberat. — VI. Persepoli opulentissima direpta, et Parsagadis captis, cum thesauris in urbe utraque, interiorem Persidis regionem petit, ac Mardorum domat gentem. — VII. Alexander, in convivio a Thaide impulsus, Persarum regiam incendit; deinde novis militibus auctus Darium persequi statuit. — VIII. Darii, suos ad ultimum prælium hortantis, oratio. — IX. Variæ præfectorum Darii sententiæ ac tumultus,

ob Nabarzanis, qui cum Besso proditionis societatem inierat, consilium. — X. Bessi et Nabarzanis de Dario prodendo, aut custodiendo, nefaria deliberatio, quam miris artibus occultant. — XI. Insidiæ proditorum Dario aperiuntur; qui Græcorum respuit auxilium, paratus perire, si salvum esse nollent sui milites. — XII. Bessus Darium fictis verbis et lacrymis delusum comprehendit, aureisque vinctum compedibus in sordido vehiculo ad Alexandrum deducendum curat. — XIII. Alexander, audito Darii periculo, ad Persarum exercitum contendit. Bessus autem, cum parricidis aliis arma vultumque metuens victoris, Darium, multis confossum vulneribus, relinquit, fugaque sibi consulere conatur.

1 CAP. I. QUÆ interim ductu imperioque Alexandri,
vel in Græcia, vel in Illyriis ac Thracia gesta sunt, si
suis quæque temporibus reddere voluero, interrum-
2 pendæ sunt res Asiæ. Quas utique ad fugam mortemque
Darii universas in conspectu dari, et, sicut inter se cohærent tempore, ita opere ipso conjungi, haud paulo

1. *Quæ interim ductu imperioque Alexandri. Lefèvre*, lib. I, Epist. 32, et quidam post eum interpretes, monuerunt, *ductu Alexandri* ea geri minime potuisse, quippe qui tum in Asia versabatur. Nam ea *ductu* regis vel ducis geri dicuntur, quæ ipse præsens gerit; *auspiciis* vero atque *imperio*, quæ jubente illo vel per absentiam ejus geruntur. Sic ipse Curtius lib. VI, 3, 2: *alia ductu meo; alia imperio auspicioque perdomui.* Codices nihil variant, nisi quod unus *imperio* habeat pro *imperioque*. Unde Schefferus legi mavult: *quæ interim imperio* (hoc est, auspiciis) *Alexandri*, etc. deleta voce *ductu*, quam quis tamquam interpretamentum alterius adscripserit. Perizonius pro *ductu*, conjecit *jussu*. Minus placet Fabri conjectura legentis *Antipatri* pro *Alexandri;* nam ductus erat Antipatri, imperium Alexandri. — *Suis temporibus reddere*. Hoc est, ita narrare, ut solummodo ad tempus, quo acciderunt, respicerem. Hoc enim placuit Diodoro, quem Curtius maxime sequi videtur; qui, descripto prælio apud Arbela, Antipatri res gestas in Græcia enarrat, et tum demum, quæ prælium apud Arbela sequebantur. Curtius igitur suam rerum dispositionem ideo quod ab auctore græco abiit, excusavit. Vulgare illud est historicis, et merito quidem, ea narratione conjungere, quæ inter se rerum serie cohærent, « ne divisa, ut inquit Tacitus, XII, 40, haud perinde ad memoriam sui valeant. » Vid. ipsum Tacitum, l. l., et XIII, 9; Vell. Pat. I, 14;

aptius videri potest. Igitur ante, quæ prælio apud Ar-
bela conjuncta sunt, ordiar dicere. Darius media fere 3
nocte Arbela pervenit: eodemque magnæ partis ami-
corum ejus ac militum fugam fortuna compulerat;
quibus convocatis exponit, haud dubitare se, quin 4
Alexander celeberrimas urbes, agrosque, omni copia
rerum abundantes, petiturus esset: prædam opimam
paratamque ipsum et milites ejus spectare. Id suis 5
rebus tali in statu saluti fore, quippe se deserta cum
expedita manu petiturum. Ultima regni adhuc intacta
esse, inde bello vires haud ægre reparaturum. Occu- 6
paret sane gazam avidissima gens, et ex longa fame
satiaret se auro, mox futura prædæ sibi: didicisse usu
pretiosam supellectilem, pellicesque, et spadonum ag-
mina nihil aliud fuisse, quam onera et impedimenta;
eadem trahentem Alexandrum, quibus antea vicisset,
inferiorem fore. Plena omnibus desperationis videba- 7
tur oratio; quippe Babylonem urbem opulentissimam
dedi [cernentibus]; jam Susa, jam cetera ornamenta

et, licet alio sensu, Flor. lib. II, 19. — *Quæ prælio.* Quæ statim secuta sunt prælium apud Arbela.

3. *Media fere nocte.* Circiter decem milliaria geographica emensus; conf. not. ad III, 9, 9. — *Fortuna compulerat.* In eumdem locum fortuna direxerat magnum numerum amicorum ac militum Darii fugientium. Cf. Arrian. III, 16.

4. *Celeberrimas urbes.* Babylonem, Susa, Persepolim. — *Agrosque:* præcipue Babyloniorum.

5. *Intacta.* Nondum præsenti hoste vexata et exhausta.

6. *Didicisse. Se usu didicisse*, Cod. R. 1. — *Quibus antea vicisset.* Plurimi Codd. *quibus rebus. Alexandrum inferiorem fore* iis rebus, *quibus antea vicisset*, hoc est Alexandrum victum fore per eamdem rem, per quam antea vicisset Darium, quem, impedimenta trahentem, Alexander, quia expeditum agmen ducebat, vicerat; nunc, vice versa, Alexandrum, impedimenta trahentem, vincet Darius propter agmen expeditum.

7. *Dedi cernentibus.* Nostri Regg. et cæteri Codd. *certantibus*. Utrumque cum Modio *Schmieder* pro glossa habet. In Cod. Theocr. legitur: *dedi*, et *Susam cæteraque*, etc. Sensus foret: Hanc Babylonem, quam ipsi ante oculos cernebant, indefensam linqui a Dario, et quasi tradi in manus hostium. — *Caussamque belli.* Arr. III, 16, 4: τοῦ πολέμου τὸ ἆθλον ἡ Βαβυλὼν καὶ τὰ Σοῦσα ἐφαίνετο. Curtius *caussam*,

8 regni, caussamque belli victorem occupaturum. At ille
docere pergit, non speciosa dictu, sed usu necessaria
in rebus adversis sequenda esse. Ferro geri bella,
non auro; viris, non urbium tectis: omnia sequi ar-
matos. Sic majores suos, perculsos in principio rerum,
9 celeriter pristinam reparasse fortunam. Igitur, sive
confirmatis eorum animis, sive imperium magis quam
consilium sequentibus, Mediæ fines ingressus est.
10 Paulo post Alexandro traduntur Arbela, regia supel-
lectili ditique gaza repleta; quatuor millia talentum

quod Arrianus *præmium* belli dixit. Utrumque eodem redit. Cæterum placet Heumanni emendatio: *caussam belli*, abjecto *que*, quæ voces prioribus per appositionem adjunctæ sint. Virgil. Æn. III, 385: « Et geminas, caussam lacrymis, sacraverat aras. »

8. *Viris, non tectis.* Hoc ab Alcæo quondam dictum est, ut discimus ex Aristide, t. III, orat. 2: « Themistoclem comprobasse dictum quod, quum Alcæus protulisset olim, multi postea usurparunt; non lapides, non ligna, nec fabrorum artem civitatem efficere, sed ubi viri sint, qui se ipsos servare norint, ibidem et urbes esse ac mœnia. » Classicus locus est, quem expressit *Corneille*, *Sertorius*, *tragéd.* act. III, sc. 2: « Je n'appelle plus Rome « un enclos de murailles.... Rome n'est « plus dans Rome, elle est toute où je « suis.... » et sqq. — *Perculsos in principio rerum.* Si *principium rerum* de principio regni persici interpretaris, Cyro et Cambysi vix ac ne vix quidem pristina fortuna attribui potest, quæ post cladem reparanda fuisset. Interpretor itaque, cum Schmiedero, *rerum* de bellis et conatibus; majores suos Darium, Xerxem et alios, si vel in principio rerum, quas forte gerebant, sive bellorum suorum, clade aliqua perculsi fuissent, celeriter tamen pristinam fortunam reparasse. Pro *reparasse*, *Tellier* et quidam alii, *recuperasse* scribunt. Sed Codd. consentiunt et Gualterus cum iis, qui sic habet: « Novimus afflictos sortis discrimine patres, Indultis aliquot hostique sibique diebus, Fortunam reparasse suam.... »

9. *Imperium magis quam consilium.* Frequenter apud Livium, *consilium* sejungitur ab *imperio*. I, 29, 5: « nec imperium illud meum, sed consilium et imperii simulatio fuit; » lib. VI: « Sed imperium quam consilium segnius fuit; » lib. XII: « Non imperio modo, sed consilio etiam ac prope precibus agens. » — *Mediæ fines ingressus est.* Quod verum; sed de via, qua Darius fugerit, auctores non satis constant; cf. Diod. XVII, 61; Arrian. III, 15, 14, et 16, 1. Si Curtium sequimur, per Arbela Mediam versus fugit.

10. *Paulo post.* Postero die. — *Ut supra dictum est.* Lib. IV, 9, 9: *hic commeatuum sarcinarumque majore parte deposita*, etc.: nam et hic majorem partem opum exercitus intelligendam esse liquet. Pro *quatuor millia*, tria tantum millia habet Diodorus, c. 64.

fuere; præterea pretiosæ vestes: totius, ut supra dictum est, exercitus opibus in illam sedem congestis. Ingruentibus deinde morbis, quos odor cadaverum 11
totis jacentium campis vulgaverat, maturius castra movit. Euntibus a parte læva, Arabia, odorum ferti-

11. *Ingruentibus morbis.* Diodor. c. 64, cautiorem facit Alexandrum: « quum vicinum aeris tractum ex tanta cadaverum strage infectum iri facile colligeret, translatis statim castris, cum omnibus inde copiis Babylonem pervenit. » Ex his conjicere possis Alexandrum, cum parte solum exercitus Arbela petiisse; reliquum ad Gaugamela substitisse; mirum enim, ut notavit *Tellier,* si odor cadaverum Gangamelis jacentium Arbela usque deferri, et morbos vulgare potuerit. — *Euntibus a parte læva, Arabia est.* Si quisquam scriptorum iter Alexandri, ab Arbelis Babylonem, descripsisset, omnia forent in expedito. At nihil dixit Diodorus; nihil Arrianus nisi τὴν ἐπὶ Βαβυλῶνος εὐθὺς προυχώρει, h. e, via communi ac militari. Intelligenda est eadem, qua Darius venerat, per easdem circiter regiones, quas etiam Xenophon cum X millibus permeaverat. Paucis eam indicavi sup. ad lib. III, 9, 6, eaque magno exercitui commoda erat, ὅτι οἰκουμένη τε ἐκείνη (regio) πᾶσα ἦν, καὶ ὁδὸς τοῖς σκευοφόροις οὐ χαλεπή. Arrian. III, 16, 4. Ibat igitur Alexander ab Arbelis meridiem versus, primo per Assyriam, a dextra Tigrim habens. In Assyria adhuc fontem bituminis vidit, de quo vide ad § 16. Ultra Tigrim erant Mesopotamiæ deserta, in quibus Arabes Scenitæ circumvagabantur. Unde et hæc deserta a multis *Arabia* vocantur; cf. Mannert. t. V, part. II, p. 313. Curtio igitur scribendum erat: *Euntibus a parte dextra Arabia erat.* Hæc, quam dixi, Arabia inter flumina odorum fertilitate excellebat; conf. Xenoph. Anab. I, 5, 1: regio illa erat πεδίον ἀψινθίου πλῆρες· εἰ δέ τι καὶ ἄλλο ἐνῆν ὕλης ἢ καλάμου, ἅπαντα ἦσαν εὐώδη ὥσπερ ἀρώματα· δένδρον δ' οὐδὲν ἐνῆν. Adde Amm. Marc. 25, 8. Talia et Curtius legisse videtur; sed ita reddidit, ut verba ejus de Arabia omni dicta videantur. Quod male. Arabia omnis non est odorifera; quæ vero ejus partes thuriferæ sunt, odorumque fertilitate *nobiles* celebresque, eædem a Tigri longissime absunt. Hæc *Schmieder.* Quam vero conjecturam ad hunc locum proposuit *Cunze,* licet ipse non probem, quia mei Regg. Codd. in sententia ita scribenda, *a parte læva Arabia,* consentiunt, banc tamen adscribam, de qua lector judicare poterit. « *Euntibus a parte læva,* vulgo: *Euntibus aperit se a læva.* Alii et quidem optimi: *Euntibus aperit se læva.* Quæ Codd. dissensio arguit, locum integrum non esse. Huc accedit error gravissimus, qui verbis, ut nunc sunt, inest. Quonam enim modo fieri potuit, ut inde ab Arbelis Babylonem petentibus Arabia felix *a læva* esset? Dudum interpretes hoc vitium observarunt, eique alii alio modo mederi conati sunt. *Glareanus,* verbi caussa, pro *Arabia,* rescribendum putavit *Aturia,* multisque demonstravit, Gaugamela in Aturia fuisse sita, quod nihil prorsus ad rem est. Nam Aturiæ odorum fertilitas, quæ caput est, nusquam traditur. Raderus testimonio Strabonis pro-

23.

12 litate nobilis regio, campestre iter est. Inter Tigrin et Euphraten jacentia tam uberi et pingui solo sunt, ut a pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Caussa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat, toto fere solo propter venas aquarum resu-
13 dante. Ipsi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno deinde aquarum divortio iter, quod cepere,

bavit, Arabum gentem in ipsa Mesopotamia fuisse eamque Curtium hic respexisse putavit. Quam conjecturam Freinshemius jure damnavit. Mihi quidem haud absimile vero videtur, nomen illud a librario quodam fuisse insitum, qui, quum Curtium de odorum fertilitate nobili regione scriberet, non dubitaret Arabiam odoriferam eam esse, nomenque illud adderet. Igitur delendum est. Præter ea autem minime contemnenda videtur lectio, quæ in optimis MSS. est : *aperit se læva ;* atque ubi eam cum illis confero, quæ Strabo, lib. XVI, tradidit de Mesopotamia, vix dubium relinquitur, locum hunc Curtii minima mutatione sanandum atque ita omnem errorem tollendum esse : *Euntibus aperit se læta odorum fertilitate nobilis regio. Campestre iter est.* Quæ Curtius ampliori Mesopotamiæ descriptioni quasi præfatur. » — *Campestre iter est.* Hoc est, via, qua Alexander ibat, non erat difficilis; vel Arriani verbis : *ὁδὸς τοῖς σκευοφόροις οὐ χαλεπή.*

12. *Inter Tigrin et Euphraten.* Videtur Alexander, Arabiam inter flumina prætergressus, Tigri trajectu, jam per ipsam Babyloniam, quæ interdum Mesopotamia vocatur, Babylonem contendisse. Fertilitatem Babyloniæ uno omnes ore celebrarunt. — *Toto fere solo propter venas aquarum resudante.* Freinshemio et Heinsio vox *propter* absolute posita videtur pro *prope* sive *juxta illos amnes.* Quod exemplo non caret. Ego locum simpliciter sic intelligo : *toto fere solo* Babyloniæ *resudante*, i. e. irriguo atque etiam tumefacto *propter venas aquarum*, propter aquas, ex utroque amne fossisque humo infusas. Iis quæ Curtius memorat prope similia de Hybernia scripsit Pomponius Mela, et Justinus, XLIV, 4, 14, de parte Hispaniæ : « In hac tanta pabuli lætitia est, ut nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. »

13. *Ipsi amnes.* Euphrates et Tigris, *ex Armeniæ montibus profluunt*, nempe Euphratis fons alter ex Paryadre, alter ex Abo, Armeniæ montibus. Tigridis fontes in Antitauro sunt. Eodem redit, quod Strabo, lib. XI, p. 792 scripsit : « Euphrates fontes habet in Tauri septemtrionalibus partibus, Tigris in meridionalibus. » De utroque amne vid. Mannert. tom. V, 2, pag. 199; et nostrum Indic. geograph. — *Aquarum divortio.* Hoc est, intervallo. *Divortio* dixit, non quod ex eodem fonte promanarent, sed quod ex eadem terra profluentes non jungerentur, sed principio propius, tum longius, magno spatio interjecto, distantes, suum quisque iter percurrerent. Et sane errat Seneca, qui, Nat. Quæst. VII, 8 : « Sallustius, inquit, certissimus auctor, asserit Tigrim et Euphraten uno fonte manare in Ar-

percurrunt; duo millia et D stadia emensi sunt, qui amplissimum intervallum circa Armeniæ montes notaverunt. Iidem, quum Mediæ et Gordiæorum terras 14
secare cœperunt, paulatim in arctius coeunt, et quo longius manant, hoc angustius inter se spatium terræ relinquunt. Vicini maxime sunt his campis, quos in- 15

menia, qui per diversa euntes, longius dividuntur, spatio medio relicto multorum millium; quæ tamen terra quæ ab ipsis alluitur, *Mesopotamia* dicitur.» In Cod. Theocr. deest vox *aquarum*. — *Duo millia et D stadia emensi sunt*, etc. Diodor. lib. II, 11: Εὐφράτης καὶ Τίγρις τὰς μὲν πηγὰς ἔχουσιν ἐκ τῶν Ἀρμενίων ὀρῶν. διεστήκασι δ' ἀπ' ἀλλήλων σταδίους δισχιλίους καὶ πεντακοσίους. ἐνεχθέντες δὲ διὰ Μηδίας καὶ Παραιτακηνῆς, ἐμβάλλουσιν εἰς τὴν Μεσοποταμίαν· ἣν ἀπολαμβάνοντες εἰς μέσον, αἴτιοι καθέστησαν τῇ χώρᾳ ταύτης τῆς προσηγορίας. μετὰ δὲ ταῦτα τὴν Βαβυλωνίαν διελόντες εἰς τὴν ἐρυθρὰν ἐξερεύγονται θάλασσαν. Hæc Diodori non sunt absque vitio; Curtius errorum numerum auxit. Uterque si Tigrim et Euphraten 2,500 stadia distare scripserunt, de fontibus fluminum intelligendi sunt. Diserte enim Strabo l. l. διέχουσι δὲ ἀλλήλων αἱ πηγαὶ τοῦ τε Εὐφράτου καὶ τοῦ Τίγριδος περὶ δισχιλίους καὶ πεντακοσίους σταδίους. *Amplissimum* igitur *intervallum* non de divortio ipsorum fluminum, qua longissime invicem discedunt, sed de fontibus interpretare; *circa Armeniæ montes* est ab Euphratis fonte per montes medios ad fontem Tigridis.

14. *Iidem* amnes *quum Mediæ et Gordiæorum terras secare cœperunt.* Nec Tigris, nec Euphrates usquam secant Mediam, ne attingunt quidem. Utriusque scriptoris error manifestus est. Mediæ Diodorus Parætacenen adjunxit, quam, quo remotior a Tigri est, quam ipsa Media, eo minus hi amnes contingere possunt. Eam vero caussam erroris dedit *Schmieder*. «Diodorus Tigrim cum Pasitigri confudit, qui, si verisimiliora sequor, in Media ortus, per montes Mediam a meridie cingentes, in Susianam profluit. Sic iterum in Diod. XVII, 67, Tigridis nomen legitur, ubi absque omni dubio Pasitigris intelligendus est; de quo vide ad c. 3, 1. Curtius Diodorum emendaturus pro Parætacene, *Gordianorum*, sive, quod præfero, *Gordiæorum* terras scripsit, de quibus vide ad IV, 10, 8. Ad Gordiæos autem Euphrates non magis pertinet quam ad Parætacenos; at Tigris tamen in primo cursu, antequam Aturiam attingit. Curtius vero de superiori Tigridis cursu loqui non vult, sed de inferiori; Gordiene autem est adhuc Armeniæ, et eo ipso loco, quo Tigris Gordienen alluit, intervallum inter flumen utrumque maximum est.»

15. *Vicini maxime sunt his campis*, etc. Si *his campis* tertio casu sumis, putide noster dixit; isti enim amnes non vicini Mesopotamiæ dicendi, sed ab utroque latere termini. Non meliora, si sextum casum velis, ubi sensus est: hos amnes in Mesopotamiæ campis maxime sibi vicinos esse. Maxime vicini sunt in Babyloniæ parte ea, in qua, posteris temporibus,

colæ Mesopotamiam appellant; mediam namque ab
utroque latere concludunt. Iidem per Babyloniorum
16 fines in rubrum mare prorumpunt. Alexander quartis
castris ad Mennin urbem pervenit. Caverna ibi est,
ex qua fons ingentem vim bituminis effundit, adeo ut
satis constet, babylonios muros ingentis operis hujus
17 fontis bitumine interlitos esse. Ceterum Babylonem
procedenti Alexandro Mazæus, qui ex acie in urbem
eam confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit,
urbem seque dedens. Gratus adventus ejus fuit regi;
quippe magni operis futura erat obsidio tam munitæ
18 urbis. Ad hoc vir illustris, et manu promptus, fama-
que etiam proximo prælio celebris, et ceteros ad de-
19 ditionem sui incitaturus exemplo videbatur. Igitur
hunc quidem benigne cum liberis excipit: ceterum

Seleucia sita erat. At non hæc solum regio, sed omnis terra inter flumina, quam late patet, Mesopotamia vocabatur, non ab incolis; nomen enim græcum est; sed incolæ utebantur vocabulo, quod græce Mesopotamiam significabat. Sic Alexander Severus imperator quum græcam vocem latina reddere vellet, apud Lamprid. c. 56, *terras interamnas* dixit. Fuit et Interamna civitas Italiæ, simili de caussa sic nominata. — *Iidem* (Freinshem. mavolt *tandem*, sine caussa) *per Babyloniorum fines in mare rubrum prorumpunt* sive *irrumpunt*. Vide locum ex Diodoro supra descriptum, ubi sinum persicum ab optimo quoque scriptore mare erythræum appellari in nota satis probavit Wesselingius.

16. *Fons... effundit.* Forte fons idem intelligendus est in Plut. Alex. Vit. cap. 35, quamvis ibi Ecbatanis, Babyloniæ urbe, fuisse legatur. Erant diversa genera bituminis eorumque usus apud veteres varius et magnus; inter alia, bituminis coacti sive sicci ad ædificia, quæ ex lateribus coctilibus fiebant; cf. Strabo, XVI, p. 1078.

17. *Mazæus*, etc. Confer Arrian. III, 3, 16; Diod. XVII, 64; Plutarch. Alex. cap. 64. Omnes hi consentiunt Babylonem Alexandro fuisse deditam, quis igitur non miratur, si Frontin. Stratag. III, 7, scribit: Alexandrum ad Babylonem fossam pariter et aggerem instituisse, ut in usum ejus existimarent hostes egeri terram, itaque ita subito flumine averso, per alveum veterem, qui siccatus ingressum præbebat, urbem intrasse. Nimirum, memoriæ vitio tribuit Alexandro quod de Cyro legerat apud Herodot. I, 191, et Xenoph. Cyrop. VII. — *Tam munitæ urbis*. Conf. notam ad § 25.

18. *Exemplo*. Simillima sunt iis quæ de Abeloce Livius, XXII, 22, 21; et de Q. Metello Syllæ partes optante scripsit Dio in Excerptis Valesianis.

19. *Excipit*. Sic malui cum nostris Codd. et Schmiedero, pro *excepit*;

quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem
irent, ingredi suos jubet. Magna pars Babyloniorum
constiterat in muris, avida cognoscendi novum regem:
plures obviam egressi sunt. Inter quos Bagophanes, 20
arcis et regiæ pecuniæ custos, ne studio a Mazæo vin-
ceretur, totum iter floribus coronisque constraverat;
argenteis altaribus utroque latere dispositis, quæ non
thure modo, sed omnibus odoribus cumulaverat. Eum 21
dona sequebantur, greges pecorum equorumque,
leones quoque et pardales caveis præferebantur; magi 22
deinde suo more carmen canentes. Post hos Chaldæi,
Babyloniorumque non vates modo, sed etiam artifices
cum fidibus sui generis ibant. Laudes ii regum canere
soliti: Chaldæi siderum motus et statas temporum
vices ostendere. Equites deinde babylonii, suo atque 23
equorum cultu ad luxuriam magis, quam ad magni-
ficentiam exacto, ultimi ibant. Rex, armatis stipatus,

sequitur *jubet*. — *Quadrato agmine, velut in aciem iret. Acies* Latinis interdum pro *prælio* dicitur. Arrian. III, 16, 5: *τὴν δύναμιν ξυντεταγμένην ὡς ἐς μάχην ἦγε*. In hoc autem loco, agmen quadratum non est quadrilaterum, sed bene instructum atque ad dimicandum paratum. Cæterum de *agmine quadrato* vide ad V, 13, 10.

20. *Inter quos Bagophanes*. Cæteri auctores de rebus istis tacent, neque hunc Bagophanem nominant. Hoc quidem moris Persarum erat, ut, ad ostentandam lætitiam publicam, tali honore reges exciperent. Vid. Herod. VII et VIII, eosque et aliæ gentes imitatæ sunt. Vid. Sueton. Calig. 13; Cic. in Verrem, IV, 35; Ammian. XXI, 17; Tacit. Histor. II, 70, 3, etc.

21. *Dona*. Ex more Persarum, quibus regi non nisi cum donis occurrere licebat. Idem usus apud Persas Turcasque adhuc viget. — *Præferebantur*. Hoc est, ferebantur ante Magos.

22. *Magi deinde*. De his vide supra ad lib. III, 3, 6, et 10; et excursum primum ad lib. III. Post *more* legitur in omnibus fere editis *patrium carmen*, sed eam vocem delevi quæ a nostris Regg., et a pluribus Codd. abest. Vix dubium, quin Magi laudes Alexandri cecinerint. — *Laudes ii*. Nostri Codd. *laudes hi*; nempe vates. Gualterus locum ita explicuit: « Occurrunt lyricis modulantes cantibus odas Cum cytharis mimi.... »

23. *Ad luxuriam magis quam ad magnificentiam*. Equitum cultus ad magnificentiam exactus est, si auro, gemmis alioque ornatu magnifice quidem, sed eleganter ornati sunt; ab luxuria abest elegantia. Elegantia erat Græcorum, luxuria barbarorum, qui materiam et pondus, non artem spec-

oppidanorum turbam post ultimos pedites ire jussit: ipse cnm curru urbem, ac deinde regiam intravit. Postero die snpellectilem Darii et omnem pecuniam
24 recognovit. Ceterum ipsius urbis pulchritudo ac vetustas non regis modo, sed etiam omnium oculos in semet haud immerito convertit. Semiramis eam condiderat; non, ut plerique credidere, Belus, cujus regia
25 ostenditur. Mnrus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus, spatium xxx et duorum pedum latitudinem

tabant. — *Cum curru*. Quasi triumphans. — *Recognovit*, recensnit. Justinus II, 14, 8: « 34 continuis diebus prædam recognoscit. » Totidem Orosius III, 17, ponit; alii 40; Curtius mox, § 39, in urbe 34 dies moratum scribit.

24. *Vetustas*. Quidam Codd. *venustas*. — *Semiramis eam condiderat*. Descriptio, quam hic legimus, non est de eo Babylonis statu, quem Alexander viderat, sed priorum potius temporum, et urbis adhuc florentissimæ integræque, cujus ædificia immensa, ab optimo quoque scriptorum celebrata, nondum erant destructa. A Semiramide, Nini uxore, conditam plurimi eorum, qui restant, tradiderunt; alii ante Semiramidem, a Belo, Nini patre; alii a Babylone quodam, multis sæculis ante Semiramidem; alii ab aliis. Babyloni igitur accidit, quod aliis quoque urbibus antiquissimis, ut nihil certi de ejus conditoribus constet. Belum Græci eum deum appellant, quem Babylonii maxime colebant. *Cujus si regia ostendebatur*, templum ejus non intelligo; hoc enim Alexandri adbuc tempore ab Xerxe ob res in Græcia male gestas dirutum jacebat (Arr. III, 16, 6, et VII, 17); sed arcem urbis, quam Bagophanes Alexandro tradiderat. Vide Ammian. XXIII, 6: « Babylon cujus mœnia bitumine Semiramis struxit; arcem enim antiquissimus rex condidit, Belus. » Erant vero, si Diodoro, II, 8, fides, duæ arces ex utraque pontis regione, quarum altera forte Beli appellabatur, quamvis Diodorus utramque a Semiramide conditam referat. Pro *non ut plerique* quod in nostris et in plurimis Codd. est: omnes fere editi habent: *vel ut plerique*.

25. *Laterculo coctili*. Sexcenta occurrunt veterum testimonia quæ hunc locum confirmant. Herodot. I, 178; Diodor. II, 7; Justin. I, 2, 7; Plin. XIII, 15; Juvenal. satyr. X, 170. Ovidii carmen omnibus notum est, metam. IV, 57: « ...ubi dicitur altam Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem. » — *Latitudinem*. Hoc est, quoad latitudinem. In describenda et latitudine, et altitudine, et ambitu murorum, inter se non omnino conveniunt auctores, quorum præcipui sunt Herod. I, 178; Diod. II, 7, et Strabo l. XVI, cum quibus conferendus est Salm. Exercit. Plin. p. 866. Discrepantiam notare auctorum, quorum nemo testis ocularis fuit, sterilis est labor, quem tamen sustinuit Olearius ad Philostr. p. 33, not. 4, ubi Herodotum quidem auctorem omnes sequutos esse, non omnes intellexisse

amplectitur : quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri c cubitorum 26
eminet spatio : turres denis pedibus quam murus altiores sunt. Totius operis ambitus CCCLXVIII stadia complectitur : singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriæ proditum est. Ædificia non sunt admota muris, sed fere spatium unius jugeris absunt. Ac ne totam quidem urbem tectis 27
occupaverunt; per xc stadia habitatur; nec omnia continua sunt; credo, quia tutius visum est, pluribus locis spargi; cetera serunt coluntque, ut, si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo sub-

probare studet. Alexandri tempore isti muri non exstabant. Contra Curtium enim pugnat Herodotus III, 159, qui muros Babylonis a Dario Hystaspis filio, portasque omnes subversas esse tradidit. — *Quadrigæ*. Idem Strab. l. l. et Diodor. l. l. tradiderunt, et hic quidem secundum Clitarchum. Ctesias, eodem Diodoro teste, scripserat : *τὸ πλάτος τῶν τειχῶν ἐξ ἅρμασιν ἱππάσιμον* fuisse.

26. *Singulorum stadiorum*, etc. Fuerunt, qui legere mallent : *CCCLXV stadia complectitur;* quia Clitarchus apud Diodor. II, 7, ambitum urbis CCCLXV stadia continuisse tradidit, quod Semiramis anni dies stadiorum numero æquare studuisset. Sed valde diversa idem Diodorus paullo post ex alio auctore descripsit, nempe Semiramidem, ut celerius opus consummaretur, cuilibet ex amicis stadium cum impensis ad id necessariis attribuisse, et anni spatio negotium peragere jussisse. Quare Freinshemius Curtium ista verba adjecisse censet, ut doceret, quanto studio atque ardore operi tum institerint, quicumque tandem eos muros eduxerunt. — *Unius jugeris*. Idem Diodor. *ἀνὰ μέσον δὲ τῶν οἰκιῶν καὶ τῶν τειχῶν ὁδὸς πάντη κατελέλειπτο δίπλεθρος*, h. e. *CC pedum*, non, uti Raderus et ipse Wesselingius credidit *duorum jugerum*. Πλέθρον enim proprie est mensura centum pedum, quamvis apud quosdam scriptores, de rebus Romanis agentes latino *jugerum* respondeat.

27. *Urbem tectis. Urbem tecta* Cod. Theocr. — *Per XC stadia*. Nostri et alii plurimi Codd. *per LXXX stadia*. — *Nec omnia*. Tecta sive domicilia. — *Tutius*. Propter incendia. Tacit. Germ. 16, 2 : « vicos locant, non in nostrum morem, connexis et cohærentibus ædificiis : suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi. » — *Serunt*. Id ab initio sic institutum vult Curtius, postea ampliavit occasio. Diod. II, 9 : « Babylonis exigua quædam portio nunc habitatur, maximaque intra muros pars agrorum cultui est exposita. » Accidit id post Seleuciam conditam, a qua valde exhaustam esse Babylonem, hominibus illuc commigrantibus, tradit Plin. VI, 26, et Strabo lib. XVI.

28 ministrentur. Euphrates interfluit, magnæque molis
crepidinibus coercetur. Sed omnium operum magni-
tudinem circumveniunt cavernæ ingentes, in altitu-
dinem pressæ ad accipiendum impetum fluminis; quod
ubi appositæ crepidinis fastigium excessit, urbis tecta
corriperet, nisi essent specus lacusque, qui excipe-
29 rent. Coctili laterculo structi sunt; totum opus bitu-
mine adstringitur. Pons lapideus, flumini impositus,

28. *Magnæ molis crepidinibus.* Semiramis ab utroque fluminis latere crepidinem (*un quai*) mœnibus latitudine parem, ad stadia CLX magnis sumptibus eduxit. Diodor. II, 8. — *Circumveniunt.* Vincunt, dolo velut quopiam et occulta prævalentis superant, ut exponit Barth. Advers 52, 16. Sensus est: sed crepidinibus istis magnæ molis circumquaque adaptatæ sunt cavernæ ingentes in profunditatem defossæ, nimiam atque exæstuantem undam excipientes. De his cavernis ingentibus profundissimisque ad excipiendas fluminis exundationes, nescit *Schmieder*, an Curtius Diodorum satis intellexerit, qui de lacu longe alia tradidit. Effoderat quidem Semiramis in humillimo Babyloniæ, non Babylonis, loco ingentem lacum quadratum, in quem averso Euphrate, per alveum fluminis siccum, ex altera in alteram regiam cuniculum 15 pedes latum, coctili laterculo structum, condidit, atque totum opus asphalto ad quatuor cubitorum spissitudinem undique inunxit atque adstrinxit. Quo opere consummato, flumen in pristinum alveum reductum supra cuniculum labebatur, atque Semiramis ex altera regia in alteram sub fluvio transire poterat. Hæc Diodorus. Si Curtium intellexi, istæ cavernæ in altitudinem pressæ, h. e. profundissimæ, lacus erant, arte facti, supra Babylonem humili aliquo loco Babyloniæ, in quos, si flumen exundare inciperet, plurima vis aquarum per fossas deducebatur, ne crepidinem excedere, et urbis tecta corripere posset.

29. *Pons lapideus.* Pilas tantum lapideas fuisse scribit Diodorus, quibus cedrinæ cupressinæque trabes superjectæ sunt. Idem quinque stadia longum facit, quamvis arctissimo fluvii alveo; quod vix credibile est. Strabo quidem uno stadio latum dicit. Cæterum Cassiodorus, Variar. lib. VII, Orbis septem miracula recensens, non pontem lapideum Euphrati impositum, inter mirabilia Orientis opera numerat, sed tantum Babyloniæ muros. « Ferunt prisci sæculi narratores, fabricarum tantum septem terris attributa miracula. Ephesi Dianæ templum; regis Mausoli pulcherrimum monimentum, a quo et Mausolea dicta sunt; Rhodi solis æneum signum, quod Colossus vocatur; Jovis Olympici simulacrum, quod Phidias, primus artificum, summa elegantia, ebore et auro formavit; Cyri, Medorum regis, domus, quam Memnon arte prodiga, illigatis auro lapidibus fabricavit; Babyloniæ muri, quos Semiramis latere cocto, sulphure ferroque construxit; Pyramides in Ægypto, quarum in suo statu se umbra consumens ultra con-

jungit urbem; hic quoque inter mirabilia Orientis
opera numeratus est: quippe Euphrates altum limum
vehit, quo penitus ad fundamenta jacienda egesto,
vix sufficiendo operi firmum reperiunt solum; arenæ 30
autem subinde cumulatæ, et saxis, quibus pons susti-
netur, adnexæ, morantur amnem; qui retentus acrius
quam si libero cursu mearet, illiditur. Arcem quoque 31
ambitu xx stadia complexam habet; xxx pedes in terram
turrium fundamenta demissa sunt: ad LXXX summum
munimenti fastigium pervenit. Super arce vulgatum 32

structionis spatia nulla parte conspicitur.» — *Sufficiendo operi.* Fundamentis sufficiendis, substruendis ponti. Pro *reperiunt* Barthius malebat *repererunt*, non probante Freinshemio; videlicet quia naturam operis ostenderit Curtius, ut inde admirationem operis augeret. Quum Euphratis ea conditio sit, ut altissimum limum vehens, ubicunque aliquid inædificare velis, vix firmum præbeat solum; tamen immensi operis pontem ibi fecerunt. Miratur insanam ædificii molem in solo non satis fido. Nec igitur necesse est ut, cum Barthio, restringas eam rem ad tempus Semiramidis qui eam exstruxit. Quod forte credidere Bongarsius, Heinsius et *Tellier*, qui pro *sufficiendo* scribunt: *suffulciendo*. Si placet, vide quam Herod. I, 186, et Diod. II, 8, in ponte describendo a Curtio differant.

30. *Arenæ autem.* Ego, inquit *Schmieder*, si fateri licet, sententiam hujus loci non satis assequor. *Arenæ cumulatæ* dicuntur, quod fieri quidem potuit, quamquam noster ipse modo dixerat, Euphraten non arenas, sed altum limum vehere. Si vero arenæ *saxis* sive pilis pontis *annexæ* amnem morabantur, videlicet, ut minori vi ferretur, quo tandem modo acrius in pontem illidi poterat, quem ipsæ illæ arenæ ab impetu amnis defendebant? Sensum et bonum et planum haberes, si abessent illa *et saxis* (sive *cum saxis*, ut C. Th.) *quibus pons sustinetur, annexæ;* quæ si abjicere per codices liceret, sensus esset: Arenæ, non ad, sed ante pontem cumulatæ, aliquibus quidem locis flumen morantur ac retinent; sed per loca inter arenas patentia vehementius fertur atque acrius in pontem illiditur, quam si libere mearet. Igitur et hac fluminis natura labores in ponte exstruendo aucti essent. At si Herodotum audis, Euphrates, ut pons exstrui posset, a Semiramide deductus erat.

31. *Arcem.* Conf. supra ad § 24. Intelligenda est arx in dextra Euphratis ripa ad pontem exstructa, multo major et magnificentior quam arx in ora læva. Cincta erat triplici muro, quorum intimus, etiam Diodoro teste, ambitu 20 stadia amplectebatur. — *Turrium.* Scilic. arcis. Caussam, cur tam alte fundamenta jacta essent, modo attulerat Curtius, scilicet quia Euphrates altum limum vehebat, etc. Arx autem proxime Euphratem sita erat.

32. *Super arce.* Diodor. ὑπῆρχε δὲ καὶ ὁ κρεμαστὸς καλούμενος κῆπος παρὰ τὴν ἀκρόπολιν. Strab. XVI, de

Græcorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem æquantes, multarumque
33 que arborum umbra et proceritate amœni. Saxo pilæ, quæ totum onus sustinent, instructæ sunt : super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terræ, quam altam injiciunt, et humoris, quo rigant terras : adeoque validas arbores sustinent moles, ut stipites earum VIII cubitorum spatium crassitudine æquent, in L pedum altitudinem emineant, et frugiferæ æque
34 sint, ac si terra sua alerentur. Et quum vetustas non

situ illorum ita : ἐπὶ δὲ τῷ ποταμῷ ὁ κῆπος. Idque verosimillimum fit ex iis, quæ antea dixerat : Ἡ δ' ἀνωτάτω στέγη προσβάσεις κλιμακωτὰς εἶχε, παρακειμένους δ' αὐταῖς καὶ κοχλίας, δι' ὧν τὸ ὕδωρ ἀνῆγον εἰς τὸν κῆπον ἀπὸ τοῦ Εὐφράτου συνεχῶς οἱ πρὸς τοῦτο τεταγμένοι. A quibus minime dissentiunt, quæ Diodor. l. l. addit : μία δ' ἦν (σύριγξ) ἐκ τῆς ἀνωτάτης ἐπιφανείας διατομὰς ἔχουσα καὶ πρὸς τὰς ἐπαντλήσεις τῶν ὑδάτων ὄργανα, δι' ὧν ἀνεσπᾶτο πλῆθος ὕδατος ἐκ τοῦ ποταμοῦ, μηδενὸς τῶν ἔξωθεν τὸ γινόμενον συνιδεῖν δυναμένου. — *Græcorum fabulis*. Narrationibus Græcorum opera admiranda ita describentium, ut magis fabulosa quam vera esse videantur. — *Pensiles horti*. Diodor. et Strab. ὁ κρεμαστὸς καλούμενος κῆπος. Berosus ap. Joseph. Antiqq. Jud. X, 13 : ὁ καλούμενος κρεμαστὸς Παράδεισος. Vocabantur autem horti isti *pensiles*, non quia penderent, sed quia in aere constructi viderentur, neque, uti alii horti, in ipsa terra.

33. *Lapide quadrato solum*, etc. lucidius illud descripsit Diodor. l. l. τὸ δ' ἐπὶ ταῖς δοκοῖς ὀρόφωμα πρῶτον μὲν εἶχεν ὑπεστρωμένον κάλαμον μετὰ πολλῆς ἀσφάλτου, μετὰ δὲ ταῦτα πλίνθον ὀπτὴν διπλῆν ἐν γύψῳ δεδεμένην. τρίτην δ' ἐπιβολὴν ἐπεδέχετο μολιβᾶς στέγας, πρὸς τὸ μὴ διικνεῖσθαι κατὰ βάθος τὴν ἐκ τοῦ χώματος νοτίδα· ἐπὶ δὲ τούτοις ἐσεσώρευτο γῆς ἱκανὸν βάθος, ἀρκοῦμενον ταῖς τῶν μεγίστων δένδρων ῥίζαις. — *Patiens terræ*. Idoneum ferendæ terræ et aquæ. — *Adeoque validas*. Freinshemio monente, construe : *moles sustinent* (seu sustinet) *validas arbores*. — *Ut stipites*, etc. Cæteri auctores indefinite dixerunt, arbores quæ in horto isto pensili creverint atque provenerint fuisse *maximas*. Merito autem dubitamus, terram molibus istis injici potuisse tam altam, quæ tegendis. maximarum arborum imis radicibus sufficerit. Strabo solus eam difficultatem animadvertit atque ita rem expedivit : συνέχεται δὲ ψαλιδώμασι καμαρωτοῖς ἐπὶ πέτρων ἱδρυμένοις κυβοειδῶν ἄλλης ἐπ' ἄλλῃ· οἱ δὲ πέττοι κοῖλοι πλήρεις γῆς. ὥστε δέξασθαι φυτὰ δένδρων τῶν μεγίστων. — *Et frugiferæ æque sint*. Revocavi lectionem Modianam, quæ maximam partem ex manuscriptis est. Arbores illæ frugiferæ sunt non minus quam si nativo in solo consitæ essent.

opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat, hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata est, inviolata durat; quippe XX lati parietes sustinent, undecim pedum intervallo distantes, ut procul visentibus sylvæ montibus suis imminere videantur. Syriæ regem, Babylone regnantem, hoc opus esse molitum, memoriæ proditum est, amore conjugis victum, quæ, desiderio nemorum sylvarumque in

34. *Ipsam naturam.* Sed etiam ipsa naturæ opera sensim consumendo destruat. Sic Cicero pro Marcello, 4: « nihil est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas. » De tempore, omnium rerum edace, vid. quoque Senec. Cons. ad Polyb. I; Epist. 91, 15; Horat. Carm. III, 30; Ovid. Metam. in fine; Rutilius Itin. v. 412; Luciani Charont.; Flor. I, 12; et quæ dixit de Palmirensibus ruinis *Volney*, *Voyages en Syrie*. — *Inviolata durat.* Mira est scriptorum in enarrandis ædificiorum istorum totiusque Babylonis fatis discrepantia. Strab. XVI, 738, auctor est, Alexandrum restaurare voluisse *templum Beli a Xerxe devastatum* (atque etiam Arrian. III, 16, talis ejus consilii meminit), sed non potuisse, quia αὐτὴ ἡ χοῦς εἰς ἀνακάθαρσιν μυρίοις ἀνδράσι δυοῖν μηνῶν ἔργον ἦν. Plin. Hist. Nat. VI, 26, contra: « durat, inquit, *adhuc* ibi Jovis Beli templum. » Herod. III. 159 tradit, Darium muros Babylonis destruxisse (τὸ τεῖχος περιεῖλε); apud Pausaniam, qui Antoninis imperantibus, floruisse putatur, in Arcadic. p. 264, ed. Francof. 1583, relatum legimus: Βαβυλῶνος δὲ ταύτης, ἥντινα εἶδε πόλεων τῶν τότε μεγίστην ἥλιος, οὐδὲν ἔτι ἦν, εἰ μὴ τεῖχος. Quam testimoniorum diversitatem equidem inde ortam puto, quod recentiores scriptores Plinius, Pausanias et Curtius ipsa antiquioris historici verba repeterent. — *XX lati parietes.* Intellige pilas saxo instructas. *Tellier* et *Schmieder* suspicabantur post *viginti* deesse *pedes*; ut hic non parietum numerus sed crassities significaretur. Quum enim quadratæ molis unumquodque latus quadringentos admodum pedes contineret, sive plethra quatuor; si parietes erant viginti, iique intervallo undecim, imo, ut ait Diodorus, duodecim pedum distantes invicem; singulorum crassities vix denum pedum esse potuit: at Diodorus viginti duos tribuit, hancque vel ex eo conjecturam affirmat. Noster 5718 omittit quoque *pedum* post *undecim*.

35. *Syriæ*, id est, Assyriæ *regem*. Quinam ille fuerit, incertum est. Diodorus: ἀλλά τινος ὕστερον Σύρου βασιλέως κατασκευάσαντος χάριν γυναικὸς παλλακῆς, κ. τ. λ. Plin. Hist. N. XVIII, 4: Itemque pensiles, sive illos Semiramis, sive Assyriæ rex Cyrus fecerit. Joseph. Antiqq. Jud. X, 13, secundum Berosum tradit, Nebuchodonosorum juniorem conditorem ejus paradisi fuisse. — *Quæ desiderio*, etc. Diodor. Ταύτην γὰρ φασιν οὖσαν τὸ γένος Περσίδα, καὶ τοὺς ἐν τοῖς ὄρεσι λειμῶνας ἐπιζητοῦσαν, ἀξιῶσαι τὸν

campestribus locis, virum compulit amœnitatem na-
36 turæ genere hujus operis imitari. Diutius in hac urbe
quam usquam constitit rex : nec ullus locus disciplinæ
militari magis nocuit. Nihil urbis ejus corruptius mori-
bus; nihil ad irritandas illiciendasque immodicas volu-
37 ptates instructius. Liberos conjugesque cum hospitibus
stupro coire, modo pretium flagitii detur, parentes ma-
ritique patiuntur. Convivales ludi tota Perside regibus
purpuratisque cordi sunt : Babylonii maxime in vi-
38 num, et quæ ebrietatem sequuntur, effusi sunt. Fe-
minarum, convivia ineuntium, in principio modestus
est habitus; dein summa quæque amicula exuunt,

βασιλέα μεμιμῆσθαι διὰ τᾶς τοῦ φυτουργίου φιλοτεχνίας τὴν τῆς Περσίδος χώρας ἰδιότητα. Eodemque redeunt verba Josephi, nisi quod illam *τεθραμμένην ἐν τοῖς κατὰ Μηδίαν τόποις* dixit. — *Compulit amœnitatem.* Modius legi voluit : *naturæ genium amœnitate hujus operis imitari.* Mox pro : *nec ullus locus*, plures Codd. *nec alio loco.* Tum pro *nec ad irritandas*, cum aliquibus scribere malui; *nihil ad irritandas.* — *Disciplinæ militari.* Nihil enim, ut notavit Freinshemius, inimicius illi quam voluptates. Notum illud proverbii vice jactatum apud Flor. II, 6, 21 : « Capuam Hannibali Cannas fuisse. » Vid. Tac. IV, 64, 7; II, 44, 1; Tit. Liv. XXIX, 34, 8; XXXVI, 11, 2; Sall. Catil. II, 4.

37. *Liberos conjugesque.* Hos Babyloniorum depravatos mores non sacræ solum scripturæ testantur, sed, apud veteres, multi historici, seu eo, quo vixerunt, tempore, ut Herodot. I, 196, 199, seu sua recti judicii sanæque mentis fama, ut Strab. XVI, et alii, commendabiles. Nec apud Babylonios modo mos ille reperitur, sed apud multas gentes, si viatorum auctoritati creditur, inter quos nostrum *Regnard*, *Voyages en Laponie*, adducere satis sit. Igitur non possum quin acerrime invehar in virum illum, cæteroquin maximum, et suæ gentis ætatisque decus, *Voltaire*, sed, ubi de veteribus agitur, nec satis doctum, nec ab omni præjudicata opinione liberum; qui turpissimis maximeque indecoris dicteriis virum eruditissimum et prudentiæ plenum, *Larcher*, Herodoteæ historiæ translatorem, prosecutus est, quia in suo libro *de Veneris cultu*, ea, quæ tradit Curtius, vera esse affirmat. Non sane sic contemnenda et pro nihilo habenda est omnis antiquitatis auctoritas, licet ea, quæ testatur, moribus nostris repugnent. — *Convivales ludi.* Inprimis cantus mulierum, quas Græci *Μουσουργοὺς* vocant et de quibus Suidas ita refert : *Μουσουργοί, ψάλτριαι. αἱ δὲ Μουσουργοὶ βάρβαροι ἦσαν γυναῖκες, ὄνομα αὐταῖς ἐπιχώριον ζάρβα*; vel, uti Barnes. in nott. ad Euripid. p. II, p. 342, legit, *Βάρζα. Μουσουργὸς* erat illa Herodias de qua in Evangelio mentio est, *Μουσουργοὶ* quæ

paulatimque pudorem profanant : ad ultimum (honos
auribus sit) ima corporum velamenta projiciunt; nec
meretricum hoc dedecus est, sed matronarum virgi-
numque, apud quas comitas habetur vulgati corporis
vilitas. Inter hæc flagitia exercitus ille domitor Asiæ, 39
per XXXIV dies saginatus, ad ea, quæ sequebantur, dis-
crimina haud dubie debilior futurus fuit, si hostem
habuisset. Ceterum, quo minus damnum sentiret,
identidem incremento novabatur. Namque Amyntas 40
Andromenis ab Antipatro Macedonum peditum sex
millia adduxit; D præterea ejusdem generis equites;
cum his DC Thracas, adjunctis peditibus suæ gentis III 41
millibus et D; et ex Peloponneso mercenarius miles
ad IV millia advenerat, cum CCCLXXX equitibus. Idem 42
Amyntas adduxerat L principum Macedoniæ liberos
adultos ad custodiam corporis; quippe inter epulas
hi sunt regis ministri : iidemque equos ineunti præ-
lium admovent, venantemque comitantur, et vigilia-
rum vices ante cubiculi fores servant : magnorumque
præfectorum et ducum hæc incrementa sunt et ru-

apud Ægyptios *Almeæ*, apud Indos *Bayaderæ* vocabantur.

38. *Virginumque*. Est hoc ex conjectura Barthii pro vulgato *virorumque*. Heinsius correxit *uxorumque*. — *Comitas habetur*. Inter quas urbanitatis loco est pudicitiæ prostitutæ infamia.

39. *Inter hæc flagitia*, etc. Diodor. XVII, 796 : *πλείους*, inquit, *δὲ τῶν τριάκοντα ἡμερῶν ἐνδιέτριψε τῇ πόλει, διὰ τὴν δαψιλίαν τῶν ἐπιτηδείων καὶ τὴν φιλοξενίαν τῶν ἐγχωρίων*. Idem et Justin. XI, 14, tradidit; sed Arrianus, qui eo nomine interdum reprehendi potest, quod omnia, quæ Alexandro laudi esse non possunt, tacere solet, neque hac de re quidquam dixit. — *Incremento*, supplementis, gallice, *recrues*. Nostri Regg. scribunt *sentirent* pro *sentiret*.

40. *Amyntas Andromenis* filius, cum supplementis advenit, quum Alexander vel Susis (Arrian. III, 16, 18), vel saltem in itinere esset (Diod. XVII, 65). — *Ejusdem generis*. Hoc est, Macedonum.

41. *Cum CCCLXXX equitibus*. Diodorus : *ἱππεῖς βραχὺ λείποντες τῶν χιλίων*.

42. *Ad corporis custodiam*. Vide notam ad IV, 13, 19. — *Vigiliarum vices*. Per vices ante cubiculi ostium vigilias agunt, et sunt quasi seminarium ex quo deinde præfecti et duces exercituum prodeunt.

43 dimenta. Igitur arci babyloniæ rex Agathone præsidere jusso, cum DCC Macedonum trecentisque mercede conductis; prætores, qui regioni babyloniæ ac Ciliciæ præessent, Menetem et Apollodorum reliquit. His duo millia peditum dat cum mille talentis: utrique præceptum, ut in supplementum milites lege-
44 rent. Mazæum transfugam satrapea Babyloniæ donat; Bagophanem, qui arcem tradiderat, se sequi jussit:
45 Armenia Mithreni Sardium proditori data est. Ex pecunia deinde, Babyloniæ tradita, Macedonum equi-

43. *Agathone*. Pydnæo, teste Diodoro. — *Prætores, qui regioni babyloniæ ac Ciliciæ præessent*. Edd. scribunt *civitati*, quam lectionem defendunt interpretes intelligendam de urbe Babylone. At Codd. omnes vel *ac Ciliciæ* vel *et Ciliciæ* habent; idque suffragante et Diodoro, et Arriano, cum Schmiedero recepi, quamvis cum Freinshemio mallem: *qui regionibus a Babylonia ad Ciliciam præessent*. Diodorus enim: Ἀπολλόδωρον δὲ τὸν Ἀμφιπολίτην καὶ Μένητα τὸν Πελλαῖον ἀπέδειξε στρατηγοὺς τῆς τε Βαβυλῶνος καὶ τῶν σατραπειῶν μέχρι Κιλικίας, δοὺς δὲ αὐτοῖς ἀργυρίου τάλαντα χίλια, προσέταξε ξενολογεῖν στρατιώτας ὡς πλείστους. Arrianus, III, 16, 6; satrapam Babylonis constituit Mazæum; Ἀπολλόδωρον δὲ τὸν Ἀμφιπ. στρατηγὸν τῶν μετὰ Μαζαίου ὑπολειπομένων στρατιωτῶν. Paullo post, § 16: ἐπὶ θάλασσαν δὲ κατέπεμψεν ὕπαρχον Συρίας καὶ Φοινίκης καὶ Κιλικίας Μένητα. Huic circiter 3,000 talentum ad mare vehenda tradit, ex quibus Antipatro, quantum ad bellum cum Lacedæmoniis gerendum sufficiat, mittat. Ex his jam vides errorum in Curtio caussam. Editores, qui *et civitati* præferrent, de sola Babylone et Babylonia sermonem esse crediderunt; Curtius vero, Diodorum suum sequutus, græca, ut sæpius, non satis recte vertit. Hoc recte vidit Freinshemius, satrapas esse præfectos provincialium, *prætores* vero militum in provincia relictorum. Sic ab Alexandro cautum est, ne uni viro nimium virium tribueretur. Nostrum igitur locum sic intellige: Satrapa Babylonis factus est Mazæos; præfectus militum in Babylonia relictorum Apollodorus; præfectus militum in provincias ad mare sitas, quibus sui jam erant satrapæ, nimirum Syriam, Phœnicen et Ciliciam, missus est Menes. Utri illa duo millia militum data sint, non satis liquet; puto Meneti in custodiam pecuniæ. Huic soli præceptum esse poterat, ut milites in supplementum legeret, nempe pecunia in Græciam missa. Apollodorus enim, in Babylonia relictus, unde Macedones et Græcos conducere potuisset?

44. *Armenia*. Quæ quando et quo modo in ditionem Macedonum venerit, nemo tradidit. Deditione puto cum Cellario, sed post prælium apud Gaugamela.

45. *Ex pecunia deinde*. Hanc sectionem in vulgatis vehementer corruptam esse, satis persuasus sum. Alia

tibus sexceni denarii tributi; peregrinus eques quingenos accepit : ducenis pedestrium xx stipendium mensum est.

II. His ita compositis, in regionem, quæ Satrapene 1
vocatur, pervenit; fertilis terra, copia rerum et omni commeatu abundans. Itaque diutius ibi substitit; ac 2
ne desides otio demitterent animos, judices dedit,

ex nostris Regg. Codicibus emendavi; nempe ex ipsis post *Babyloniæ* adjeci *tradita*; quamvis maliem, cum Schmiedero, *Babylone tradita*; sed Babylonia interdum de urbe usurpatur; vid. Salm. Exerc. Plin. p. 865. Tum ex iisdem, pro *Macedonibus* scripsi *Macedonum*. Postrema vero, *ducenis pedestrium stipendium mensum est*, ex Codd. emendari non poterant. Plurimi pro *ducenis* legunt *duceni*; duo *mensium* pro *mensum*, quod non est sine caussa. In nostris, et pluribus aliis deficit *est*. Videlicet Curtius Diodori græca in sermonem latinum transtulit; qui, enarratis, quanta Alexander equitibus dederit, sic pergit : *τῶν δ' ἐκ τῆς φάλαγγος* Μακεδόνων (*ἑκάστῳ*), *δύο* (*μνᾶς ἐδωρήσατο*)· *τοὺς δὲ ξένους διμήνοις μισθοφοραῖς ἐτίμησε πάντας*. Hæc ipsa Curtius sine dubio latine scripsit. Itaque Schmiedero in Codd. omnibus integer versiculus excidisse videbatur, ut Curtii nisi manus, saltem sententia fuerit circiter hæc : *Duceni pedestrium* copiarum militibus dati; omnibus denique mercede conductis duorum *stipendium mensium*. Ipsi quoque præplacet ista Cunnii emendatio : *ducenos pedes*, scil. accepit : *mercenarius stipendium mensium II*. 600 denarii æquant circiter 450 fr.; 500 den., 375 fr.; 200 den., 150 fr. Denarius enim æstimatur gallice, 1 *gros*, vel 3 *grammes*, 9,204 $\frac{19}{144}$; nempe 75 cent. $\frac{7}{8}$. Quantum stipendium et equites et pedites mercede conducti apud Alexandrum meruerint, non satis constat. Forte varium fuit pro diversis gentibus, quarum cives Alexander in exercitu habuit.

1. *Satrapene*. Fl. *Satrapæne*; Frob. *Atrapene*. Cæteri Codd. in hoc nomine consentiunt quidem, et Gualterus lectionem vulgatam his versibus firmat : « Ergo Semiramiis postquam Mavortius heros Finibus egressus, *Satrapeis* constitit arvis. » Quum tamen istius nominis regio nusquam apud Geographos occurrat, vix dubium est, quin ex Diodoro XVII, 65, recipiendum sit *Sitacene*. Ibi autem eodem de itinere ita traditur : *ὁ δὲ βασιλεὺς κατήντησεν εἰς τὴν Σιτακηνὴν ἐπαρχίαν. Τῆς δὲ χώρας ταύτης πολλὴν ἀφθονίαν ἐχούσης τῶν ἐπιτηδείων πάντων κ. τ. λ.* Cui relationi mire favet testimonium Strabon. XVI : Ἡ Σιτακηνὴ *πολλή τε καὶ ἀγαθὴ μέση Βαβυλῶνος τέτακται καὶ τῆς Σουσίδος, ὥστε τοῖς ἐκ Βαβυλῶνος εἰς Σοῦσα βαδίζουσι διὰ τῆς Σιτακηνῆς ἡ ὁδὸς ἅπασα*. Quæ argumenta, si cui non satisfecerint, legat saltem *Sadraceæ*, quæ ita forte dicebatur a *Σαδράκαις*, regia Darii Hyst. ibi locorum sita, teste eodem Strabone, XVI.

2. *Desides otio demitterent*. Ne belligerandi ardorem per otium amitterent milites. Freinshemius legit, *demitteret*, hoc verbum ad Alexandrum referens, sed vulgatam lectionem præ-

præmiaque proposuit de virtute militari certantibus.
3 Novem, qui fortissimi indicati essent, singulis militum millibus præfuturi erant; *Chiliarchas* vocabant;

pono. — *De virtute militari certantibus.* Hoc est, coram judice certatim res suas in bello præclare gestas enarraotibus. Judicum erat decernere, quinam omnium maxime virtute excelluerint. Præmia erant, ut ab humili ordine in ampliorem gradum promoverentur, pro merito quisque suo.

3. *Novem qui fortissimi*, etc. In hic quem aoctorem Curtius sequatur, non liquet. Diodorus ad singula non descendit. Arrianus scripta reliquit hæc: sopplementi τοὺς μὲν ἱππέας ἐς τὴν ἵππον τὴν ἑταιρικὴν κατέταξεν Ἀλέξανδρος, τοὺς πεζοὺς δὲ προσέθηκε ταῖς τάξεσι ταῖς ἄλλαις, κατὰ ἔθνη κάστους συντάξας. Κατέστησε δὲ καὶ λόχους δύο ἐν ἑκάστῃ ἴλῃ, οὐ πρόσθεν ὄντας λόχους ἱππικούς· καὶ λοχαγοὺς ἐπέστησε τοὺς κατ' ἀρετὴν προκριθέντας ἐκ τῶν ἑταίρων. Si igitur Arrianum sequeris, equitum amicorum octo alæ in binas turmas dividebantur, quarum singulis λοχαγοὶ præficiebantur, qui ex equitibus amicis præ cæteris virtutis laude insignes censebaotur. Post novum hoc institutum, ni fallor, universæ forte alæ, præfuerunt, qui ante alteri tantum λόχῳ præerant; alterius vero λόχου præfectus additus est, ut in somma essent sedecim λοχαγοί, et octo ἰλάρχαι. De re longe diversa loqui videtur Curtius, nec aliom locum ioveni, ex quo illustrari posset. Codices omnes leguot: *novem*. Ergo unius chiliarchæ nomen exeidit, cujus locum (§ 5, ubi in Cod. Th. *octavum ultimum* legitor) stellula editores signaverunt. Singuli chiliarcharum *mille* militibus præfuturi erant; igitur peditibus; nam turmæ equitum tanto numero non erant. Peditum Macedonum, ut supra monui, duo potissimum agmina erant, alterum *hypaspistarum*, alterum *pezetæron*. Hi numero circiter sex millium in sex agmina jam dispertiti erant, quorum singula suos duces (ταξιάρχους sive χιλιάρχους) jam ante prælium ad Issum habebant, et in πενταχοσιαρχίας distributa fuisse videntur. Restant hypaspistæ, quorum sex quoque millia fuerunt; sed horum nemo onquam in prioribus præliis aliam divisionem memoriæ prodidit, quam illam in duas partes, nempe in *agema peditum*, et in *hypaspistas reliquos*. Utrisque præerat Nicanor; utrique forte in quingenarias cohortes divisi erant, quarum præfectos, ut gradus inferioris, nemo memoriæ prodere voluit. Quum igitur tot millia in supplementum advenissent, Alexander forte et numerum, et agmina peditum omnium auxit, et hypaspistarum quoque universos in complures chiliarchias distribuit, quibus qui præessent, ii, qui maxime virtute militari excelluerant, selecti sont. Nam post prælium ad Gaugamela in Arriano quoque chiliarchiæ hypaspistarum commemorantur, ex. c. l. III, 29, 13. Hæc *Schmieder*, in cujus nota quædam mutavi quæ subobscuriora erant. — *Cesserant.* Quamvis omnes Codd. legerent *gesserant*, tamen Lipsium et Schmiederum secutus scripsi *cesserant*. Istæ cohortes præfectis suis non cesserant, tamquam præmia fortitudinis. Necesse non est, ut cum Tellierio etiam *præmio* legas. Cum quatuor autem Codd. *fuerant* prætuli vulgato *erant*.

tum primum in hunc numerum copiis distributis :
namque antea quingenariæ cohortes fuerant, nec for-
titudinis præmia cesserant. Ingens militum turba con- 4
venerat, egregio interfutura certamini, testis eadem
cujusque factorum, et de judicibus latura sententiam;
quippe verone an falso honos cuique haberetur, ig-
norari non poterat. Primus omnium virtutis caussa 5
donatus est Adarchias senior, qui omissum apud Hali-
carnasson a junioribus prælium unus maxime accen-
derat; proximus ei Antigenes visus est : tertium lo-
cum Philotas Angeus obtinuit : quartus Amyntæ datus
est : post hos Antigonus, et ab eo Lyncestes Amyntas
fuit : septimum locum Theodotus; ultimum obtinuit
Hellanicus. In disciplina quoque militaris rei, plera- 6
que a majoribus tradita utiliter mutavit. Nam quum
ante equites in suam quisque gentem describerentur

4. *Verone an falso.* Utrom merito an immerito aliquis præmium ferret.

5. *Adarchias.* Verum nomen prorsus ignoratur; modo enim idem homo *Tarrias* audit, in Or. II, Plut. de fort. Alex. vel *Atarrias*, ap. Diod. XVII, 36; et *Atharrias*, ap. Curt. VIII, 1, 36; modo *Atarras* appellari videtur, Curt. VI, 8, 19; et *Apharias*, VII, 1, 5. Omnibus præterea locis multis modis Codd. variant. Obsidionem Halicarnassi copiose descripsit Arrian. I, 20 seqq.; pugnam vero cum præsidio, quam seniores Macedonum restituerant, commemorat Diodor. XVII, 27. — *Antigenes : Philotas.* Hos Arrianus quoque inter eos ponit, qui, post hæc tempora, aliquod agmen (τάξιν) peditum Macedonum ducerent. Exped. VI, 17, 6; V, 16, 6; III, 29, 13; IV, 24, 17. Philotan ne cum celebriore Parmenionis filio confundas. Cur *Angeus* vel *Augeus* appellatus sit, nescio. Forte erat *Ægæus*, hoc est, Ægis, urbe Macedonica, natus. *Antigonus* idem esse videtur, qui post Alexandri mortem magna Asiæ parte potitus est. *Amyntarum* plures erant in exercitu; duo hic commemorantur, quorum alter forte is est, quem Arrianus Nicolai filium appellat. Alterum ne credas Andromenis filium fuisse, qui gradum, in quem hi promovebantur, jam tenebat. *Theodotus* idem esse videtur, qui, post Alexandri mortem, Antigoni navarchus fuit. *Hellanicus* in obsidione Halicarnassi excelluerat. Arr. I, 21, 1. Deficit octavus; propterea § 3, *octo* pro *novem* legunt *Ch. Bruno*, *Tellier*, et alii, ut hiatum suppleant. Contra Aldus et Erasmus *novem* retinent, et sic quoque Freinshemius qui etiam cum Aldo hac notula* lacunam esse signavit.

6. *Nam, quum ante equites*, etc. Institutum erat in re militari Mace-

seorsum a ceteris, exempto nationum discrimine, præfectis, non utique suarum gentium, sed delectis,
7 attribuit. Tuba, quum castra movere vellet, signum dabat, cujus sonus plerumque, tumultuantium fremitu exoriente, haud satis exaudiebatur: ergo perticam, quæ undique conspici posset, supra prætorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum, [observabatur] ignis noctu, fumus in-
8 terdiu. Jamque Susa adituro Abulites, regionis ejus præfectus, sive Darii jussu, ut Alexandrum præda retineret, sive sponte, filium obviam misit, traditurum
9 se urbem promittens. Benigne juvenem excepit rex,

donum, ut quum equitum, tum peditum agminibus aliqua patriæ regio attributa esset, ex qua tirones conscriberentur. Equites igitur ex Bottiæa adducti, seorsim a cæteris equitibus in alam gentis Bottiææ describebantur, et præfecto, qui natione Bottiæus erat, parebant. Hoc tum ita mutatum est, ut, qui equites ex Bottiæa essent, non amplius solummodo præfecto Bottiæo, sed alii quoque præfecto ex alia gente orto attribui possent, eique delecto, h. e. καθ' ἀρετὴν προκριθέντι, ut dixit Arrianus.

7. *Perticam*. Intellige cum Freinshemio perticam, in cujus extremitate lucerna eminebat, sive acerra. Ita et Israelitis castra moventibus signa a Mose assignata. Vid. Num. 10, 15: « Igitur die, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes; a vespere autem super tentorium erat, quasi species ignis usque mane. » Hodie tormenta displosa et militaria tympana in quocumque fremitu satis exaudiuntur. Ignibus quoque et Græci et Romani, ut variarum rerum nuntiis, utebantur. Vide in primis Thucyd. II, 20. 5; III, 4, 13; Polyb. II, 26; Liv. XXI, 27, 7; XXXII, 12, 1; Cæsar. de Bello Gallico lib. II, 33; V, 48; Appian. I de Bell. civ.; Frontin. Stratagem. II, 5, 16. Auctor de Bello Hispanico: « Interdiu rubro panno hastæ prælongæ infixo, noctu vero igne signum datum. » Mox verbum *observabatur* uncis, ut *Schmieder*, inclusi; abest a duobus Codd. Heumanno verbum prius *eminebat* eliminandum videbatur, quod mallem. Nostri Regg. Codd. scribunt *observatur*, pro *observabatur*.

8. *Abulites*. Hæc omnia ex Diodoro XVII, 65, non solum expressa; sed propemodum etiam translata, ubi *Abuletes* vocatur; et apud Arrian. III, 4, 11. Hunc tamen postea Alexander, quum ex Indis reverteretur, et inopia pabuli laboraret, quod non cum commeatu necessario occurrisset, in vincula compegit, uti Plutarch. c. 118, testatur. Arrianus VII, 1, 14, una cum filio occisum tradit, quod res Susianorum male administrassent. Et Plutarch. l. l. hunc filium ab Alexandro hasta trajectum refert. *Oxyarten* appellat Plutarchus, Arrianus vero *Oxathren* aut *Oxoathrem*.

et, eo duce, ad Choaspen amnem pervenit, delicatam, ut fama est, vehentem aquam. Hic Abulites cum donis 10
regalis opulentiæ occurrit. Dromades cameli inter dona erant velocitatis eximiæ; XII elephanti a Dario ex India acciti, non jam terror, ut speraverant, Macedonum, sed auxilium; opes victi ad victorem transferente fortuna. Ut vero urbem intravit, incredibilem 11
ex thesauris summam pecuniæ egessit; L millia talentum argenti, non signati forma, sed rudi pondere. Multi reges tantas opes longa ætate cumulaverant li- 12
beris posterisque, ut arbitrabantur, quas una hora in externi regis manus intulit. Consedit deinde in regia 13
sella, multo excelsiore quam pro habitu corporis. Itaque pedes quum imum gradum non contingerent,

9. *Choaspen*. Hujus sols aqus Persarum reges, etiam peregre profecti, utebantur, Herodot. I, 188. Et hinc forte caussa est cur in nostris Regg. Codd. et in quatuor aliis reperiatur: *dedicata, ut f. e., vehementem aqua* aut *aquam*. *Aquam*, inepte: sed si ablativum *aqua* admittas, planus sensus est, et cum Herodoto congruit, vehementer volventem aquam *dedicatam*, nempe dicatam Regibus. Judicet lector.

10. *Dromades cameli*. De illorum in bellis usu Liv. XXXVII, 40, ita: « cameli, quos appellant *dromadas*. His insidebant Arabes sagittarii, gladios habentes tenues, longos quaterna cubita, ut ex tanta altitudine contingere hostem possent. » — *Velocitatis eximiæ*. Inde teste Isidoro, Orig. XII, 1, nomen illorum ortum: *δρόμος* enim Græce *velocitas* est. — *Speraverant*. Cod. Th. *speraverat*.

11. *L millia*. Totidem Arrianus lib. III, 3, 18. At Just. 11, 14, et Plut. Vit. Alexand. cap. 36, 40,000 habent; Diodoro auctore plus quam 40,000 talentum auri et argenti non signati; præterea 9,000 talentum auri darico signo notati inventa sunt. 50,000 talentum argenti æquant circiter, si attica sint, 279,000,000 fr.; si babylonica, 315,000,000. De argento signato confer lib. III, c. 13.

12. *Liberis posterisque*. Eadem Arrianus III, 3. Diodor. XVII, 66, Curtii sententiam expressit: *πρὸς τὰ παράλογα τῆς τύχης ἀπολείποντες αὐτοῖς καταφυγάς*.

13. *In regia sella*. Aurea, de qua videndus Brissonius, l. I, c. 75. Consedisse in ea Alexandrum, ut ipso hoc facto ostenderet, opes Persarum imperiumque se tenere, recte monuit Freinshemius. — *Imum gradum*. Non recte vertit Curtius Diodori, *τὸ κατὰ τὸν θρόνον ὑπόβαθρον*, h. e. scabellum. Excelsior erat sella, quam ut absque ὑποβάθρου fulcimento, sive scabello, commode quia insidere potuisset. Dario commodum fuisse videtur τὸ ὑπόβαθρον; proceriore igitur sta-

unus ex regiis pueris mensam subdidit pedibus; et
14 quum spadonem, qui Darii fuerat, ingemiscentem
conspexisset rex, caussam mœstitiæ requisivit. Ille
indicat, Darium vesci in ea solitum, seque sacram
ejus mensam ad ludibrium recidentem sine lacrymis
15 conspicere non posse. Subiit ergo regem verecundia
violandi hospitales Deos. Jamque subduci jubebat,
quum Philotas : « Minime vero hæc feceris, rex, sed
omen quoque accipe, mensam, ex qua libavit hostis
16 epulas, tuis pedibus esse subjectam. » Rex, Persidis
fines aditurus, Susa urbem Archelao et præsidium
III millium tradidit : Xenophilo arcis cura mandata
est : Macedonum ætate graves præsidere arcis custodiæ
17 jussi. Thesaurorum Callicrati tutela permissa : satrapea

tura fuit, quam Alexander. De *pueris regiis* vide ad IV, 13, 19.

14. *Sacram ejus mensam*. *Schmieder* interpretatur : « Reges Persarum pro diis colebantur; igitur sacræ videbantur, quibuscumque uti solebant. » Sed *sacra* quoque dici potest, propter eos quos vocat *Hospitales deos*, genios, mensarum præsides. Arnob. lib. II, p. 91 : « sacras facile mensas salinarum opposita, et simulacris deorum. » Aut, quia dicitur epulas diis libasse Persas, et velut cœnæ primitias iis dedisse, ut docet Xenophon Cyrop. VII princ. : « Cyrus ita, uti constiterat, delibatia cibis prandebat, et semper ei, qui maxime indigeret, impertiebatur; quumque, post libationem, precatus esset, tum ipse bibit, tum cæteri, qui aderant, similiter fecerunt » ; et ut ipse Curtius testatur, § 15 : *ex qua libavit hostis epulas*.

15. *Verecundia*. Diodor. ὁ δὲ βασιλεὺς διὰ τῆς ἀποκρίσεως λαβὼν ἔννοιαν τῆς ὅλης κατὰ τὴν Περσικὴν βασιλείαν μεταβολῆς, ὑπέλαβεν ἑαυτὸν ὑπερήφανόν τι πεποιηκέναι, καὶ τῆς πρὸς τὰς αἰχμαλώτιδας ἐπιεικείας ἀλλότριον. Philotæ quoque adulationem narrat, additque Alexandrum ista indignissima adulatione ita esse motum, ut ἐᾶν κειμένην ὑπὸ τῷ θρόνῳ τὴν τράπεζαν jusserit. Quantopere Alexandri comites sæpissime se demittere, quantaque blandimenta illi dare sustinuerint et alio exemplo docemur a Plut. Alexand. Vit. : Λέγεται δὲ καθίσαντος αὐτοῦ τὸ πρῶτον ὑπὸ τὸ χρυσοῦν οὐρανίσκον ἐν τῷ βασιλικῷ θρόνῳ, τὸν Κορίνθιον Δημάρατον, εὔνουν ὄντα ἄνδρα καὶ πατρῷον φίλον Ἀλεξάνδρου, πρεσβυτικῶς ἐπιδακρῦσαι καὶ εἰπεῖν ὡς μεγάλης ἡδονῆς στέροιντο τῶν Ἑλλήνων οἱ τεθνηκότες πρὶν ἰδεῖν Ἀλέξανδρον ἐν τῷ Δαρείου θρόνῳ καθήμενον.

16. *Xenophilo*. Pro hoc Arrianus III, 16, 15, *Mazaron* ex agmine amicorum nominat. Neutrius meminit Diodorus. *Callicratis* quoque nomen nec apud Diodorum, nec apud Arrianum invenitur.

regionis Susiæ restituta Abuliti. Matrem quoque Darii 18
et liberos in eadem urbe deponit. Ac forte macedonicas vestes multamque purpuram, dono ex Macedonia sibi missam, cum his quæ eam confecerant, tradi Sisygambi jussit : omni namque honore eam, et filii quoque pietate prosequebatur; admonerique jus- 19
sit, ut, si cordi quoque vestis esset, conficere eam neptes suas assuefaceret, donoque doceret dare; ad hanc vocem lacrymæ obortæ prodidere animum adspernantis id munus : quippe non aliud magis in contumeliam Persarum feminæ accipiunt, quam admovere lanæ manus. Nunciant, qui dona tulerant, tristem 20
esse Sisygambim; dignaque res excusatione et solatio visa. Ipse ergo pervenit ad eam, et : « Mater, inquit, hanc vestem, qua indutus sum, sororum non solum donum, sed etiam opus vides; nostri decepere me mores. Cave, obsecro, in contumeliam accipias igno- 21
rationem meam. Quæ tui moris esse cognovi, ut spero, abunde servata sunt. Scio, apud vos filium in 22
conspectu matris nefas esse considere, nisi quum illa

19. *Admonerique jussit.* Freinshemius mavult : *tradi Sisygambi jussit* (*omni namque honore eam, et filii quoque pietate prosequebatur*) *admonerique, ut si cordi*, etc. Cæterum Curtius solus hanc Sisygambis offensionem, in quam Alexander forte temere incurrit, notavit, neque quo auctore eam rem tradiderit, liquet. Diod. l. l. autem: *παρακατέστησε*, inquit, *τοὺς διδάξοντας τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον.* — *In contumeliam.* Hoc luxui et pessimis moribus tribuendum est, quia otium et voluptas in hac gente dominabantur, labore et negotiis ad servos et infimos homines relegatis.

20. *Sed etiam opus.* Græcorum regum filias non abhorruisse telas operosæ Minervæ ex Homeri testimonio et Penelopes penso notum est. Vide Iliad. Z, 490; Ovid. Metamorph. XII, 474. Augustus imperator filiam et neptes ita instituit, ut eas lanificio assuefaceret; nec veste temere alia quam domestica usus est, ab uxore aut sorore, filiave neptibusque confecta. Vid. Sueton. August. 27, 2; 94, 4. Multa alia congessit exempla Freinshemius quibus quidem probatur hunc usum apud omnes fere gentes in antiquitate celebratas, viguisse.

22. *Considere.* Similem apud Gallos fuisse morem ex Cæsare, Bell. Gall. lib. VI; et apud ipsos Romanos ex Capitolino, Gordian. c. 6, conjicere potes.

permisit : quotiescumque ad te veni, donec, ut considerem, annueres, restiti. Procumbens venerari me sæpe voluisti; inhibui. Dulcissimæ matri Olympiadi nomen debitum tibi reddo. »

1 III. Mitigato animo ejus, rex quartis castris perve-
nit ad fluvium : Pasitigrim incolæ vocant : oritur in
montibus Uxiorum, et per L stadia sylvestribus ripis
2 præceps inter saxa devolvitur. Accipiunt deinde eum
campi, quos clementiore alveo præterit, jam navium
patiens; DC stadia sunt mollioris soli, per quod leni
3 tractu aquarum Persico mari se insinuat. Alexander,
amne superato, cum IX millibus peditum, et Agrianis

1. *Pasitigrim incolæ vocant*. Si doctorem *Vincent* sequeris, vox *Pasitigris* significat eum Tigrim, qui (respectu ad proprium Tigrim), ex media inter septemtrionem et orientem plaga, per Susianam fertur. Vid. *Nearchus's Periple*, p. 408. Certiora de Pasitigridis cursu ex nullius ævi scriptoribus nobis constant. Verosimiliora conjecit *Mannert*, Geog. v. II, p. 473, nempe non in montibus Uxiorum, ex quibus tantus prodire non potuit, quantus describitur, sed in Mediæ montibus occasum versus ab Ecbatanis fluvium oriri. Eumdem si Diodor. XVII, 67, primo per regionem asperam, magnis intercisam voraginibus, *ad M stadia* deferri; Curtius autem *per L stadia* devolvi scripserunt, fortasse ita conciliari possunt, ut Diodorus de omni fluminis cursu a fonte per Mediam et Uxiorum montes ad campos Susianos, Curtius autem de solo cursu per montes Uxiorum intelligatur. Quam justi sint isti numeri, propter defectum certiorum ejus tractus descriptionum non constat. Codices variant. Nostri habent, quod absurdum est, *centum et quinquaginta millia stadia mollioris soli.* Primam sententiam sic scribunt : *rex q. c. p. ad Tygrim fluvium, fasim Tygrim incolæ vocant.*

3. *Et Agrianis*. Plurimi Codd. *et Agrianis Satrianisque*. Loccenius non male conjecit *Agrianis sagittariisque*; nam Agrianis sagittarii jungi solent. Defendit tamen Codd. lectionem Holstenius ad Steph. Byz. p. 285. *Satriani* ei sunt, quos alii *Satras* appellant, Thraciæ gentem. Ne vero credes, Alexandrum cum tantulo exercitu (enumerantur enim XIV tantum millia), Persidem versus movisse. Scias ex Arriano, Uxiorum alios plana incoluisse, seque Alexandro dedidisse; alios, montanos, angustias inter Persidem et Susianam tenuisse, Persis non parentes. Qui quum Alexandrum, nisi, sicut reges Persarum, pecuniam pro transitu solvisset, in Persidem transire non passuri essent, rex suum exercitum dividebat; cum altera parte, de qua h. l. Curtius intelligendus est, ipse noctu angustias circumibat, iisque et montibus circumjectis, cum multa Uxiorum cæde, potitus est. Altera pars posthæc, per

atque Græcorum mercenariis, III additis millibus Thracum, in regionem Uxiorum pervenit. Finitima Susis est, et in primam Persidem excurrit, arctum inter se et Susianos aditum relinquens. Madates 4
erat hujus regionis præfectus, haud sane temporum [multorum] homo; quippe ultima pro fide experiri decreverat. Sed periti locorum Alexandrum 5
docent, occultum iter esse per calles, et aversum ab urbe; si paucos misisset leviter armatos, super capita hostium evasuros. Quum consilium placuisset, iidem 6
itinerum fuerunt duces; M et D mercede conducti et Agriani fere M Tauroni præfecto dati, ac post solis occasum iter ingredi jussi. Ipse tertia vigilia castris 7

angustias transibat. Arrian. III, 17, 18, § 1. Schmied. cum aliis editoribus, scripserat post *mercenariis: millibus III, additis millibus Thracum.* Ille tamen cum Freinshemio locum sic constituendum censebat: *atque Græcorum mercenariis militibus, tribus additis millibus Thracum.* Quum vero at *militibus* et *millibus* a nostris regiis Codd. absint, et sententiam obscuriorem præbeant, neutrum recepi.

4. *Temporum multorum homo.* Est, ex mente Schefferi, qualis multis temporibus reperiri possit. A plurimis autem Codd abest vox *multorum.* Tum intellige cum Gronovio, hominem, qui totus ad temporum varietatem se componit ac mutat: ut supra, *temporaria Græcorum ingenia*, IV, 5, 11. Eodem modo Cic. pro Cluentio, c. 50, dixit: « orationes temporum. » Qualis non erat Madates, qui, si Curtium sequimur, et angustias, et prope illas angustias, urbem aliquam sive potius arcem vel castellum cum Uxiorum manu tenebat. De castello vero nec Arrianus nec Diodorus mentionem fecerunt. Vereor, ne Curtius vocabolo græco, τὰ ἄκρα, deceptus, arcem effinxerit. Græcus forte, sicut Arrianus, scripserat; Alexander Craterum misit τὰ ἄκρα καταληψόμενον, h. e. ut se ipse Arrianus interpretatur, τὰ ὄρη, montium juga occupatorum, in quæ Uxii ex angustiis pulsi sese recepturi videbantur. Addit Diodorus, Alexandrum, post transitum angustiarum, brevi πασῶν τῶν κατὰ τὴν Οὐξιανὴν πόλεων potitum esse; igitur πόλεις vocat, quas Arrianus τὰς κώμας τῶν Οὐξίων. Nam verosimile non est, Uxiis, quibus agri ad colendum apti non erant, qui potissimum cum gregibus errabant (Arrian. III, 17, 14), urbes fuisse. Non parum Curtius ab Arriano abit, cujus descriptio planior est atque facilior intellectu, quam Curtiana. Hæc conjecit *Schmied.*

5. *Et aversum ab urbe.* Qua clam iis, qui urbem et angustias tenerent, angustias circumire licebat. — *Super capita hostium.* In loca editiora, unde hostes et a tergo lacessi possent.

6. *Itinerum duces.* Hoc est, itineris eorum, qui super capita hostium evasuri erant.

motis, circa lucis ortum superaverat angustias, cæsa-
que materia cratibus et pluteis faciendis, ut qui
turres admoverent, extra teli ictum essent, urbem
8 obsidere cœpit. Prærupta erant omnia, saxis et coti-
bus impedita; multis ergo vulneribus depulsi, ut qui-
bus non cum hoste solum, sed etiam cum loco dimi-
9 candum esset, subibant tamen; quia rex inter primos
constiterat, interrogans: tot urbium victores an (non)
erubescerent hærere in obsidione castelli exigui et
ignobilis? simul jam inter hæc eminus petebatur;
quum testudine objecta milites, qui, ut inde disce-
10 deret, perpellere nequiverant, tuebantur. Tandem
Tauron super arcem urbis se cum suo agmine osten-
dit: ad cujus conspectum, et animi hostium labare, et
11 Macedones acrius prælium inire cœperunt. Anceps
oppidanos malum urgebat; nec sisti vis hostium po-
terat; paucis ad moriendum, pluribus ad fugam ani-

7. *Superaverat angustias*. Diodoro auctore, in angustiis pugnatum est, donec, qui circumvenerant, in montibus circum angustias ab Uxiis conspicerentur. — *Materia*, Apud scriptores historiæ latinos, *materia* plerumque pro *ligno* accipitur, cujus in construendis machinis, pontibus, cratibus, cæteroque apparatu bellico usus est. — *Cratibus*. *Crates* ex flexilibus arborum ramis contextæ, tum ad alios usus adhiberi consueverant, tum præsertim a militibus præferebantur, ad impetum telorum retundendum. — *Pluteis*. Veget. IV, 15: « Plutei dicuntur, qui, ad similitudinem absidis, contexuntur e vimine, et ciliciis vel coriis proteguntur, ternisque rotulis, quarum una in medio, duæ in capitibus apponuntur, in quamcumque partem volueris, admoventur, more carpenti, quos obsidentes applicant muris, eorumque munitione protecti, sagittis, sive fundis, vel missilibus defensores omnes de propugnaculis exturbant, ut scalis adscendendi facilior præstetur occasio. » Vid. quoque de his rebus Lipsii Poliorcet. I, 7.

9. *Tot urbium victores an non erubescerent*. Priores tres voces, vulgo præcedentibus junctas, sequentibus, cum Schmiedero, adjunxi. Cum Modio post *an* inserui *non*, sed quia non est e Codd. uncis inclusi. Nostri et multi alii: *simul admovens. Inter hæc eminus petebatur*. Statim: *quem testudine*: et post verbum *milites*, nostri, *qui*, sed, hac voce sublata, admodum obscura sententia est. Omnia ergo, ut Freinshemius et *Schmieder*, scripsimus. — *Testudine objecta*: sublatis densatisque super caput ejus scutis.

11. *Anceps*. Vid. ad III, 7, 9. — *Nec sisti*, etc. Impetus Macedonum

mus fuit : magna pars in arcem concessit. Inde xxx
oratoribus missis ad deprecandum, triste responsum a
rege redditur, non esse veniæ locum. Itaque suppli-
ciorum metu perculsi, ad Sisygambim, Darii matrem, 12
occulto itinere ignotoque hostibus, mittunt, qui pe-
terent, ut ipsa regem mitigaret : haud ignari, parentis
eam loco diligi colique; et Madates sororis ejus filiam
secum matrimonio junxerat, Darium propinqua co-
gnatione contingens. Diu Sisygambis supplicum pre- 13
cibus repugnavit, abnuens, deprecationem pro illis
convenire fortunæ in qua esset : adjecitque, metuere
sese, ne victoris indulgentiam fatigaret : sæpius cogi-
tare, captivam esse se, quam reginam fuisse. Ad ulti- 14
mum victa, literis Alexandrum ita deprecata est, ut
ipsum excusaret quod deprecaretur; petere se, ut illis
quoque, si minus, sibi ignosceret; pro necessario ac
propinquo suo, jam non hoste, sed supplice, tantum
vitam precari. Moderationem clementiamque regis, 15
quæ tunc fuit, vel una hæc res possit ostendere; non
Madati modo ignovit, sed omnes, et deditos, et capti-
vos, libertate atque immunitate donavit : urbem reli-
quit intactam : agros sine tributo colere permisit. A

reprimi non poterat. — *Magna pars in arcem concessit*. Si oppidani ancipiti malo urgebantur, altera parte ab Alexandro, a fronte impetum in urbem faciente, altera a Taurone, qui ex locis editioribus super arcem urbi instabat, num credi potest, magnam oppidanorum partem in illam ipsam urbem confugisse, super quam hostes jam adscenderant? Lege potius Arrianum lib. III, 17. — *Oratoribus*. Legatis. Virg. Æn. XI, 100 : « Jamque oratores aderant ex urbe latina. »

12. *Sororis ejus*. Secundam vocem adscripsi ex nostr. Codd. Omnem rem, auctore Ptolemæo Lagi, Curtius tradidit. Vid. Arrian. III, 17.

14. *Ut ipsum*. Sic dedi cum plurimis Codd. Alexandrum deprecata est, *ut* hoc *ipsum*, ipsam hanc deprecationem excusaret. Freinshemius mallet: *ut id ipsum*, quod mihi quoque placet. Paullo post Heumannus post *ignosceret* punctum delet, et *precanti* legit pro *precari*. Non male.

15. *Agros sine tributo colere permisit*. Contrarium narrat Arrianus. Suam quidem ipsis regionem colere permisit, sed tributo annuo imposito; nempe equis centum, jumentis quin-

16 victore Dario plura mater non impetrasset. Uxiorum deinde gentem subactam Susianorum satrapiæ contribuit : divisisque cum Parmenione copiis, illum campestri itinere procedere jubet ; ipse cum expedito agmine jugum montium cepit, quorum perpetuum
17 dorsum in Persidem excurrit. Omni hac regione vastata, tertio die Persidem, quinto angustias, quas illi Susidas pylas vocant, intrat. Ariobarzanes has cum xxv millibus peditum occupaverat, rupes abscissas et

gentis, et pecudum XXX millibus. Nam erant pastores sine pecunia et agris ad colendum aptis.

16. *Susianorum satrapiæ contribuit.* Abolitis Susianorum satrapæ præfecturæ adjecit, attribuit. Hoc verbum *contribuere*, ut notavit Snakenburgius, singularem vim et elegantiam rei propriam habet, non ignoratam aut neglectam ab aliis quoque optimis scriptoribus. Sueton. Aug, cap. 48 : « regna aut iisdem, quibus ademerat, reddidit, aut alienigenis contribuit. » Cæs. Bell. civ. I, 60 : « Calagurritani, qui erant cum Oscensibus contributi, » id est, conjuncti. Sic et Liv. XXXI, 30 : « ne in unam urbem contributi quidem majores sui deserti relinquerint. » Plinius, III, 3 : « Præter civitates contributas aliis. » Justin. XII, 5, 8 : « In unam cohortem eos, qui de rege durius opinati fuerant, contribuit. » — *Campestri itinere procedere jubet.* κατὰ τὴν ἁμαξιτὸν, τὴν ἐς Πέρσας φέρουσαν, ut scripsit Arrian. III, 18. Parmenion ducebat copias gravioris maxime armaturæ cum impedimentis. Rex ipse cum expedito agmine per montana citatim ad pylas Persidis proficiscebatur. Nihil habet Arrianus de jugo montium ἐν παρόδῳ capto ; nihil de alia regione vastata ; de iisdem nihil Diodorus, quem hoc quoque loco, ut sæpe, ad verbum fere noster vertit. Scilicet non intellexerat Curtius, post angustias captas reliquam quoque Uxianam ab Alexandro subjectam esse. — *Perpetuum.* Continuum, non interruptum.

17. *Tertio die Persidem, quinto angustias.* Alexander antea Persidem intrare nullo modo potuit, quam Susidas pylas superasset. Propter hanc difficultatem Freinshemius hæc verba delenda putavit, quæ tamen temere huc irrepere non potuerunt. Ponendum igitur est, aliquam Persidis partem cis angustias, majorem ultra eas fuisse. Si vero pylæ Susidæ terminus Persidis occasum versus erant, laudanda est conjectura Cunziana : *iter tendens in Persidem, quinto angustias*, etc. Diodor. XVII, 68 : προῆγεν ἐπὶ τὴν Περσίδα, καὶ πεμπταῖος ἧκεν ἐπὶ τὰς Σουσιάδας πέτρας. Virgil. Æn. I, 656 : « iter ad naves tendebat Achates. » — *Susidas pylas.* Arriano III, 18, *Persides pylæ eædem*, quæ Curtio *Susides*, Diodoro XVII, 68, *Susiades petræ* ; angustus transitus inter Susa et Persepolim, a citeriori loco et ulteriori ex æquo denominatus. — *Ariobarzanes.* Persidis satraps. — *Cum XXV millibus.* Diod. addit CCC equites : Arrianus peditum numerat XL millia (quatuor tantum

undique præruptas, in quarum cacuminibus extra
teli jactum barbari stabant, de industria quieti et
paventibus similes, donec in arctissimas fauces pe-
netraret agmen. Quod ubi contemptu sui pergere 18
vident, tum vero ingentis magnitudinis saxa per
montium prona devolvunt : quæ incussa sæpius sub-
jacentibus petris majore vi incidebant, nec sin-
gulos modo, sed agmina proterebant. Fundis quo- 19
que excussi lapides et sagittæ ingerebantur undique;
nec id miserrimum fortibus viris erat, sed quod in-
ulti ferarum ritu, velut in fovea deprehensi cæde-
rentur.. Ira igitur in rabiem versa, eminentia saxa 20
complexi, ut ad hostem perveniant, alius alium levan-
tes, conabantur adscendere : ea ipsa multorum simul
manibus correpta et convulsa, in eos, qui commo-
verant, recidebant. Nec stare ergo, nec niti, nec 21
testudine quidem protegi poterant, quum tantæ mo-
lis onera propellerent barbari. Regem non dolor
modo, sed etiam pudor temere in illas angustias con-
jecti exercitus angebat. Invictus ad eam diem fuerat, 22
nihil frustra ausus : impune Ciliciæ fauces intraverat:
mari quoque novum iter in Pamphyliam aperuerat;

millia refert *Tellier*, sed errore manifesto), equitum septingentos.

18. *Quod ubi*. Quod quum vident pergere, quia ipsos contemnebat. — *Montium prona*, declives partes montium. Hellenismus est apud Latinos frequens. Liv. XXI, 37 : «inferiora vallis.» XXXIV, 47 : «intima finium.» Mela, II, 1 : «sæva hiemis.» — *Incussa sæpius subjacentibus petris* : repercussa a petris subtus prominentibus.

21. *Sed etiam pudor*. Haud injuria Alexandrum temeritatis suæ pudebat, cujus et a Diodoro XVII, 68, arguitur. Arrian. tamen III, 18, hanc rem tacet. Sed merito a Cunzio arguitur, ut qui hanc rem de industria dissimulare visus sit, et silentio Heroi suo favisse. Omnia enim narrare solet.

22. *Ciliciæ fauces*. Supra lib. III, c. 4. — *Iter in Pamphiliam*. Alexander ex Phaselide movens, aliquam exercitus partem per montana Pergam mittit, qua Thraces iter fecerant, alias arduum et longum; ipse reliquos secus mare per litus ducit. Via autem hæc angusta inter mare et rupes, aliter confici non potest, nisi ventis a septemtrione flantibus. Austro autem spirante, per litus iter impervium,

tunc hæsitabat deprehensa felicitas; nec aliud reme-
23 dium erat, quam reverti qua venerat. Itaque, signo receptui dato, densatis ordinibus, scutisque super capita consertis, retro evadere ex angustiis jubet : XXX fuere stadia, quæ remensi sunt.

1 IV. Tum castris undique aperto loco positis, non consultare modo quid agendum esset, sed vates quo-
2 que adhibere cœpit a superstitione animi. Sed quid tunc prædicere Aristander, cui tum plurimum credebat ex vatibus, poterat? Itaque damnatis intempestivis sacrificiis, peritos locorum convocari jubet.
3 Per Mediam iter ostendebant tutum apertumque; sed

et ab undis occupatum est. Tum vero post graves notos, boreales venti exorti, non absque divino quodam numine, ut ipse Alexander, et qui cum eo erant, interpretabantur, facilem et celerem transitum præbuerunt. Arr. I 26. Jam vides, cur *novum iter* dixit Curtius : de hoc Alexandri facto egregie disseruit *Ste-Croix*, *Examen crit.* p. 243. — *Tunc hæsitabat.* Tunc Alexandri felicitas intercepta vacillabat.

23. *Ordinibus.* Editi omnes, *agminibus*. Multi vero Codd., inprimisque nostri Regg. *ordinibus*, quod Modius, *Schmieder* et *Cunze* rectius arbitrabantur; hoc ergo in textum recepi. — *XXX fuere stadia.* Polyæn. IV, 3, 27 : ἀνακαλέσας αὐτοὺς Ἀλέξανδρος ἀπὸ τριάκοντα σταδίων χάρακα ἐβάλετο. Diodor. l. l. ἀναχωρήσας ἀπὸ τῶν παρόδων σταδίους τριακοσίους, quod nimium videtur.

1. *A superstitione animi.* Propter superstitionem, cujus noster pluribus locis Alexandrum arguit, cx. c. IV, 6, 12; VII, 7, 21. Sed, ut optime notavit *Schmieder*, rex defendi posset, maxime ex Plutarcho. Cæterum, qualecumque ipsius de sacrificiis vatibusque fuerit judicium, imperatori sane superstitio, qua multitudinem maxime regi constat, non erat negligenda. Igitur et ab Alexandro in quavis re, vel magna, vel dubia, vates consulebantur. Hoc igitur respectu ista sacrificia (quorum vero nec Arrianus, nec Diodorus mentionem fecerunt), non erant *intempestiva*.

2. *Credebat.* Sic scripsi pro *credebatur*, propter omnium fere Codd. consensum. Dignum certe *credebat* Curtio est, Alexandrum, ut modo dixi, superstitionis arguente; *credebatur* vero emendatio videtur alicujus, regem defensuri.

3. *Per Mediam iter.* Codd. *per medium iter*, quod Raderus mirum in modum interpretatur : *regiam popularemque viam per campos*, ex illo Nasonis : « ...medio tutissimus ibis. » Sed jam Freinshemius nugatoriam istam interpretationem damnavit, atque pro *per medium*, præeunte Bongarsio, reposuit *per Mediam*, qua a septemtrione Persidi adjacet. Regi ergo consilium, ex montibus Uxiorum transeundi in Mediam, ex Media in Persidem, datum esset. Eam ipsam viam

rex dimittere milites insepultos erubescebat : ita tra-
dito more, ut vix ullum militiæ tam solemne esset
munus, quam humandi suos. Captivos ergo, quos nu- 4
per exceperat, vocari jubet; inter quos erat quidam
græcæ persicæque linguæ peritus, qui frustra eum in
Persidem montium dorso exercitum ducere adfirmat;
sylvestres esse calles, vix singulis pervios : omnia
contegi frondibus, implexosque arborum ramos sylvas
committere. Namque Persis ab altero latere perpetuis 5
montium jugis clauditur, quod in longitudinem MDC

in Diodoro intelligendam censent, ubi locorum periti respondisse dicuntur : per istos montes nusquam aliud patere iter, multorum tamen dierum circuitu intrari posse ; sed verendum est ne hoc modo Alexandrum in regionem nimis remotam circumduxerint. Ob eam caussam *Cunze* conjiciebat : *per Medum*, qui fluvius haud procul ab isto loco, ubi Alexander tum erat, Araxi jungebatur, quemadmodum Curtius ipso hoc capite tradit, et Strab. XV, 729, his verbis testatur : *Ῥεῖ δ' ὁ Ἀράξης ἐκ τῶν Παραιτάκων, συμβάλλει δ' εἰς αὐτὸν ὁ Μῆδος ἐκ Μηδίας ὁρμηθείς*. Alexander forte, quum ponte careret hoc flumen, evitare illud et per montana et Susidas pylas iter facere maluerat, cui rei vix alia caussa subesse potuit. Sed neutra mihi interpretatio satisfacit. — Mox pro *dimittere* quatuor Codd. *deserere* ex glossa. Vid. ad V, 5, 2. — *Insepultos*. Vide supra III, 12, 13. Confer Homer. Iliad. Ψ, v. 110; Ω, v. 554; Plutarch. Demosth. 29; Virgil. Æneid. XI, 102. Dignum est Niciæ exemplum, quod referatur. Hic dux Atheniensium, quum forte rescivit, duos ex suis ad Corinthum prælio insepultos relictos esse, quamvis victor, inhibuit exercitus cursum, maluitque victoriæ laudem profundere, petendo a victis ad sepulturam corpora, quam duos cives inhumatos relinquere. Plutarch. in Nicia.

4. *Quidam græcæ persicæque linguæ peritus*. Natione Lycium fuisse, qui bello aliquando captus, complures annos in istis montibus gregum pasturæ adhibitus esset, tradidit Diodorus, et infra Curtius. Eumdem habuisse patrem Lycium, matrem Persidem, scripsit Plutarch. Vit. Alex. c. 37. — *Sylvas committere*. Impervias reddere.

5. *Ab altero latere*. Susianam versus. — *Quod* (jugum) *in longitudinem MDC stadia*. Longitudinem dorsi accipias a sinu persico ad fines Mediæ; tum numerus MDC stadiorum, si 40 stad. æquant 1 mill. geogr., non multum a vero aberrabit. Eosdem montes in latitudinem CLXXX stadiorum procurrisse, concedi potest. Non spernendi tamen sunt duo Codd., qui *altitudinem* exhibent pro *latitudine*. Sed illa tum in verbis, tum in numeris varietas non caussa est cur cum Cunzio credamus ea verba : *quod in long. MDC stad. in latitud. CLXX procurrit* insititia esse, licet hanc suspicionem augeri dicat, quod Curtius Geographica indiligentissime tractare, neque alibi usquam *longitudinem* aut *latitudinem* regionum curare soleat.

6 stadia, in latitudinem CLXX procurrit. Hoc dorsum a
Caucaso monte ad rubrum mare pertinet; quaque de-
ficit mons, aliud munimentum, fretum objectum est.
Planities deinde sub radicibus montium spatiosa pro-
cumbit, fertilis terra, multisque vicis atque urbibus
7 frequens. Araxes amnis per hos campos multorum
aquas torrentium evolvit in Medum : Medus a mari,
et ad Meridiem versus, minor amnis eo, quem ac-
cepit, evehitur; gignendæque herbæ non alius est
8 aptior, quidquid alluit, floribus vestiens. Platani quo-
que et populi contegunt ripas; ita ut procul visenti-
bus continuata videantur montibus nemora riparum,
quippe obumbratus amnis presso in solum dilabitur
alveo, imminentque colles, ipsi quoque frondibus læti;
9 radices eorum humore subeunte. Regio non alia tota
Asia salubrior habetur : temperatum cælum : hinc per-
petuum jugum opacum et umbrosum, quod æstus le-
vat; illinc mare adjunctum, quod modico tepore terras

6. *Hoc dorsum a Caucaso monte*, etc. Hoc est, hi montes, quibus Persis ab occidente clauditur, pars sunt eorum montium, qui perpetuis jugis ex Caucaso ad mare persicum usque extenduntur. — *Fretum*. Poetice, pro mari. Intellige sinum persicum, qui sæpe rubrum sive erythræum mare vocatur. — *Planities deinde*, etc. Persidem ratione cæli tripliciter divisam esse, fama est. De media parte, hoc loco Curtium interpretare. Planitiem non intellige absolutam; sed, ex Curtii ipsius mente, collibus et montibus minoris altitudinis intercisam.

7. *In Medum*. Vel potius Medus Araxi, minor majori infunditur. Strab. l. l. *συμβάλλει δ' εἰς τὸν Ἀράξην ὁ Μῆδος*. — *Medus a mari* (aquas volvit) *et ad meridiem versus evehitur*. Sic vulgo; quæ, vel si Caspium mare intelligere velis, sana non esse satis liquet. Legendum cum Tellierio, *Schmieder* censeret, *Medus ad mare meridiem versus evehitur*, nisi mendum permutare mendo religio esset. Araxes enim in mare non effunditur.

8. *Continuata videantur*. Ita ut nemora quæ ripas obumbrant, contigua esse montium nemoribus videantur : quippe fluvius alte cavato intra terram canali decurrit. — *Imminent*, proxima utramque ripam exstant. *Imminere* et apud Livium sæpissime viciniam tam ex plano, quam ex alto exprimit. Vid. Glossar. Ernest. — *Radices eorum*. Ad ipsorum radices permeante aqua.

9. *Hinc*. A septemtrione. — *Jugum*. Taurus mons. — *Illinc*. A meridie. — *Mare*. Sinus persicus. — *Quod modico tepore terras fovet*. Snakenburg. interpretatur : quod amœno flumine

fovet. His expositis, captivus interrogatus a rege, au- 10
ditu ne, an oculis comperta haberet, quæ diceret?
pastorem se fuisse, et omnes eos calles percurrisse,
respondit : bis captum, semel a Persis in Lycia, ite-
rum ab ipso. Subit animum memoria regis oraculo 11
editæ sortis; quippe consulenti responsum erat, du-
cem in Persidem ferentis viæ Lycium civem fore. Igi- 12
tur promissis, quanta et præsens necessitas exigebat,
et ipsius fortuna capiebat, oneratum armari jubet
Macedonum more, et, quod bene verteret, monstraret
iter; quamvis arduum et præceps, evasurum se esse
cum paucis : nisi forte crederet, quo ipse pecoris
caussa isset, Alexandrum pro gloria et perpetua laude
ire non posse. Etiam atque etiam docere captivus, 13
quam difficile iter esset, maxime armatis; tum rex,
« prædem me, inquit, accipe, neminem eorum, qui
sequuntur, recusaturum ire, qua duces. » Cratero igi- 14
tur ad custodiam castrorum relicto, cum peditibus,
quîs assueverat, et iis copiis, quas Meleager duce-

vaporem æstus minuit. Quod de Perside non concedit *Schmieder* : Persis enim media, quæ sola ob amœnitatem celebratur, nusquam mari adjuncta est. Quæ vero regio ad mare sita est, nostrum *Kermesir*, ea et olim æstu intolerabili flagrabat, et nunc exuritur. At si error est, Curtianus est : recta Snakenburgii interpretatio.

11. *Oraculo editæ sortis*. Ea de re Plutarch. ita : *Φασιν ὅτι παιδὸς ὄντος Ἀλεξάνδρου τὴν Πυθίαν προειπεῖν ὡς Λύκιος ἔσται καθηγεμὼν Ἀλεξάνδρῳ τῆς ἐπὶ Πέρσας πορείας*. Plutarch. Vit. Alex. c. 37; Polyæn. IV, 3, 27.

12. *Monstraret iter*. Legendum est, cum Freinshemio, *monstrare iter*, sive viam difficilem, qua pylæ Persidis circumiri possent.

13. *Prædem*. *Præs*, eodem sensu accipitur quo *vas*, *vadis*. Gallice, *garant*, *répondant*. *Vas* tamen in publicis sæpius, *præs* in privatis usurpatur. Auson. in monosyllab. Edyll. XII, v. 100 : « Quis subit in pœnam capitali judicio? Vas. Quis, quum lis fuerit nummaria, quis dabitur? Præs. » Tamen *vadimonium*, quod idem est ac *vas*, in privatis quoque sumitur.

14. *Cum peditibus, quîs assueverat*. Schmiedero non probatur hæc dictio pro *cum agmine suo*, *σὺν τῇ αὐτοῦ τάξει*; sed formulam hanc amat Curtius; vide infra, c. 12, 9, *custodiæ ejus assuetos* dixit, pro corporis ejus custodibus. Crateri agmen ad pezetæros pertinebat (de quibus vide ad IV, 13, 28); aliam eorumdem *τάξιν* ducebat

bat, et sagittariis equitibus M, præcepit, ut, castro-
rum specie manente, plures de industria ignes fieri
imperet; quo magis barbari crederent, ipsum re-
15 gem in castris esse. Ceterum, si forte Ariobarzanes
cognovisset, per callium anfractus eum intrare, et ad
occupandum iter suum partem copiarum tentasset
16 opponere, Craterus, in eum illato terrore, retineret
ad propius periculum conversum agmen; sin autem
ipse hostem fefellisset, et saltum occupasset, quum
trepidantium barbarorum tumultum exaudisset [per-
sequentium regem] id ipsum iter, quo pridie pulsi
fuerant, ne dubitaret ingredi: quippe vacuum fore,
17 hostibus in semet aversis. Ipse tertia vigilia, silenti
agmine, ac ne tuba quidem dato signo, pergit ad de-
monstratum iter callium: tridui alimenta portare mili-
18 tem jusserat leviter armatum. Sed præter invias rupes

Meleager. — *Et sagittariis equitibus M.* Hæc de copiis cum Cratero relictis ex eodem fonte Curtius hausit, quo Arrianus usus est. Quo auctore, Alexander, præter Crateri et Meleagri agmina, *καὶ τῶν τοξοτῶν ὀλίγους καὶ τῶν ἱππέων ἐς πεντακοσίους* in castris reliquit. Simillima absque dubio et Curtius scripsit, nam *sagittarii equites*, *ἱπποτοξόται*, paullo post hæc tempora, non multo ante expeditionem in Mardos, maris Caspii accolas, ab Alexandro conducti fuerant; Arr. III, 24, 1. Quum tamen nostra lectio ab omnibus antiquissimis Codd. et multis editt. detur, eam servavimus, licet magis sit cum Arriano consentanea, ea, quam recepit *Schmieder*: *et sagittariis ducentis, et equitibus M.* Equitum quoque numerus in nostro corruptus est; quinque sane Codd. *equitibus CX* exhibent. — *Plures ignes.* Hoc consilium Frontinus contulit, in Stratagemat. libro II, capite 5, quod est, de Insidiis; et e Livio exemplum addit Crassi contra fugitivos pugnantis. Imitatus id est Eumenes apud Plutarchum, cap. 28; Hannibal, apud Livium, lib. XXI, cap. 32, § 12; lib. XXII, 42, 8. Idem ap. Livium, lib. XXXVI, 10, 11: « App. Claudius, castra metatus latius quam pro copiis, et plures, quam quot satis in usum erant, ignes quum accendisset, speciem, quam quæsierat, hosti fecit: omnem ibi Romanum exercitum cum rege Philippo esse. »

15. *Eum intrare.* Nempe regem. Nostri Codd. *eum* non habent, quod probat Raderus.

16. *Craterus, illato terrore.* Craterus *eum*, nempe Ariobarzanem minitans, distineret hostium copias in discrimen vicinius intentas. — *Persequentium regem.* Glossema hæc esse, recte editores censuerunt.

ac prærupta saxa, vestigium subinde fallentia, nix
cumulata vento ingredientes fatigabat : quippe velut
in foveas delati hauriebantur; et quum a commilito-
nibus levarentur, trahebant magis adjuvantes, quam
sequebantur. Nox quoque, et ignota regio, ac dux, 19
incertum an satis fidus, multiplicabant metum : si
custodes fefellisset, quasi feras bestias ipsos posse de-
prehendi : ex unius captivi vel fide, vel anima, pen-
dere et regis salutem, et suam. Tandem venere in ju- 20
gum : a dextera iter ad ipsum Ariobarzanem erat: hic
Philotam et Cœnon cum Amynta et Polyperconte,

18. *Nix cumulata*. Idem Diodor. XVII, 61. Hyeme quoque Alexandrum hoc iter fecisse, Strab. lib. XI, docet. — *Hauriebantur*, demergebantur. Eodem modo Livius, XXXI, 37, dixit: « profundo limo hausti sunt. »

19. *Si custodes fefellisset*. Dux captivus, si custodibus clam se subduxisset. Duces itineris, suspecti præsertim et ignoti, asservabantur, quod satis constat, additis sc. custodibus. Xenoph. Ἀναβάσ. IV; Liv. XXI, 13, 9; XXIV, 45, 10. — *Vel fide, vel anima*. Si dux fraudulenter vellet agere, aut casu in itinere interiret, et regem, et se in extremis periculis fore. In tam periculoso itinere enim ipse etiam dux perire potuit.

20. *Hic Philotan et Cœnon*, etc. Quæ sequuntur, nisi diligentior descriptio Arriani superesset, vix satis possent intelligi. Jam vides multos quoque equites in ipsum jugum evasisse; ergo, quod recte animadvertit Raderus, non sine emphasi Curtius iter invium descripsit. Ex jugo ipso patebant viæ duæ; altera descendebatur in Persidem; altera (a dextra), per arduas valles, ad Ariobarzanem in ipsas angustias perveniri poterat. Priori, in plana descendere jubebantur Philotas cum magna parte equitum amicorum, Cœnos, Amyntas et Polyperco, cum suo quisque agmine peditum, ut Araxem, in Persidem euntibus transeundum, ponte jungerent. Arrian. III, 18. Ergo non absonum est, quod in aliquibus editis et Codd. invenitur, *præmisit* pro *reliquit*. Hi igitur, Arriano teste, ad fauces non pervenerunt. Sed rationem itineris Curtius vel non perspexit, quum infra § 30, ab his quoque *alium barbaris terrorem illatum* scriberet; vel alia in auctore suo invenit. Posteriori via, ibat *ipse* rex *cum armigeris*, hoc est, iis peditibus, quos Arrianus τοὺς ὑπασπιστὰς appellat, et *agemate*, sive prima ala equitum amicorum, quibus ex Arriano addendi sunt sagittarii expeditiores, Agriani, Perdiccæ agmen peditum, et tetrarchia una equitum amicorum. *Ardua* hæc, qua Alexander ibat, *semita* quam ob caussam *longius a stationibus hostium remota* dicatur, perspicere nequeo. Non modo non erat remotior quam illa, qua Philotas ibat, sed necessario propinquior, si modo via quævis vel propinqua, vel remota ab eo loco, in quem per eamdem viam tendimus, dici

expeditam habentes manum, reliquit, monitos ut, quia eques pediti erat mixtus, qua pinguissimum esset solum et pabuli fertile, sensim procederent : duces
21 itineris de captivis dati. Ipse cum armigeris, et ala, quam *agema* appellant, ardua semita, sed longius a stationibus hostium remota, multa cum vexatione pro-
22 cessit. Medius erat dies, et fatigatis necessaria quies : quippe tantumdem itineris supererat, quantum emensi
23 erant; sed minus præcipitis atque ardui. Itaque refectis cibo somnoque militibus, secunda vigilia surgit; et cetera quidem haud ægre præteriit. Ceterum, qua se jugum montium paulatim ad planiora demittit, ingens vorago concursu cavata torrentium iter ruperat.
24 Ad hæc arborum rami, alius alio implicati et coeuntes, ut perpetuam objecerant sepem. Desperatio igitur ingens, adeo ut vix lacrymis abstinerent, incesserat.
25 Præcipue obscuritas terrori erat : nam etiam si qua sidera internitebant, continenti fronde tectæ arbores conspicere prohibebant; ne aurium quidem usus supererat, sylvas quatiente vento; quæ concurrentibus ramis majorem quam pro flatu sonum reddebant.
26 Tandem exspectata lux omnia, quæ terribiliora nox fecerat, minuit : circumiri brevi spatio poterat eluvies; et sibi quisque dux itineris cœperat fieri.

potest. Illa *Schmieder* : pro Curtio vero responderi posse existimat Freinshemius, Macedonibus fuisse equos locis asperis innutritos, quales describuntur Numidæ apud auctores, item Hispani, quorùm certe multa millia per Alpes traduxit Hannibal. Sed quis auctor est, tales Alexandro equos fuisse ?

23. *Secunda vigilia*. Noctis alterius. — *Ingens vorago*, etc. Diodor. l. l. *χώραν πετρασας χαράδραις βαθείαις καὶ πολλαῖς φάραγξι διειλημμένην.*

24. *Ut perpetuam*. Velut perpetuam. Pro *coëuntes*, in quinque Codd. est *cohærentes*.

25. *Continenti*, continua, perpetua. Vellei. II, 109 : « excisis continentibus Hercyniæ sylvis. » — *Concurrentibus*. Sic plurimi Codd. Vulgo *concutientibus*.

26. *Circumiri*. Brevi circuitu declinari poterat *ea eluvies*, quam modo voraginem ingentem dixerat, torrentium

Evadunt ergo in editum verticem: ex quo hostium sta- 27
tione conspecta, strenue armati a tergo se ostendunt
nihil tale metuentibus; quorum pauci, qui congredi
ausi erant, cæsi sunt. Itaque hinc morientium gemi- 28
tus, hinc ad suos recurrentium miserabilis facies, in-
tegros quoque, antea quam discrimen experirentur,
in fugam avertit. Fremitu deinde in castra, quîs Cra- 29
terus præerat, illato; ad occupandas angustias, in qui-
bus pridie hæsitarat, miles educitur; simul et Philotas 30
cum Polyperconte Amyntaque et Cœno diversum iter
ingredi jussus, alium terrorem intulit barbaris. Ergo 31
undique Macedonum armis fulgentibus, ancipiti malo
oppressi, memorabile tamen prælium edunt; ut opinor,
ignaviam quoque necessitas acuit; et sæpe desperatio

concursu cavatam; gall. *une fondrière*.

27. *Evadunt ergo*. E Radero discimus Alexandrum ibi cippum, seu arcum, seu absidem erexisse, in qua viatorem admonuit de lævo viæ latere sequendo; de dextro, velut invio, vitando. Exstat inscriptio in vita S. Macarii Romani, apud Rosweid. lib. 1, vit. Patrum, p. 226: « Absidem istam fecit Alexander Philippi, Macedo Imperator, quando persecutus est Darium regem Persarum. Qui terram hanc ingredi voluerit, ad manum sinistram vadat. Ad dexteram enim terra invia, et rupibus et angustiis est plena. » Sed hoc fictum esse quis non dubitet? — *Quorum pauci*. Si Arrianum sequeris, Ariobarzanes hac in via tria barbarorum præsidia collocaverat, quorum extremum cæsum est; ex medio pauci, ex tertio plurimi quidem evaserunt, sed non ad castra persica, ut vel sic Alexander castra hostium inopinato adortus esset. Longe plurimi vel trucidabantur, vel per præcipitia sese ipsi dejicientes peribant.

29. *Pridie*. Errat Curtius. Scribendum erat *ante diem tertium*. Nam primo die ex angustiis repulsus Alexander castra ponit, § 1. Nocte insequente pergit ad demonstratum iter callium, § 17, 19. Medio die, qui sequebatur, fatigatis quietem necessariam concedit, § 22. Nocte secunda reliquam viam præterit, § 23: tertio die mane, ad castra Persarum pervenit, § 26.

30. *Simul et Philotas*. Vide ad § 20.

31. *Acuit;* ad virtutem incitat. Caussa desperationis illius sine dubio erat, quod Alexander milites suos cuiquam parcere vetuerat, id quod Plut. Alex. Vit. ipsius Alexandri verbis tradit: *γράφει γὰρ αὐτὸς, ὡς νομίζων αὐτῷ ταύτῃ λυσιτελεῖν, ἐκέλευσεν ἀποσφάττεσθαι τοὺς ἀνθρώπους*. Hæc Curtii sententia frequens est apud poetas, quorum princeps Virgilius, Æneid. II, v. 353: « Una salus victis, nullam sperare salutem »; Statius, X, 487: « .... Est ubi dat vires nimius timor »; Silius, I, 557: « .... clausos acuunt

32 spei caussa est. Nudi complectebantur armatos, et in-
genti corporum mole secum ad terram detrahentes,
33 ipsorum telis plerosque fodiebant. Ariobarzanes ta-
men, XL ferme equitibus et quinque millibus peditum
stipatus, per mediam aciem Macedonum cum multo
suorum atque hostium sanguine erupit, Persepolim
34 urbem caput regionis occupare festinans. Sed a cus-
todibus urbis exclusus, consequutis strenue hostibus,
cum omnibus fugæ comitibus renovato prælio cecidit.
Craterus quoque raptim agmine acto supervenit.

1 V. Rex eodem loco, quo hostium copias fuderat,
castra communivit. Quamquam enim undique fugati
hostes victoriam concesserant, tamen præaltæ præci-
pitesque fossæ, pluribus locis objectæ, abruperant
iter; sensimque et caute progrediendum erat, jam non
2 hostium, sed locorum fraude suspecta. Procedenti ei
literæ redduntur a Tyridate, custode regiæ pecuniæ,
indicantes, eos, qui in urbe essent, audito ejus adventu,
diripere velle thesauros; properaret occupare dimissos:

extrema pericli, Et fractis rebus violentior ultima virtus. » Eodem sensu Sallust. Catil. 58, 10 : « Necessitudo etiam timidos fortes facit. » Veget. III, 21 : « Ex desperatione crescit audacia. » Senec. de Clement. I, 12 : « Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit. »

32. *Nudi*, inermes. Quibus cur *ingentem* corporum molem adscripserit auctor, non videt *Schmieder*; sed notum est omnes fere barbaros, quando cum Græcis, Romanis, aliisque gentibus ad meridiem habitantibus conferantur, proceriori corpore fuisse. Hæc testantur de Gallis Cæsar, de Germanis Tacitus. Idem igitur de Persis credendum.

1. *Locorum fraude*. Quum jam non hostium insidiæ, sed locorum difficultas timeretur. Fraudem locis tribuit Curtius ob fossas præaltas, sive eas ad impedienda itinera hostes effecissent, sive ipsius naturæ impetus, ut supra cap. 4, 23. Eodem sensu apud Florum, III, 4, 5 : « Infidum glacie flumen »; apud Tacit. I, 61, 2 : « Fallaces campi.... »; et Virg. Æneid. IX, 596 : « .... Videt Euryalum, quem jam manus omnis, Fraude loci, et noctis subito turbante tumultu, Oppressum rapit.... »

2. *Properaret occupare dimissos*. Hanc ultimam vocem addidi ex auctoritate plurimorum et optimorum Codd. in primisque nostrorum Regg. Omnes edd. habent tantum : *Properaret occupare*. Hoc *dimissos* interpretatur

expeditum iter esse, quamquam Araxes amnis interfluat. Nullam virtutem regis istius magis, quam cele- 3
ritatem laudaverim; relictis enim pedestribus copiis, tota nocte cum equitibus, itineris tanto spatio fatigatis, ad Araxen prima luce pervenit. Vici erant in pro- 4
pinquo; quibus dirutis, pontem ex materia eorum, subditis saxis, strenue induxit. Jamque haud procul 5
urbe erant, quum miserabile agmen, inter pauca fortunæ exempla memorandum, regi occurrit. Captivi 6
erant Græci ad quatuor millia fere, quos Persæ vario

Cunze per *amissos*, vel *relictos*. Sic Cæsar B. G. VIII, 5 : « Nuper enim devicti complura oppida dimiserant. » Eidem hæc periphrasis : *ii, qui in urbe essent*, suspecta est, eamque tollit. « Profiteor, inquit, me tali hac frigidaque circumscriptione offendi, in primis quum et minus consentanea sit illis, quæ Arrian. III, 18, 16; et Diodor. XVIII, 69, ea de re tradiderunt. Secundum Diodorum, non *ii, qui in urbe essent*, h. e., omnes incolæ metuendi erant, sed pars illorum, οἱ ἐπιβαλλόμενοι διατηρῆσαι Δαρείῳ τὴν πόλιν; secundum Arrianum autem, soli custodes regiæ pecuniæ. Inde etiam *Tyridatem* pecuniæ regiæ custodem esse non potuisse, sed potius κυριεύοντα τῆς πόλεως. Quæ omnis quum dissensio, tum offensio tollitur, si, deleta prorsus jejuna hac circuitione, quæ certe non Curtii, sed librarii cujusdam est, minima mutatione locum ita exhibeamus : *literæ redduntur a Tyridate, custodes regiæ pecuniæ, indicantes, audito ejus adventu diripere velle Thesauros.* » Et vox *indicantes* Schmied. e glossa esse videtur, et totum locum sic legere mallet : *Procedenti literæ redduntur a Tyridate, custodes regiæ pecuniæ, audito ejus adventu, diripere velle thesauros : properaret occupare dimissos.* Si in vulgata acquiescas, *occupare* est prævenire; et *properaret occupare* pro : opinione celerius occurreret direpturis. Acidalius pro *dimissos* reposuit *ditissimos*; Schefferus, *sibi commissos*. Sane Schmiederi lectio, si codicum auctoritate niteretur, mihi arrideret; sed omnes contra eum conspirant; et si admiseris Curtium in adscribendo Tyridati titulo *custodis regiæ pecuniæ* rectum fuisse, quod verisimile est, sensus planus est. Tyridates enim tradebat thesauros, quos Darius *dimiserat*, hoc est, solos reliquerat, quum fugeret. — *Quamquam Araxes amnis interfluat.* Hunc enim ponte jungi posse. Atque, si Arrianum sequimur, rex, quum ad Araxen pervenisset, pontem ab iis, quos cum Philota præmiserat, factum invenit.

3. *Quam celeritatem.* Eamdem virtutem laudat in Cæsare altera manus ad marginem nostri Cod. 5717, ex hoc Cicer. ad Att. VIII, ep. 9 : « Hoc τέρας horribili vigilantiæ, celeritatis, diligentiæ est. »

6. *Ad quatuor millia.* Diod. VIII, 60; et Just. XI, 4, cum Suida in Ἀλέξανδρος nonnisi *octingentos* recensent. Apud Plut. et Arrian. nulla horum mentio; et ex eo in dubium

suppliciorum modo affecerant; alios pedibus, quosdam manibus auribusque amputatis, inustisque barbararum literarum notis, in longum sui ludibrium reservaverant; et, quum se quoque alienæ ditionis esse cernerent, volentes regi occurrere non prohibuerant.
7 Inusitata simulacra, non homines videbantur; nec quidquam in illis præter vocem poterat agnosci; plures igitur lacrymas commovere, quam profuderant ipsi; quippe in tam multiplici variaque fortuna singulorum, intuentibus similes quidem, sed tamen dispares pœnas, quis maxime miserabilis esset, liquere non poterat.
8 Ut vero Jovem illi tandem Græciæ ultorem aperuisse oculos conclamavere, omnes pari supplicio affecti

omnem rem revocat *Ste-Croix*, *Exam. crit.* pag. 311.

7. *Similes quidem, sed tamen dispares.* In hac sententia, sequentique interpretandis, in diversa abeunt commentatores. Has ad § 9, ex notis Freinshemii et Schefferi ita explanat *Schmieder*: « *Par* esse dicitur, quod tantumdem habet aut virium, aut magnitudinis, quamquam alia sit forma aut specie; contra *simile*, quod eamdem figuram habet, magnitudine dispari. Sic itaque in hac miserorum turba similis erat omnium pœna, quippe mutilatio; sed tamen dispar; levius afflicti erant, qui aures, puta, quam qui manus pedesve aut oculos perdiderant. Et quamquam revera erat calamitatis diversitas, tamen, tristi hoc spectaculo subito offuso, non liquere poterat intuentibus, quis maxime esset miserabilis in tanta turba miserorum. *Jovem illi*. Scilicet, Græci captivi. Conclamaverunt autem *Jovem aperuisse oculos*, id est, respexisse ad calamitatem et miseriam suam post diuturnam dissimulationem, quasi antea non vidisset. — *Omnes pari supplicio affecti sibi videbantur. Sibi*, Macedonibus intuentibus, *omnes* mutilati *videbantur pari supplicio affecti*, non amplius alios quidem gravius, alios levius afflictos censebant, sed omnes æque graviter; omnium æque miserebantur. » Non eadem est Curtii sententia: « Scilicet quum omnes simili, quamquam dispari, pœna essent adfecti, quotiescunque invicem sese intuebantur, ipsi miseram suam conditionem non modo non sentiebant penitus, sed alter alterum præ se multo infeliciorem putabat; inde non parvum illis solatium oriebatur, et diuturna consuetudo tantum obduxerat callum dolori, ut omnes sensim ipsorum lacrymæ inarescerent, atque ut teterrima illorum species alienis potius moveret fletum, quam ipsis. *Omnes pari supplicio affecti*, ipsi Macedones pari in infortunio se versari credebant. » Earum sententiarum, quæ sibi potior videtur, lector eligat. Ego vero præ omnibus haberem ea quæ e seipso, nullius vero

sibi videbantur. Rex abstersis, quas profuderat, lacrymis, bonum habere animum jubet; visuros urbes suas conjugesque : et castra inde duo ab urbe stadia communit. Græci excesserant vallo, deliberaturi, quid 9
potissimum a rege peterent : quumque aliis sedes in Asia rogare, aliis reverti domos placeret; Euthymon Cymæus ita locutus ad eos fertur : « Hi qui modo ad 10
opem petendam ex tenebris et carcere procedere erubuimus, ut nunc est, supplicia (quorum nos pudeat magis, an pœniteat, incertum est), ostentare Græciæ

Cod. auctoritate, conjecit Acidalius, nempe, hæc verba : *omnes pari supplicio affecti sibi videbantur* in § 7 includenda esse ante illa : *Ut vero Jovem*, etc. Acidalius vero conjecturam suam non interpretatus est. Eam ego et rem omnem ita explanarem : Ita a natura constituti sumus ut externarum et corporearum calamitatum adspectus, quum iis ipsi non afficimur, horrorem primum; tum, si miseri quolibet vinculo ad nos attinent, miserationem et lacrymas; denique, si sæpius recurrit, ut notavit Curtius § 12, fastidium excitet. Quum vero ipsi miseri sumus, aliorum ærumnæ non sane nobis fastidio sunt, sed nec tantæ miserationi. Ego igitur Cunzianæ sententiæ, ex quadam parte, adhærerem : miseri illi non sentiebant penitus suam conditionem, haud sane, ut credidit *Cunze*, quia alter alterum præ se multo infeliciorem putabat; sed quia, in hoc infortunii consortio, variis et sive levioribus sive gravioribus doloris gradibus ingemiscere suæ ipsorum calamitatis sensus prohibebat; *omnes pari supplicio affecti sibi videbantur*, et hæc diuturna consuetudo, ut Cunzii verbis utar, magnum obduxerat callum dolori. Macedones vero qui eos primum adspiciebant, tum omnes miserabantur, tum singulos, prout plus minusve a Barbarorum crudelitate affecti fuerant.

9. *Vallo*. Castris. — *Cymæus*. Gentile nomen.

10. *Hi*. Nos tales. Eodem modo Brut. ad Cic. app. II, 16. « Nos *hi* sumus, de quorum salute unus homo rogandus videatur. » Ceterum hæc Euthymonis oratio, comparata profecto ad movendum omnem humanitatis sensum, intima mentis humanæ cognitione plena est. — *Ut nunc est*. Hæsitarunt interpretes in his verbis explicandis, in quibus equidem nullam prorsus difficultatem agnosco. Hic autem sensus Curtii esse mihi videtur : Nos tam graviter afflicti fractique homines, qui *modo* (dum Persarum sævo jugo premeremur), ad opem petendam e tenebricoso carcere procedere non sustinuimus, *ut nunc est* (in præsenti rerum mutatione, quum scilicet, devictis Persis, imperium ad Alexandrum transiit, atque ille, tamquam vindex, a Jove missus, liberavit nos), animum nostrum tantopere immutavimus, ut jam supplicia, etc. — *Quorum nos pudeat magis, an pœniteat*. Nempe propter corpora mutilata læto animo esse non possumus. Sed incertum est, utrum nos magis

11 velut lætum spectaculum cupimus? At ii optime miserias ferunt, qui abscondunt: nec ulla est tam familiaris infelicibus patria, quam solitudo, et status prioris oblivio: nam qui multum in suorum misericordia ponunt, ignorant, quam celeriter lacrymæ
12 inarescant. Nemo fideliter diligit, quem fastidit; nam et calamitas querula est, et superba felicitas: ita suam quisque fortunam in consilio habet, quum de aliena deliberat: nisi mutuo essemus miseri, olim alius alii potuissemus esse fastidio. Quid mirum est, fortunatos
13 semper parem quærere? Obsecro vos, olim vita defuncti, quæramus locum, in quo hæc semesa membra obruamus: ubi horribiles cicatrices celet exsilium. Grati prorsus conjugibus, quas juvenes duximus, revertemur! Liberi in flore et ætatis et rerum agnos-
14 cent, et fratres ergastuli detrimenta? Et quota pars nostri tot obire terras potest? procul Europa in ultima Orientis relegati, senes, debiles, majore membrorum

pudeat suppliciorum, tamquam ignaviæ nostræ testium; an pœniteat, tamquam corporibus nostris bellorum discriminibus et suppliciis frustra objectis.

11. *Patria*, sedes, habitaculum.— *Multum ponunt*, magnam fidem habent; suos esse misericordes credunt.

12. *Nemo fideliter*. Verissime dictum de hominibus, qui ubique vi sensuum ducuntur. — *Fideliter*, constanter. — *Superba felicitas*. Beatorum hominum superbia inprimis in eo consistere solet, quod querelas miserorum oderint et fugiant.— *Suam quisque*. Propria cujusque fortuna obversatur animo.

13. *Olim vita defuncti*. Quum scilicet in eam conditionem incideremus, quæ ob membrorum mutilatorum debilitatem nos inutilia terræ pondera reddidit, atque demortuorum hominum instar esse coegit. Verba: *ubi horribiles cicatrices celet exsilium* absunt a quibusdam Codd. in primisque a nostris Regg. — *Grati*. Hæc per ironiam dicta sunt. — *Liberi*. In Græcia procreati, *et fratres*, qui maxime nos agnoscere possent, num agnoscent *ergastuli detrimenta*, nos captivos, servilibus laboribus confectos et detritos? Nove quidem, sed bene, nec ineleganter de hominibus, qui carceribus, quorum ergastulum terribilissimum genus erat, inclusi, fame, labore, morbis et omnia generis infortunio absumti erant. Descendit enim *detrimentum* a *deterere* (*user, détériorer*). Simili modo Curtius infra VIII, 5, 8, *urbium suarum purgamenta* dixit.

parte mulctati, tolerabimus scilicet, quæ armatos et vi-
ctores fatigaverunt. Conjuges deinde, quas captis sors 15
et necessitas unicum solatium applicuit, parvosque li-
beros trahimus nobiscum, an relinquimus? cum his ve-
nientes nemo agnoscere volet; relinquemus ergo extem- 16
plo præsentia pignora, quum incertum sit, an visuri
simus ea quæ petimus? Inter hos latendum est, qui
nos miseros nosse cœperunt. » Hæc Euthymon. Con- 17
tra Theætetus Atheniensis orsus est dicere; « neminem
pium habitu corporis suos æstimaturum, utique sævi-
tia hostis, non natura calamitosos. Dignum esse omni
malo, qui erubesceret fortuita : tristem enim de mor-
talitate ferre sententiam, et desperare misericordiam,
quia ipse alteri denegaturus sit. Deos, quod ipsi num- 18
quam ausi optare forent, offerre patriam, conjuges,
liberos, et quidquid homines vel vita æstimant, vel
morte redimunt. Quin illi ex hoc carcere erumperent, 19
alium domi esse cæli haustum, alium lucis adspectum :
mores, sacra, linguæ commercium etiam a barbaris
expeti; quæ ingenita ipsi omissuri sint sua sponte; non
ob aliud tam calamitosi, quam quod illis carere coacti
essent. Se certe rediturum ad penates et in patriam, 20

14. *Mulctati.* Mutilati.

16. *Extemplo.* Abest a Cod. Theocr. — *Cœperunt* non, uti sæpissime, et hoc loco abundat, sed est : qui integritatem corporis nostri incorruptam numquam viderunt, sed *a prima statim consuetudine* noverunt nos miseros esse. Diodor. XVII, 69 : *μετ' ἀλλήλων δὲ βιοῦντας τὴν ὁμοίαν συμφορὰν ἔχοντας, παραμύθιον ἕξειν τῆς ἰδίας ἀκληρίας τὴν τῶν ἄλλων τῆς ἀκληρίας ὁμοιότητα.*

17. *Pium.* Pius est is, qui amat, quem amare debet, deum, parentes, consanguineos, omnes denique homines. — *Fortuita* sunt, quæ non ipsi nobis conciliavimus, sed quæ fors in nos immisit. — *De mortalitate.* De natura et indole humana.

18. *Vita æstimant*, haud minoris quam vitam ipsam æstimant.

19. *Alium cœli haustum.* Jucundius in patria ducis piritum, et cæli lumen adspici. — *A barbaris expeti.* Hoc est barbaros imitari mores et sacra, discere linguam Græcorum. Qua ipsa re palam esse, ipsis barbaris ista præstantiora videri, quæ, sibi, captivis his, ingenita, sua sponte omittere ac deserere non deberent.

tantoque beneficio regis usurum : si quos contubernii liberorumque, quos servitus coegisset agnoscere, amor detineret; relinquerent, quibus nil patria carius est. »
21 Pauci hujus sententiæ fuere : ceteros consuetudo, natura potentior, vicit. Consenserunt, petendum esse a
22 rege, ut aliquam ipsis attribueret sedem. Centum ad hoc electi sunt : quos Alexander ratus, quod ipse præstare cogitabat, petituros : « Jumenta, inquit, assignari quæ vos veherent, et singulis vestrum mille denarium dari jussi. Quum redieritis in Græciam, præstabo, ne quis statum suum, si hæc calamitas absit,
23 vestro credat esse meliorem. » Illi, obortis lacrymis, terram intuebantur, nec aut erigere vultus, aut loqui audebant : tandem, rege tristitiæ caussam exigente, Euthymon similia iis, quæ in consilio dixerat, respon-
24 dit. Atque ille, non fortunæ solum eorum, sed etiam pœnitentiæ misertus, terna millia denarium singulis dari jussit : denæ vestes adjectæ sunt, et armenta cum pecoribus ac frumento data, ut coli serique attributus iis ager posset.

1 VI. Postero die, convocatos duces copiarum docet, nullam infestiorem urbem Græcis esse quam regiam veterum Persidis regum; hinc illa immensa agmina infusa : hinc Darium prius, deinde Xerxem Europæ

20. *Contubernii.* Servilis conjugii. — *Amor detineret.* Hoc est, si quidam essent, quos contubernii liberorumque amor detineret, alii tamen, quibus nihil carius patria est, Asiam et illa contubernia relinquerent.

22. *Mille denarium.* Mille drachmas atticas, circiter 900 fr.

24. *Pœnitentiæ.* Crediderat enim eos, quum antea reditum in patriam mallent, nunc accuratiori sortis suæ contemplatione sententiam mutavisse. — *Denæ vestes.* Quinæ viriles et totidem femineæ. Diodor. XVII, 69.

1. *Regiam veterum Persidis regum.* Persepolim; quam, tamquam infestissimam Græcis urbem, Alexander, excepta arce, Macedonibus diripiendam concessisse Diodorus quoque enarrat. Urbi ipsi et iis incolarum, quos Alexander invenit, illa, quæ Darii Hystaspis et Xerxis tempore in Græciam perpetrata erant, nullo jure imputari potuisse per se liquet; sed vide quæ de

impium intulisse bellum ; excidio illius parentandum
esse majoribus. Jamque barbari, deserto oppido, qua 2
quemque metus agebat, diffugerant : quum rex phalangem nil cunctatus inducit. Multas urbes, refertas opulentia regia, partim expugnaverat, partim in fidem
acceperat : sed urbis hujus divitiæ vicere præterita. In 3
hanc totius Persidis opes congesserant barbari; aurum argentumque cumulatum erat : vestis ingens modus : supellex non ad usum modo, sed ad ostentationem luxus comparata. Itaque inter ipsos victores 4
ferro dimicabatur : pro hoste erat, qui pretiosiorem occupaverat prædam : et quum omnia, quæ reperiebantur, capere non possent; jam res non occupabantur, sed æstimabantur. Lacerabant regias vestes, ad 5
se quisque partem trahentes : dolabris pretiosæ artis

Alexandro notavimus ad calcem libri quarti. — *Bellum impium*. Maxime propter templa excisa. — *Excidio illius*. « Alexander, inquit Freinshem., forte nihil in eum sensum dixit ; aut si dixit, fuit id accendendis militum animis ad contemnenda pericula, quæ in oppugnatione nobilissimæ urbis haud immerito auspicari poterant esse subeunda. » Forsan ita est; Arrian. tamen, III, 18, et Diodor. XVII, 70, eadem Alexandrum dixisse testantur. — *Parentandum*. *Parentare* proprie est parentibus aliisve consanguineis inferias facere, quod, si interemti essent, cæde et sanguine hostium peragi solebat.

2. *Urbis hujus divitiæ*. Easdem laudat Diodor. XVII, 70, Πλουσιωτάτης οὔσης τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον, nec non Justin. XI, 14 fin.

3. *Vestis ingens modus*. Ingens pretiosarum vestium copia. — *Ostentationem luxus*. Ultima vox Scheffero suspecta est, et eam prorsus delendam censet.

4. *Non occupabantur*. Quod alias fieri solet in ejusmodi direptionibus, ut proxima quæque invadantur, metu ne cunctando amittatur opportunitas rapiendi, dum cæteri impigre, quæ possunt, sibi vindicant. At in tanta rerum copia, quum viderent plus esse prædæ, quam ut omnia asportari posset, elegerunt pretiosiora, despexeruntque alia, ne frustra se vilibus sarcinia onerarent.

5. *Regias*, magnificas, pretiosissimas. Nam ipsius regis esse non potuerunt, quia urbem Alexander militibus diripiendam concessit, sed χωρὶς τῶν βασιλείων teste Diod. XVII, 70. — *Vestes* non solum vestimenta, quibus homines se induebant, sed etiam tapetas, peristromata tricliniorum, etc. Diodorus de illis : πολλαὶ δὲ καὶ πολυτελεῖς ἐσθῆτες, αἱ μὲν θαλασσίαις πορφύραις, αἱ δὲ χρυσοῖς ἐνυφάσμασι πεποικιλμέναι. — *Dolabris*. Ferramentia valido et subinde attenuato rostro, donec in acutum mucronem

vasa cædebant : nihil neque intactum erat, neque integrum ferebatur : abrupta simulacrorum membra,
6 ut quisque avellerat, trahebat. Neque avaritia solum, sed etiam crudelitas in capta urbe grassata est : auro argentoque onusti vilia captivorum corpora trucidabant; passimque obvii cædebantur, quos antea pre-
7 tium sui miserabiles fecerat. Multi ergo hostium manus voluntaria morte occupaverunt; pretiosissima vestium induti, e muris semet ipsos cum conjugibus ac liberis in præceps jactantes. Quidam ignes, quod paullo post facturus hostis videbatur, subjecerant ædi-
8 bus, ut cum suis vivi cremarentur. Tandem suis rex corporibus et cultu feminarum abstinere jussit. Ingens pecuniæ captivæ modus traditur, prope ut fidem ex-
9 cedat; ceterum aut de aliis quoque dubitamus, aut credimus, in hujus urbis gaza fuisse c et xx millia talenta; ad quæ vehenda, namque ad usus belli secum

exest, terræ præcipue effodiendæ, tum etiam muris penetrandis apto.

6. *Pretium sui.* Hoc est, quibus, ante quam præda satiati essent, pepercerant, non humanitate, sed spe fore ut ex illorum venditione magnum quæstum facerent.

7. *Occupaverunt.* Prævenerunt. — *Pretiosissima vestium.* Hoc moris erat apud veteres. Classicum est exemplum, in Livio, lib. V, Romanorum patrum a Gallis interfectorum.

8. *Tandem suis.* Scilicet militibus. Accusandi casum quidem verbo *jubere* plerumque jungunt Latini, sed non desunt exempla in optimis scriptoribus, v. c., Cicerone, Livio, Tacito, ubi tertius casus huic voci additus est. Ad ipsam rem quod attinet, Diodor. l. l. Curtio nostro aliquo modo adversatur : *τάς δὲ γυναῖκας σὺν αὐτοῖς τοῖς κόσμοις πρὸς βίαν ἀπῆγον τὴν αἰχμαλωσίαν δουλαγωγοῦντες.* — *Pecuniæ captivæ.* Quinque Codd. *captæ pecuniæ.*

9. *Talenta.* Lege *talentum* cum Acidalio. Eumdem prorsus numerum expressit Diodor. Sic. lib. XVII, c. 71. 120,000 tal. efficiunt 648,000,000 fr. quibus si addas 50,000 talenta Susis inventa, et 6000 Persagadis, ut taceam prædam Babylone et Damasci captam, habebis, circiter 950,000,000 fr., summam ei parem, quam Gallia unoquoque anno, tributis et vectigalibus solvit. Cæterum hos omnes thesauros, ipso Darii jussu, in Alexandri manus venisse credidit Diodorus. His enim victoria animum corrumpi et in luxum mollitiemque rapi voluit Darius, dum ipse regni ruinas repararet, quod cum ipsius verbis, V, 1, 6, satis congruit. — *Ad usus belli secum portare.* Aliam pecuniæ partem secum portare vole-

portare decreverat, jumenta et camelos a Susis et
Babylone contrahi jussit. Accessere ad hanc pecuniæ 10
summam, captis Persagadis, sex millia talentorum. Cy-
rus Persagadum urbem condiderat, quam Alexandro
præfectus ejus Gobares tradidit. Rex arcem Perse- 11
polis, III millibus Macedonum præsidio relictis, Ni-
carchidem tueri jubet: Tyridati quoque, qui gazam
tradiderat, servatus est honos, quem apud Darium
habuerat: magnaque exercitus parte et impedimentis
ibi relictis, Parmenionem Craterumque præfecit. Ipse 12
cum mille equitibus peditumque expedita manu inte-
riorem Persidis regionem, sub ipsum Vergiliarum
sidus, petiit: multisque imbribus et prope intolera-
bili tempestate vexatus, procedere tamen, quo inten-
derat, perseveravit. Ventum erat ad iter perpetuis 13

bat, aliam Susis deponere, si Diodorum audis lib. XVII, 71. Sed vide notam ad VI, 2, 10. — *Jumenta et camelos*. Plutarch. l. l. τὴν δὲ ἄλλην παρασκευὴν καὶ τὸν πλοῦτον ἐκκομισθῆναί φασιν μυρίοις ὀρικοῖς ζευγίοις καὶ πεντακισχιλίαις καμήλοις. Eodemque fere redeunt verba Diod. l. l.

10. *Cyrus Persagadum urbem condiderat*. Ad fluviam *Kores*, eo loco, ubi Medos vicerat. Vide Mannert. pag. 528. Persagada, sive Parsagada significat *castra Persarum*.

11. *Nicarchidem*. Scripsi *Nicarchidem* cum Arrian. Hist. Ind. 18, 5; probantibus Freinshemio et Schmiedero; edd. alii: *Nicarthidem*. — *Servatus est honos*. Hoc est, mansit præfectus urbis. Diodorus enim κορινύαντα τῆς πόλεως fuisse scripsit.

12. *Ipse cum mille*, etc. De molesta hac expeditione Diodorus XVII, 73, nihil habet, nisi: Ἀλέξανδρος δὲ ἀπὸ τούτων γενόμενος τὰς κατὰ τὴν Περσίδα πόλεις ἐπῆλθε, καὶ τὰς μὲν βίᾳ χειρωσάμενος, τὰς δὲ, κ. τ. λ. Neque apud Arrianum ea de re quidquam reperitur. Plutarch. Alex. quatuor menses (καὶ γὰρ ἦν χειμῶνος ὥρα) ibi locorum transegisse scribit. Credibile autem est, ducem tam prudentem cavisse, ne tam longo temporis spatio militum animi nimiis urbis regionisque illius bonis ac voluptatibus delenirentur, occasionemque quæsisse, militum in illo laborioso itinere exercendorum. An vero adeo æstimanda sit Curtii auctoritas, ut aliquid valeat, quum Arrianus, Diodorus, aliique taceant, non affirmare audeam. — *Sub ipsum Vergiliarum sidus*. Merito et hoc nomine noster in virorum doctorum reprehensionem incurrit, quod dubium reliquit, utrum ortum an occasum Vergiliarum dixerit? Exortus earum est sex diebus ante maias idus; occasus in novembrem incidit. Quum aliunde constet, Alexandrum per hyemem in Perside versatum esse, intelligendus est Vergiliarum occasus.

obsitum nivibus, quas frigoris vis gelu adstrinxerat.
Locorum squalor et solitudines inviæ fatigatum mili-
tem terrebant, humanarum rerum terminos se videre
credentem. Omnia vasta, atque sine ullo humani cul-
tus vestigio attoniti intuebantur; et antequam lux
quoque et cælum ipsos deficerent, reverti jubebant.
14 Rex castigare territos supersedit : ceterum ipse equo
desiliit, pedesque per nivem et concretam glaciem in-
gredi cœpit ; erubuerunt non sequi, primum amici,
deinde copiarum duces, ad ultimum milites : primus-
que rex, dolabra glaciem perfringens, iter sibi fecit :
15 exemplum regis ceteri imitati sunt. Tandem prope-
modum invias sylvas emensi, humani cultus rara ve-
stigia et passim errantes pecorum greges repercre : et
incolæ, qui sparsis tuguriis habitabant, quum se calli-
bus inviis septos esse credidissent, ut conspexere ho-
stium agmen, interfectis, qui comitari fugientes non
poterant, devios montes, et obsitos nivibus petive-
16 runt. Inde per colloquia captivorum paulatim feritate
mitigata, tradidere se regi, nec in deditos gravius con-
17 sultum. Vastatis deinde agris Persidis, vicisque complu-
ribus redactis in potestatem, ventum est in Mardorum
gentem bellicosissimam, et multum a ceteris Persis
cultu vitæ abhorrentem. Specus in montibus fodiunt,

13. *Squalor.* Tristis et luridus adspectus; opponitur amœnitati regionum cultarum. — *Humanarum rerum terminos.* Extremitatem orbis habitabilis. — *Cultus vestigio*, humanæ habitationis signo. — *Antequam lux et cælum deficerent.* Falso verebantur, ne, hoc in Boream instituto itinere, in Cimmerias tenebras et frigidæ zonæ propinqua loca inciderent.

14. *Supersedit.* Rex territorum pœnam in aliud tempus distulit.

16. *Gravius consultum.* Nihil acerbe factum est adversus eos qui se dediderant.

17. *Specus in montibus.* Eadem testatur Tacitus, Annal. lib. XIV, c. 23 : « Mardi latrociniis exerciti, contraque irrumpentem (Corbulonem) montibus defensi. » — *Carne vescuntur.* Intellige, *tantum* carne, non pane, ut aratores populi. Sic majores nostros victitasse retulit Cæs. de Bello Gall. VI, 22 ; Polyb. II, 17.

in quos seque ac conjuges et liberos condunt : pecorum aut ferarum carne vescuntur. Ne feminis quidem pro
18 naturæ habitu molliora ingenia sunt ; comæ prominent hirtæ : vestis super genua est : funda vinciunt frontem; hoc et ornamentum capitis, et telum est. Sed
19 hanc quoque gentem idem fortunæ impetus domuit. Itaque trigesimo die, posteaquam a Persepoli profectus erat, eodem rediit. Dona deinde amicis ceterisque
20 pro cujusque merito dedit; propemodum omnia, quæ in ea urbe ceperat, distributa.

1 VII. Ceterum ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes reges antecessit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, in deditos fidem, in captivos clementiam, in voluptatibus permissis quoque et usitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fœdavit. Hoste et
2 æmulo regni reparante tum quum maxime bellum, nuper subactis, [quos vicerat,] novum [que] imperium adspernantibus, de die inibat convivia, quibus feminæ

18. *Pro naturæ habitu*. Pro natura, qua alias feminæ esse solent. — *Comæ prominent*. Hirsuti earum capilli eriguntur, vestis ad genua non descendit.

20. *Propemodum omnia*. Quanta Alexandri in amicos suos fuerit beneficentia inprimis discimus e literis Olympiadis, quas Plutarch. Alex. citat. Ibi ita erat scriptum : *νῦν ἰσοβασιλέας πάντας ποιεῖς, καὶ πολυφιλίας παρασκευάζεις αὐτοῖς, σεαυτὸν δὲ ἐρημοῖς.* Mazæi filius, et ipse ab Alexandro magnifice ditatus, *Ὦ βασιλεῦ*, inquit, *τότε μὲν ἦν εἷς Δαρεῖος, νῦν δὲ σὺ πολλοὺς πεποίηκας Ἀλεξάνδρους.*

1. *Moliendis*. Moliri est suscipere rem magnam et arduam. — *In deditos, . . . in captivos*. Plurimi Edd. *in deditis, ... in captivis*. Ego vero accusativum quod in omnibus fere Codd. legitur, et latinum magis est, recepi. — *Vini cupiditate*. Hoc vitium Alexandri etiam reprehendunt Arrian. IV, 9; Plutarch. Symp. I, 6; Athen. X, p. 434; et Senec. ep. 83.

2. *Hoste et æmulo*. Dario, qui, toties victus, tamen de summa rerum iterum cum Alexandro pugnare parabat. — *Tum quum maxime*. Hoc est, si unquam reparando bello incubuit Darius, tum sane præcipue id egit. — *Nuper subactis, quos vicerat, novumque*. Quæ Modio, Schmiedero, mihique insititia videntur, uncinis cinxi. — *De die*. Ante horam solitam et justam, ut longius spatium luxuriæ esset. Sanctiores temperantioresque homines non nisi vesperam et noctem

interant; non quidem quas violari nefas esset; quippe
pellices licentius, quam decebat, cum armato vivere
3 assuetæ. Ex his una Thais, et ipsa temulenta, maxi-
mam apud omnes Græcos initurum gratiam, affirmat,
si regiam Persarum jussisset incendi; exspectare hoc
4 eos, quorum urbes barbari delessent. Ebrio scorto de
tanta re ferenti sententiam unus et alter, et ipsi mero
onerati, assentiunt. Rex quoque fuit avidior, quam
patientior: « quin igitur ulciscimur Græciam, et urbi
5 faces subdimus? » Omnes incaluerant mero: itaque
surgunt temulenti ad incendendam urbem, cui armati
pepercerant. Primus rex ignem regiæ injecit; tum
convivæ, et ministri, pellicesque. Multa cedro ædifi-

genio dare solebant, diem in rebus agendis consumebant. Luxui voluptatibusque dediti contra temperius incipiebant comissationes. — *Quibus feminæ intererant.* Quum Græcorum moris non esset, mulieres adhibere conviviis, certissimum hoc signum erat, Alexandrum jam indulgere vitiis moribusque corruptissimis Persarum, in primis Babyloniorum: Cornelius enim Nepos in Procemio: « Quem enim, ait, Romanorum pudet uxorem, ducere in convivium?.... Quod multo fit aliter in Græcia; nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum.... »

3. *Thais.* Attica genere; de cujus fatis vide Clitarch. apud Athen. XIII, p. 576. Hanc de Thaide incendendæ arcis auctore narrationem Diodorus et Curtius Clitarcho debere videntur: nam Arrianus, Thaidis mentione non facta, Alexandri ipsius, sobriique id fuisse consilium refert, dissuadente Parmenione, lib. III, 18, 18. — *Omnes Græcos.* Hanc lectionem quæ omnium facillima est ex nostris Codd. revocavi: Freinshemius scribit: *omnes Græcorum;* Schmiederus vero, at, ut opinor, librarii errore: *omnem Græcorum.* Nec sane hujusmodi erroribus prorsus caret, cæterum optima, Schmiederi editio.

4. *Ferenti.* Sic dedi cum multis Codd. pro *ferente:* quod nostri habent. Mox in verbis *fuit avidior,* prius delendum esse monuit J. Fr. Gronovius; sed omnes fere Codd. in hoc servando consentiunt. Supplendum est *inquit.* Alexander *avidior* dicitur, quam *patientior*, quod non tam patiebatur ab aliis ignem injici, quam ipse faces subdere cupiebat. Rex non permisit solum, ut regiam incenderent, sed ipse etiam prava, cupidine abreptus, faces illi subdidit. Facinus hoc indignissimum primum est documentum, quantopere perpetua, et quasi domestica, Alexandri fortuna egregiam ejus indolem nimia indulgentia depravaverit. Curtius *urbem*, reliqui *regiam* tantum, non urbem incensam tradiderunt, sed ex regia ardente, ut scripsit Diodorus, incendium proxima quoque ædificia concepit, atque consumpsit.

5. *Armati:* tum, quum primum hostes urbem invasissent. — *Multa cedro.*

cata erat regia : quæ celeriter, igne concepto, late fudit incendium. Quod ubi exercitus, qui haud procul 6
ab urbe tendebat, conspexit, fortuitum ratus, ad opem ferendam concurrit; sed ut ad vestibulum regiæ ven- 7
tum est, vident regem ipsum adhuc aggerentem faces. Omissa igitur, quam portaverant, aqua, aridam materiam in incendium jacere cœperunt. Hunc exitum 8
habuit regia totius Orientis, unde tot gentes ante jura petebant; patria tot regum; unicus quondam Græciæ terror, molita mille navium classem, et exercitus, quibus Europa inundata est, contabulato mari molibus, perfossisque montibus, in quorum specus fretum immissum est. Ac ne longa quidem ætate, quæ excidium 9
ejus sequuta est, resurrexit. Alias urbes habuere Macedonum reges, quas nunc habent Parthi : hujus ve-

Teste Diodoro, qui fusius arcem illam descripsit, muri λίθῳ σκληρῷ καὶ πρὸς διαμονὴν αἰωνίαν εὖ πεφυκότι structi quidem erant, sed tectum, parietes interiores, laquearia, etc., lignea fuisse oportet. Cedrus autem, quæ teste Plinio, XVI, 40, cariem vetustatemque non sentit, aptissimam ad ædificium æternitati condendum præbebat materiem.

8. *Mille navium classem.* Hæc et sqq. de Xerxis in Græciam expeditione intelligenda sunt, quam copiose Herodotus descripsit. Cornelius Nepos, in Themistocle, II, 5, mille et ducentas numerat quidem naves, eique consentit Justin. II, 10; et Isocrates Panathen. sed Curtio ῥητορεύσαντι, hoc loco satis fuit numerus rotundus. — *Contabulatum mare molibus* respicit ad Hellespontum ponte junctum; nempe per naves funibus et tabulatu junctas via exercitui strata erat. *Perfossos montes* de Atho interpretare. Athos est in extrema Acte, peninsula maris Ægæi; ad cujus radices quum, ante Xerxem, classis persica naufragium fecisset, Xerxes post illum montem, in plano et arctissimo peninsulæ loco fossam duci jussit, per quam classis transibat. Igitur nec montes ipsi perfossi sunt, nec fretum immissum est in montium specus; quid? quod ne fossæ quidem posteris temporibus vestigium supererat.

9. *Ac ne longa quidem ætate.* Schefferus mavult : *ac ne tam longa hac quidem ætate.* Cæterum hoc loco editores contra Curtium satis probarunt, Persepolim (cujus proprium nomen veteres non tradiderunt, nam hoc græcum est), a Macedonibus non prorsus esse excisam, sed diu post Alexandrum adhuc exstitisse. De hoc incendio, et de variis Persepolis fatis vide excursum I ad hujus libri calcem. — *Macedonum reges.* Freinshemius conjiciebat *Medorum*, quod rectius foret; sed omnem, ut arbitror, difficultatem sustulit Schæfferus, cujus ea nota est ad

stigium non inveniretur, nisi Araxes amnis ostenderet:
haud procul mœnibus fluxerat; inde urbem fuisse xx
stadiis distantem, credunt magis, quam sciunt accolæ.
10 Pudebat Macedones, tam præclaram urbem a comes-
sabundo rege deletam esse: itaque res in serium versa
est; et imperaverunt sibi, ut crederent, illo potissimum
11 modo fuisse delendam. Ipsum, ut primum gravatam
ebrietate mentem quies reddidit, pœnituisse constat,
et dixisse, majores pœnas Persas Græcis daturos fuisse,
si ipsum in solio regiaque Xerxis respicere coacti
12 essent. Postero die, Lycio, itineris, quo Persidem intra-
verat, duci, xxx talenta dono dedit. Hinc in regionem
Mediæ transiit, ubi supplementum novorum militum a
Cilicia occurrit: peditum erant quinque millia, equi-
tes mille: utrisque Plato Atheniensis præerat. His co-
piis auctus, Darium persequi statuit.
1 VIII. Ille jam Ecbatana pervenerat, caput Mediæ:
[urbem hanc] nunc tenent Parthi, eaque æstiva agen-

hunc locum: « Hoc *Macedonum* ex glossa est inepti interpretis, qui, quum reges hic videret nominatos, de Macedonum regibus accepit. Præterea et alio vitio hic locus laborat. Vult enim dicere, alias urbes superesse, Persepoleos ne vestigium quidem apparere. At hoc non faciunt verba, ut nunc leguntur. Itaque sic censeo legenda: *Alias urbes, quas habuere reges, nunc habent Parthi;* sensus clarissimus: habent eas Parthi, ergo supersunt. Debent autem hic intelligi urbes illæ, in quibus itidem versari reges Parthorum consueverunt. »

10. *Imperaverunt sibi.* Ut regem excusarent, quasi sese coegerunt ipsi. — *Illo potissimum*, etc. Nam, ut Diodori, XVII, 72, verbis utar, videbatur *τὸ πάντων παραδοξότατον, τὸ Ξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως γενόμενον ἀσέβημα περὶ τὴν ἀκρόπολιν τῶν Ἀθηναίων, μία γυνὴ πολῖτις τῶν ἀδικηθέντων, ἐν παιδιᾷ πολλοῖς ὕστερον ἔτεσι μετῆλθε τοῖς αὐτοῖς πάθεσιν.*

12. *In regionem Mediæ transiit.* Hoc itinere Parætacas subegit, qui montes inter Persidem et Mediam tenebant. Arrian. III, 19, 5. — *Ubi supplementum.* Hac de re alibi nihil exstat. E contrario Arrian. III, 19, 10, et Diod. lib. XVII, 73, tradunt, Alexandrum Ecbatanis *τοὺς μὲν Θετταλοὺς ἱππέας καὶ τοὺς ἄλλους ξυμμάχους* laudatos donatosque domum remisisse.

1. *Urbem hanc.* Has voces cum Schmiedero uncis sepsi; nam in Codd. legitur *urbs hæc*, manifesto, ut scripsit Freinshemius, indicio, nihil horum esse a Curtio. — *Æstiva agentibus.* Scil. regibus Parthorum, propter cælum temperatum. Hiberna Ctesi-

tibus sedes est. Adire deinde Bactra decreverat : sed veritus, ne celeritate Alexandri occuparetur, consilium iterque mutavit. Aberat ab eo Alexander stadia 2
MD ; sed jam nullum intervallum adversus celeritatem ejus satis longum videbatur. Itaque prælio magis, quam 3
fugæ se præparabat; xxx millia peditum sequebantur, in quibus Græcorum erant quatuor millia, fide erga regem ad ultimum invicta ; funditorum quoque et sa- 4
gittariorum manus quatuor millia expleverat : præter hos III millia et CCC equites erant, maxime Bactrianorum ; Bessus præerat, Bactrianæ regionis præfectus. Cum hoc agmine Darius paulum declinavit via mili- 5

phonte agere solebant. Vid. Strab. XI ; Plin. VI, 14. — *Adire deinde Bactra decreverat.* Darius cum aliquibus copiis Ecbatanis erat, ibique manere decreverat, quamdiu Alexander Babylone et Susis hæreret; simul ac vero in se exercitum duceret, omni regione vastata, per Parthyæam Hyrcaniamque ad Bactra usque regredi. Arrian. lib. III, cap. 19.

2. *Aberat ab eo Alexander stadia MD.* Nempe, quum Dario consultius videretur, ad prælium se præparare, quam fugere. Adscribenda erant nomina locorum, ubi tum, et Darius, et Alexander castra habebant. At Curtius, ut solet, diligentiorem regis utriusque itinerum descriptionem non dedit. Igitur, quum Diodorus hæc omnia brevissimis absolvit, Bactra Darium pervenisse, atque, quum retro inde tenderet, esse obtruncatum dicens ; quæ necessaria sunt, ex Arriano adscripsi : Alexandro ex Parætacene profecto, Darium denuo pugnare velle nunciatur; citato igitur itinere per XII dies in eum progressus, illum rumorem et falsum esse, et ne habere quidem Darium satis copiarum ad prælium committendum, comperit. Citatiore adhuc cursu Ecbatana versus properans, trium tantum dierum itinere ab urbe aberat, quum Darius quintum jam diem cum 7,000 talentum, III circiter equitum, et VI peditum millibus fugisse nunciatur. Alexander itaque Ecbatana intrat, Dario interim fugiente. Hæc si vera, saltem verosimiliora sunt, non opus est, ut de fide, quam Curtius in seqq. mereatur, verba consumam. Triginta millia peditum Darium sequuta esse, Diodorus quoque, sine dubio ex eodem fonte, tradidit. Sed major est numerus quam pro festinatione Darii fugientis, et difficultate itinerum per magna deserta faciendorum, at commeatuum in desertis comparandorum.

4. *Bactrianorum.* Nostri Codd. *Parthienorum*, male. Mox Edd. plerique: *Bactrianæ urbis regionisque.* Sed in nostris Codd. abest *urbis* et *que* ; quos ego sequor. Ea verba *Schmieder* uncis inclusit. Bessus erat satraps Bactrianorum, cui et urbs *Bactra*, et regio *Bactriana* parebant.

5. *Via militari.* Via regia, frequenti, et ita lata, ut ordines militares capiat.

tari, jussis præcedere lixis impedimentorumque custo-
6 dibus. Concilio deinde advocato: « Si me cum ignavis, inquit, et pluris qualemcumque vitam honesta morte æstimantibus, fortuna junxisset, tacerem potius quam
7 frustra verba consumerem; sed majore, quam vellem, documento, et virtutem vestram, et fidem expertus, magis etiam conniti debeo, ut dignus talibus amicis
8 sim, quam dubitare, an vestri similes adhuc sitis. Ex tot millibus, quæ sub imperio fuerunt meo, bis me
9 victum, bis fugientem persequuti estis. Fides vestra et constantia, ut regem me esse credam, facit. Proditores et transfugæ in urbibus meis regnant: non, hercule, qui tanto honore digni habeantur, sed ut præmiis eorum vestri sollicitentur animi. Meam tamen fortunam, quam victoris, maluistis sequi; dignissimi, quibus, si ego non possim, dii pro me gratiam refe-
10 rant; et, mehercule, referent. Nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quæ non in cælum vos debitis laudibus ferat. Itaque, etiam si consilium fugæ, a qua multum abhorret animus, agitassem; ves-
11 tra tamen virtute fretus obviam issem hosti: quousque enim in regno exsulabo, et per fines imperii mei fugiam externum et advenam regem, quum liceat experto belli fortunam aut reparare, quæ amisi, aut
12 honesta morte defungi? nisi forte satius est exspectare victoris arbitrium, et, Mazæi et Mithrenis exemplo,

Usus hoc nomine Sueton. Aug. c. 49. Gallice, *grand chemin*. — *Impedimentorumque*. Sic dedi cum quinque Codd. et Schmiedero, pro *impedimentorum*.

6. *Concilio advocato*. Summorum, qui tum aderant, præfectorum.

8. *Bis me victum, bis fugientem persequuti estis*. Quod verum esse vehementer dubitat *Schmieder*. Alii Darium ex prælio issico fugientem, in ipsa fuga collecti, sequuti erant; alii (exempli caussa, Bactriani, qui apud Issum non pugnaverant) ex prælio ad Gaugamela sequebantur.

9. *Sollicitentur animi*. Nempe ut ad similem perfidiam alliciamini.

11. *Exsulabo*. Profugus ex alia in aliam regionem abibo, et in ipsis Imperii mei provinciis fugiam .... etc.

12. *Mazæi et Mithrenis*. Vid. V,

precarium accipere regnum nationis unius, ut jam ma-
lit ille gloriæ suæ, quam iræ obsequi. Nec dii siverint, 13
ut hoc decus mei capitis, aut demere mihi quisquam,
aut condonare possit : nec hoc imperium vivus amit-
tam; idemque erit regni mei, qui et spiritus, finis. Si 14
hic animus, si hæc lex, nulli non parta libertas est:
nemo e vobis fastidium Macedonum, nemo vultum su-
perbum ferre cogetur. Sua cuique dextra, aut ultionem
tot malorum pariet, aut finem. Equidem quam ver- 15
sabilis fortuna sit, documentum ipse sum; nec im-
merito mitiores vices ejus exspecto; sed si justa ac
pia bella dii aversantur, fortibus tamen viris licebit
honeste mori. Per ego vos decora majorum, qui totius 16
Orientis regna cum memorabili laude tenuerunt; per
illos viros, quibus stipendium Macedonia quondam
tulit; per tot navium classes in Græciam missas; per
tot tropæa regum, oro et obtestor, ut nobilitate vestra
gentisque dignos spiritus capiatis; ut eadem constan- 17

1, 44. Illum Babyloniæ, hunc Armeniæ satrapia donaverat. — *Ut jam malit.* Ut ille præferat, mihi vitam imperiumque cujuscunque generis relinquere, quod quidem gloriam suam augeret, quam utrumque mihi auferre, quo nempe iræ suæ satisfaceret. Eodem sententiæ genere Alexander dicebat, IV, 11, 16, ipsum, quæ fecisset clementer et liberaliter non amicitiæ Darii tribuisse, sed naturæ suæ.

13. *Hoc decus mei capitis.* Cidarim rectam, de qua vide ad lib. III, 2, 19. Nec Dii patiantur, ut hoc frontis meæ ornamentum aliquis mihi detrahere possit, aut reddere amissum.

14. *Si hæc lex.* Si hoc propositum est omnibus, omnibus parta libertas est. Confer hanc Vibii Virii orationem in Livio, lib. XXVI, 30 : « Itaque.... quum mortem ne recusare quidem debeam, cruciatus contumeliasque.... dum liber, dum mei potens sum, effugere morte præterquam honesta possum. Non videbo Q. Fulvium, victoria insolenti subnixum.... Hæc una via, et honesta, et libera ad mortem. »

15. *Nec immerito.* Quum fortuna sit versatilis, non immerito spero fore, ut mihi nunc faveat, quæ ad hoc usque tempus me tam male habuit. — *Aversantur.* Duo Codd. *adversantur.* Utrumque eodem redit.

16. *Decora*, præclare gesta. — *Quibus Macedonia stipendium tulit.* Amyntas, Macedonum rex, terram et aquam dederat legatis a Megabyzo, nomine Darii Hystaspis, missis. Herod. V, 17, 18. Iterum Macedonas subegerat Mardonius, ante Xerxis expeditionem græcam. Herod. VI, 44, 45.

17. *Nobilitate vestra gentisque.* Hoc

tia animorum, qua præterita tolerastis, experiamini, quidquid deinde fors tulerit. Me certe in perpetuum, aut victoria egregia nobilitabit, aut pugna.»

1 IX. Hæc dicente Dario, præsentis periculi species omnium simul corda animosque horrore perstrinxerat, nec aut consilium suppetebat, aut vox; quum Artabazus, vetustissimus amicorum, quem hospitem fuisse Philippi sæpe diximus: «Nos vero, inquit, pretiosissima vestium induti, armisque quanto maximo cultu possumus adornati, regem in aciem sequemur; ea quidem mente, victoriam ut speremus, mortem
2 non recusemus.» Assensu excepere ceteri hanc vocem; sed Nabarzanes, qui in eodem consilio erat cum Besso, inauditi antea facinoris societate inita, regem suum per milites, quibus ambo præerant, comprehendere et vincire decreverant: ea mente, ut, si Alexander ipsos insequutus foret, tradito rege vivo, inirent gratiam victoris, magni profecto cepisse Da-

est, qua privatim quisque ob genus, aut facta pollet, quaque gens universa ob imperii magnitudinem atque diuturnitatem celebris est. Pro *gentisque* mavult J. Fr. Gronovius *gestisque*.

1. *Consilium suppetebat*. Neque consulere in medium, neque proferre quis poterat, quid optimum factu esset. — *Sæpe diximus*. Acidalius vult: *supra diximus*. Quævis sit lectio vera, de Artabazo in primis libris deperditis mentio facta esse potuit, sicut est in Freinshemii supplementis lib. I, c. 2, § 22, sqq. — *Vero* in eodem sensu est ac *ergo*. Gallice: *Eh bien donc*. — *Pretiosissima vestium induti*. «Prisci orbis homines in mortis periculis elegantissimo cultu ornari solebant, id quod innumera probant exempla. Cui rei caussa sine dubio suberat spes, fore, ut eodem, quo mortui essent, habitu apud inferos rursus apparerent.» Hæc *Cunze*; sed nullam hujusce caussæ mentionem facit Xen. Anabas. lib. III, 2, 7, cujus locus huic valde similis est: «Hinc Xenophon surgit, quam elegantissime potuit, ad pugnam ornatus. Existimabat enim, si Dii victoriam largirentur, pulcherrimum ornatum victoriæ convenire; sin moriendum esset, elegantissimo se dignum cultu indicabat, quo ornatus diem in terris extremum clauderet.»

2. *Nabarzanes*. Ὁ χιλιάρχης τῶν ξὺν Δαρείῳ φευγόντων ἱππέων. Arr. III, 21, 2, et 23, 9. — *Inauditi facinoris*. Hoc est, ingentis: nam sæpe in Persis tale facinus auditum est. — *Societate inita*. Præter Nabarzanen et Bessum, Brazas Arachotorum et Drangarum satrapa tertius erat socius. Arr. III, 21, 2 seqq.

rium æstimaturi ; sin autem eum effugere potuissent,
interfecto Dario, regnum sibi occuparent, bellumque
renovarent. Hoc parricidium quum diu volutassent, 3
Nabarzanes, aditum nefariæ spei præparans : « Scio,
me, inquit, sententiam esse dicturum, prima specie
haudquaquam auribus tuis gratam; sed medici quo-
que graviores morbos asperis remediis curant; et gu-
bernator, ubi naufragium timet, jactura, quidquid
servari potest, redimit. Ego tamen, non ut damnum 4
quidem facias, suadeo, sed ut te ac regnum tuum sa-
lubri ratione conserves. Diis adversis bellum inimus,
et pertinax fortuna Persas urgere non desinit; novis
initiis et ominibus opus est. Auspicium, et imperium
alii trade interim, qui tam diu rex appelletur, donec
Asia decedat hostis; victor deinde, regnum tibi red-
dat. Hoc autem brevi futurum ratio promittit. Bactra 5
intacta sunt : Indi et Sacæ in tua potestate : tot populi,

3. *Parricidium*. Nou patris solnm occisionem significat, sed etiam quamvis impiam ac nefariam internecionem, fratris, filii, regis, civis, etc. — *Aditum nefariæ spei præparans*, viam scelesto consilio perficiendo quærens. — *Jactura redimit*. Ut enim, ubi tempestate premitur, minus periculi sit, navem exonerat, resque vel pretiosissimas in mare projicit, ut vitam saltem inde redimat. Utitur hac similitudine Cyrillus, in cap. XVI, e. 1, qu. 7 : nam, ut ait Maximus Tyrius, Dissert. XXV : Τὰ δὲ μέρος ἀνάγκη κακοῦσθαι ὑπὲρ τοῦ ὅλου.

4. *Salubri*. *Salubriori*, Cod. Theocr. — *Pertinax*, varia alias atque mutabilis, in solo odio Persarum constantissima. — *Novis initiis*. Hoc est, redauspicanda est regis consecratio, novusque rex initiandus est. — *Et ominibus opus est*. Hoc est, novis auspiciis, novo rege, apud quem auspicium et imperium est. Vid. not. ad V, 1, 1. *Hominibus* quidam perperam scripserunt. — *Hoc brevi futurum* Ut Asia decedat bostis. — *Indi et Sacæ*. De Indis Persarum subditis vide ad III, 2, 9. De Sacis, non subditis Persarum sed sociis, ad IV, 9, 2. Indorum igitur pauci, Sacarum nulli in Darii potestate erant. In iis vero, quæ adjecit, vires Dario superstites ita verbis exaggeravit, ut jure offendamur. Poteratne Nabarzanes de multis millibus equitum peditumque, de multis adeo exercitibus loqui, Dario, qui eum omnia mentiri non ignorabat, præsente? Ubi fuerint tot exercitus ad bellum parati? ubi major illa belli moles superstes? Scilicet in extremo imperii angulo, quem Alexander nondum subegerat. Confer quæ jam diximus ad cap. 10, § 3.

tot exercitus, tot equitum peditumque millia ad re-
novandum bellum vires paratas habent, ut major
6 belli moles supersit, quam exhausta sit. Quid ruimus,
belluarum ritu, in perniciem non necessariam? For-
tium virorum est, magis mortem contemnere, quam
7 odisse vitam. Sæpe tædio laboris ad vilitatem sui com-
pelluntur ignavi : at virtus nihil inexpertum omittit.
Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigre
8 ire satis est. Proinde si Bactra, quod tutissimum re-
ceptaculum est, petimus, præfectum regionis ejus,
Bessum, regem, temporis gratia, statuamus. Compo-
sitis rebus, justo regi tibi fiduciarium restituet impe-
9 rium. » Haud mirum est, Darium non temperasse
animo, quamquam, tam impiæ voci quantum nefas
subesset, latebat. Itaque : « pessimum, inquit, manci-
pium, reperisti exoptatum tibi tempus quo parricidium
10 aperires ! » strictoque acinace interfecturus videbatur,
ni propere Bessus Bactrianique, tristium specie, cete-

6. *Mortem contemnere quam odisse vitam.* Mori non recusare, si mors est necessaria et honesta; sed non temere in perniciem ruere, si mortem evitare et possumus, et debemus. Mortem contemnit, qui necessitate coactus, honoris caussa, oppetere illam non dubitat; vitam odit, qui tædio laboris atque ob ignaviam morti se objicit.

7. *Ad vilitatem sui.* Ad mortem oppetendam, et vitam suam nullius pretii habendam. — *Itaque ultimum omnium mors est*, etc. Et ita mors forti viro obtingere non potest, nisi omnibus frustra tentatis; atque tum demum, satis ei est, strenue illam adire. Perperam locum hunc universalem putant, arctissime enim cohæret cum antecedentibus.

8. *Temporis gratia.* Quia tempus necessitasque ita postulat. — *Compositis rebus.* Pace restituta. — *Justo.* Legitimo. — *Fiduciarium imperium.* Quod sub fide restitutionis, et ad tempus tantum, concessum est.

9. *Quamquam.* Licet forsan temperare potuisset, quia Nabarzanis consilii atrocitas, speciosa oratione obtecta, non tota patebat. — *Exoptatum.* Sic quinque Codd. Vulgo *optatum.* — *Parricidium aperires.* Scelestum, regem tuum perdendi, consilium non amplius occultares, sed in medium proferres.

10. *Tristium specie.* Constantissime Codd. *deprecarentur tristium specie;* et Cod. Theoc. *quum deprecarentur tristium specie.* Unde conjecit Snakenburgius : *ni propere Bessus Bactrianique deprecantium pristina specie*, etc. Si vocem *deprecarentur* cum Modio, cæterisque editt. sustuleris, sensus est :

rum, si perseveraret, vincturi, circumstetissent. Na- 11
barzanes interim elapsus, mox et Bessus sequutus,
copias, quibus præerant, a cetero exercitu secedere
jubent, secretum inituri concilium. Artabazus, conve- 12
nientem præsenti fortunæ sententiam orsus, mitigare
Darium, temporum identidem admonens, cœpit:
ferret æquo animo qualiumcumque, suorum tamen,
vel stultitiam, vel errorem. Instare Alexandrum gra-
vem, etiam si omnes præsto essent: quid futurum,
si persequuti fugam ipsius, alienentur [a rege]? Ea 13
re paruit Artabazo; et quamquam movere castra sta-
tuerat, turbatis tamen omnium animis, eodem in loco
substitit; sed attonitus mœstitia simul et desperatione,
tabernaculo se inclusit. Ergo in castris, quæ nullius 14
regebantur imperio, varii animorum motus erant; nec
in commune, ut antea, consulebatur. Dux Græcorum 15
militum Patron arma capere suos jubet, paratosque
esse ad exsequendum imperium. Persæ secesserant: 16
Bessus cum Bactrianis erat, tentabatque Persas abdu-
cere, Bactra, et intactæ regionis opulentiam, simul-
que quæ manentibus instarent pericula, ostentans.

nisi Bessus et Bactriani Darium circumstetissent; vultu quidem tristitiam simulantes, sive quia Nabarzanes ita locutus fuerat, sive quia Darius ita iratus fuerat, ut adeo graviter in eum jamjam sæviret; sed eo animo, ut, si irasci Nabarzani persisteret, vimque afferret, ipsum regem in vincula conjicerent.

12. *Orsus*. Nempe dicere. — *Qualiumcumque*. Suorum militum, qui, qualescumque forent, ipsius tamen milites erant. — *Gravem*, timendum, etiamsi Darium sui omnes comitarentur. — *Persequuti fugam ipsius*. Hoc est, adhuc comites fugientis regis (Darii). Cæterum et Schmiederum offendunt illa *a rege*, quæ quid opus erat addi, quum ad regem ipsum Artabazus loqueretur? Ex glossa sunt; atque pro *ea re paruit* cum Acidalio legit: *ægre paruit*. Quas sane conjecturas et ego quoque libentius accepissem, si uno tantum codice niterentur.

15. *Patron*. Apud Arrian. III, 16, 2: *Paron*, Phocensis.

16. *Persæ secesserant*. Persæ circa Darium, separata a Græcis et Bactrianis, castra habebant; separata Bactriani cum Besso. — *Abducere*. A Dario. — *Simulque quæ*. Alii: *simul quæ*. — *Manentibus*. In fide erga regem.

Persarum omnium eadem fere fuit vox, nefas esse de-
17 seri regem. Inter hæc Artabazus omnibus imperatoriis
fungebatur officiis : ille Persarum tabernacula circumire, hortari, monere nunc singulos, nunc universos; non ante destitit, quam satis constaret, imperata facturos. Idem ægre a Dario impetravit, ut cibum caperet, animumque regis.

1 X. At Bessus et Nabarzanes olim agitatum scelus exsequi statuunt, regni cupiditate accensi : Dario autem
2 incolumi, tantas opes sperare non poterant. Quippe in illis gentibus regum eximia majestas est; ad nomen quoque barbari conveniunt; et pristinæ veneratio for-
3 tunæ sequitur adversam. Inflabat impios animos regio, cui præerant, armis virisque, et spatio locorum nulli earum gentium secunda : tertiam partem Asiæ tenet : multitudo juniorum exercitus, quos amiserat Darius,

17. *Non ante. Nec ante*, Freinshemius. — *Constaret*, certum exploratumque esset.

1. *Olim*. Jamdiu. — *Tantas opes*. Quantæ ad imperium quantumcumque tuendum necessariæ essent.

2. *Ad nomen quoque*. Hoc est, si modo est, qui rex appelletur; non curantes, utrum regis quoque potestatem habeat. Sic Dario etiam, potestate amissa, nomen tantum supererat. *Cunze* male conjecit *ad numen*. H. e. ad nutum. — *Pristinæ veneratio fortunæ*. Non minus reges suos in adversa quam in prospera fortuna venerantur.

3. *Regio, cui præerant*. Cui regioni Nabarzanes præfuerit, nemo tradidit. Erat præfectus equitum (vid. ad c. 9, 2); Hyrcaniam, cujus satrapa Phrataphernes erat, post mortem Darii occupasse dicitur, lib. VI, 3, 9. Bessus præerat Bactrianæ, et, ni fallor, Sogdianæ, Dahis et Indis, quotquot Persis parebant; sed, ut verosimile est, Nabarzanen in societatem quasi tam sceleris, quam honoris adsciverat; inde Curtius dixit *præerant*. Omnis hæc regio satis quidem ampla est; sed multum abest, quin tertiam Asiæ, quam veteres noverunt, partem tenuerit. Mihi vix dubium est, quin Curtius, vel is, quemcumque sequitur, magnum regnum Bactrianum, post Alexandri mortem ortum, cum Bactriana provincia sub Dario confuderit. Hæc non erat tanta, ut, quæ hoc loco scripta sunt, vera esse potuissent; illa, ut erat veterum orientis cognitio, facile tertia Asiæ pars appellari poterat. Reges enim Bactriani dimidiam circiter totius imperii persici partem, quæ orientem spectat, et Indiæ partem non exiguam, aliquamdiu obtinuerunt. Male conjecerat Cunze, *tertiam partem Ariæ*. — *Juniorum* Bactrianæ incolarum, armis aptorum.

æquabat. Itaque non illum modo, sed etiam Alexan- 4
drum spernebant; inde vires imperii repetituri, si re-
gionis potiri contigisset. Diu omnibus cogitatis, placuit 5
per milites Bactrianos, ad omne obsequium destina-
tos, regem comprehendere; mittique nuncium ad
Alexandrum, qui indicaret, vivum asservari eum. Si, 6
id quod timebant, proditionem adspernatus esset,
occisuri Darium, et Bactra cum suarum gentium manu
petituri. Ceterum propalam comprehendi Darius non 7
poterat, tot Persarum millibus laturis opem regi:
Græcorum quoque fides timebatur. Itaque, quod non 8
poterant vi, fraude assequi tentant: pœnitentiam se-
cessionis simulare decreverant, et excusare apud re-
gem consternationem suam. Interim, qui Persas solli- 9
citarent, mittuntur: hinc spe, hinc metu militares ani-
mos versant; ruinæ rerum illos subdere capita; in per-
niciem trahi; quum Bactra pateant, exceptura eos donis
et opulentia, quantam animis concipere non possint.
Hæc agitantibus Artabazus supervenit, sive regis jussu, 10
sive sua sponte; affirmans, mitigatum esse Darium,
eumdem illis amicitiæ gradum patere apud regem. Illi 11
lacrymantes nunc purgare se, nunc Artabazum orare,
ut caussam ipsorum tueretur, precesque perferret. Sic 12

4. *Vires imperii repetituri.* Hoc est, inde exercitus conscripturi ad imperium in commune contra Alexandrum obtinendum, defendendum; *si regionis potiri potuissent*, hoc est, nisi forte Alexander, cujus celeritas metuenda erat, priusquam ipsi exercitum conduxissent, Bactrianam invaderet.

5. *Ad omne obsequium destinatos.* In omni re certissime obsequentes.

8. *Consternationem.* Seditionem, furorem. Eodem modo apud Liv. lib. XXXIV, 2, *consternatio muliebris* dicitur, pro, seditione mulierum. Sunt quoque alia exempla apud Suetonium.

9. *Sollicitarent.* Ad tumultum, et rebellionem concitarent. Corn. Nepos, Pausan. c. 3: « Helotes spe libertatis sollicitare existimabatur. » Sallust. Catil. 24: « Servitia urbana sollicitare. » — *Militares animos.* Militum animos, more loquendi Latinorum, in primis vero Livii usitatissimo. Vid. exemplum modo laudatum. — *Ruinæ rerum*, reipublicæ ruenti.

10. *Supervenit.* Repente venit ad eos, dumque talia clam Artabazo agitarent.

peracta nocte, sub lucis ortum, Bessus et Nabarzanes cum Bactrianis militibus in vestibulo prætorii aderant, titulum solemnis officii occulto sceleri præferentes. Darius, signo ad eundum dato, currum pristino more
13 conscendit. Nabarzanes ceterique parricidæ, procumbentes humi, quem paullo post in vinculis habituri erant, sustinuere venerari; lacrymas etiam pœnitentiæ indices profuderunt : adeo humanis ingeniis parata si-
14 mulatio est! Preces deinde suppliciter admotæ Darium, natura simplicem et mitem, non credere modo, quæ
15 affirmabant, sed etiam flere coegerunt. Ac ne tum quidem cogitati sceleris pœnituit, quum intuerentur, qualem et regem et virum fallerent. Ille quidem securus periculi, quod instabat, Alexandri manus, quas solas timebat, effugere properabat.

1 XI. Patron autem, Græcorum dux, præcepit suis, ut arma, quæ in sarcinis antea ferebantur, induerent,
2 ad omne imperium suum parati et intenti. Ipse cur-

12. *Sub lucis ortum*, etc. Emendavit locum ex Cod. Theocreni *Schmieder*. Vulgo : *sub lucis ortu Nabarzanes.... aderat, titulum....præferens.* — *Titulum solemnis officii*. Sub specie obeundi consueti officii nefarium scelus occulte tegebat. Nihil his detestandis artibus perniciosius, et verissimum de his Ciceronis effatum, lib. I, in Verrem : « Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis. Hoc vero occultum, intestinum, domesticum malum non modo exsistit, verum etiam opprimit, antequam perspicere, atque explorare potueris. »

14. *Preces suppliciter admotæ*. Preces, quas, supplicum more, adhibuerunt. — *Simplicem*. Simplices proprie dicuntur homines qui idem dicunt, idem cogitant. Ejusmodi animi autem omnes alios ex se fingere, eorumque verbis fidem non dubitanter habere solent.

15. *Et regem et virum*. Regem mitem et generosum, offensarum obliviscentem; virum bonum, et natura simplicem, simulatæ pœnitentiæ sincero affectu credentem. — *Quod instabat*, a Besso et Nabarzane.

1. *In sarcinis*. Tamquam omnibus ad iter potius fugamque, quam ad prælium paratis. Nam id in itinere fere semper fiebat. Ob eamdem illam caussam, frequens est locutio *expedire arma*. Atque hinc cognoscitur quid sit *itineri simul et prælio paratum esse*; nempe armis non in sarcinas colligatis, sed aptatis corpori.

rum regis sequebatur, occasioni imminens alloquendi eum: quippe Bessi facinus præsenserat; sed Bessus, id ipsum metuens, custos verius, quam comes, a curru
non recedebat. Diu ergo Patron cunctatus, ac sæpius 3
sermone revocato, inter fidem timoremque hæsitans,
regem intuebatur. Qui, ut tandem advertit oculos, Bu- 4
bacen spadonem inter proximos currum sequentem percontari jubet, numquid ipsi velit dicere. Patron, se vero, sed remotis arbitris, loqui velle cum eo respondit. Jussusque propius accedere, sine interprete (nam
haud rudis Græcæ linguæ Darius erat): «Rex, inquit, 5
ex L millibus Græcorum supersumus pauci, omnis fortunæ tuæ comites; et in hoc tuo statu iidem, qui, florente te, fuimus: quascumque sedes elegeris, pro patria et domesticis rebus petituri. Secundæ adversæque res tuæ copulavere nos tecum. Per hanc fidem in- 6
victam oro et obtestor, in nostris castris tibi tabernaculum statue, nos corporis tui custodes esse patiaris. Amisimus Græciam; nulla Bactra sunt nobis; spes

2. *Occasioni imminens.* Occasionem captans.

3. *Sermone revocato.* Quum sæpe dicturus, toties se repressisset, vocemque jam prodire volentem quasi reprehendisset. In omnibus Codd. legitur *revocatus*, quasi Patron sermone Bessi revocatus esset.

4. *Ipsi.* Sic scripsi cum Cod. Pal. 1, pro *ipse.*

5. *Ex L M Græcorum.* Quotquot circiter in universum Dario stipendia meruisse videntur. — *Pauci.* Teste Curtio V, 12, 4, *quatuor millia* Patron habebat. Arrian. III, 23, fin. εἶναι δὲ ἐλέγοντο ἐς χιλίους καὶ πεντακοσίους. Utrique et Curtio et Arriano contradicit Pausan. Arcad. p. 280: Ὁ μὲν Λεωσθένης τὸ Ἑλλήνων μισθοφορικὸν καὶ ἐν Πέρσαις περὶ πέντε που μυριάδας ἐπὶ θάλασσαν καταβάντας ἐκούσιν ἐς τὴν Ἑλλάδα ἀνέσωσε, καὶ ἄκοντος Ἀλεξάνδρου. — *Omnis*, sive secundæ, sive adversæ. — *Statu*, deteriore. — *Iidem*, non minus fideles.

6. *Amisimus Græciam.* Potestatem redeundi in Græciam. Ἀδικεῖν γὰρ μεγάλα τοὺς στρατευομένους ἐναντία τῇ Ἑλλάδι παρὰ τοῖς βαρβάροις, παρὰ τὰ δόγματα τὰ Ἑλλήνων respondet Alexander legatis illorum apud Arrian. III, 23, 15. Quidam habent: *omisimus Græciam.* — *Nulla Bactra.* Nullum perfugium, quale Besso et Bactrianis futura sunt Bactra, cujus scil. fiducia, ineamus adversus te consilium sceleste. Pertinent enim hæc ad significationem, verum occultam et figuratam,

omnis in te, utinam et in ceteris esset! Plura dici non
attinet. Custodiam corporis tui externus et alienigena
non deposcerem, si crederem alium posse præ-
7 stare. » Bessus, quamquam erat Græci sermonis igna-
rus, tamen, stimulante conscientia, indicium profecto
Patronem detulisse credebat : et interpretis Græci re-
lato sermone exempta dubitatio. Darius autem, quan-
tum ex vultu concipi poterat, haud sane territus,
percontari Patrona caussam consilii, quod afferret,
8 cœpit. Ille non ultra differendum ratus : « Bessus, in-
quit, et Nabarzanes insidiantur tibi, in ultimo dis-
crimine et fortunæ tuæ, et vitæ. Hic dies aut parricidis,
9 aut tibi futurus ultimus. » Et Patron quidem egregiam
10 conservati regis gloriam tulerat. Eludant licet, quibus

iacinoris, quod Bessus agitabat.—*Utinam et in ceteris esset.* Scil. Besso et ejus consciis. Modius delebat *in*. Sensus foret : utinam et cæteris, sicut et nobis, in te solo, et non alibi, spes forent sitæ. Hoc non improbat Freinshemius.

7. *Et interpretis græci relato sermone.* Contraria hæc sunt supra narratis. Accidit Curtio quibusdam locis, ut propter nimium singula quæque pingendi studium contraria scribat. Patron cum Dario *remotis arbitris* loqui voluerat; igitur *propius accedere* jussus est, ut reliqui præsentes, a Dario remotiores, Patronis sermonem non exaudirent. Colloquebatur Patron cum Dario *sine interprete* eamdem ob caussam, et quia Darius linguæ græcæ non erat rudis. Quæ si vera sunt, qua tandem ratione Besso aliquis Patronis sermonem referre potuerit? *Tanneguy Lefebvre*, ut Curtium purgaret, substituit, et felicissime, ut arbitror, *et interpretis græci remotione exempta dubitatio.* Nullam enim vehementiorem Besso caussam esse potuisse suspicandi, Patronem aliquid adversus se detulisse, quam quod Darius interprete uti noluerit. Nam, licet Darius haud rudis linguæ græcæ foret, probabile tamen est, illum non perfecte adeo eam novisse, ut interprete Græco plane careret, nisi quum major quædam occurreret occasio, ut nunc videmus. Scheffero vox *Græci* scripta videtur pro *Patronis*, et pro *interpretis*, vel *ab interprete*, vel *interprete* legit, ut aliquis ex Persis intelligatur, græci sermonis peritus, qui Patronis sermonem Besso retulerit. Sed qui hoc fieri potuit, quum alii præsentes sermonem ejus non audirent? In Cod. Leid. legitur : *interpreti relato sermone Græci*, quasi Bessus, Græci sermonis ignarus, græcam Patronis orationem et audivisset, et interpreti cuidam retulisset.

8. *Et fortunæ. Es fortunæ*, Acidalius malebat.

9. *Tulerat.* Laturus fuerat, si scil. paruisset Darius. Exempla hujus formulæ plura attulit Freinshemius.

10. *Eludant licet.* Esto : hoc irri-

forte [ac] temere humana negotia volvi agique persuasum est. Equidem æterna constitutione crediderim, nexuque causarum latentium, et multo ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere. Darius certe respondit, quanquam sibi Græ- 11
corum militum fides nota sit, nunquam tamen a popularibus suis recessurum; difficilius sibi esse damnare, quam decipi; quicquid sors tulisset, inter suos perpeti malle, quam transfugam fieri. Sero se perire, si salvum esse sui milites nollent. Patron, desperata 12
salute regis, ad eos, quibus præerat, rediit; omnia pro fide experiri paratus.

deant, qui putant res humanas casu et fortuito evenire. Sic plane Liv. VI, 41: « Eludant nunc licet religiones: quid enim est.... » et XXVI, 22. — *Suum quemque ordinem*. Hoc est, quemque hominum suam viam, quam fatalis ordo immutabili lege præscripsit, percurrere. — *Immutabili lege*. Hæc Curtii de fato sententia, quæ ex aliis etiam locis constat, lib. IV, c. 6, § 17; X, 1, 30, stoicæ disciplinæ fuit. Eadem Seneca, et ipse huic disciplinæ addictissimus; ille enim, epist. 19: « Qualem dicimus esse seriem caussarum, ex quibus nectitur fatum. » Et sic quoque epist. 77; 101; Suasor. III. Quin immo, hæc doctrina, quæ hodie Turcarum est, et multis, vel præstantissimis, apud recentiores, ingeniis communis fuit; viguit in omni fere antiquitate, ab ipso Homero, omnium doctrinarum fonte, exorsa; qui immutabili fato Jovem ipsum, hominum deorumque regem, subjicit. Vid. Herodot. III, 43; Plutarch. Camill. 17; Valer. Maxim. I, 6, 10; Aurel. Victor in Numer.; Ammian. Marcellin. XXIII, 11; et hæc, quibus concludere possumus, Apuleii verba, lib. IX: « Nihil, fortuna renuente, licet homini nato dexterum provenire: nec consilio prudenti, vel remedio sagaci, divinæ providentiæ fatalis dispositio subverti, vel reformari potest. »

11. *Certe*. Hæc particula restringit, et, quod universe dictum erat, limitat; idem quod *saltem*. Itaque non est, quod cum Acidalio *ergo* pro illo reponamus. — *A popularibus*. Neque id sine ratione. nam eo facto maximopere eos offendisset, et ut seq. cap. loquitur, parricidio excusationem obtulisset. — *Transfugam fieri* a popularibus suis recedere, atque fidei externorum alienigenarumque se committere. — *Sero se perire*. Similiter Scipio apud Liv. XXXVIII, 27, 9: « Equidem, si totum exercitum meum mortem mihi optare crederem, hic statim ante oculos vestros morerer. » Multa in eodem sensu ex Isocrate, Cicerone, Seneca, Plutarcho, Cassio, collegit Freinshemius. Gelon, comperta conjuratione, armatus in concionem adscendit; mox, exutis armis, dedere se vitamque suam universis dixit; occiderent, si ita videretur. Ælian. Hist. Var. XIII, 37.

1 XII. At Bessus occidendi protinus regis impetum conceperat : sed veritus, ne gratiam Alexandri, ni vivum eum tradidisset, inire non posset, dilato in proximam noctem sceleris consilio, agere gratias incipit, quod perfidi hominis insidias, jam Alexandri opes spectantis, prudenter cauteque vitasset : donum eum
2 hosti laturum fuisse regis caput; nec mirari, hominem mercede conductum omnia habere venalia, sine pignere, sine lare, terrarum orbis exsulem; ancipitem
3 hostem, ad nutum licentium circumferri. Purganti deinde se, deosque patrios testes fidei suæ invocanti, Darius vultu assentiebat; haud dubius, quin vera deferrentur a Græcis : sed eo rerum ventum erat, ut tam periculosum esset non credere suis, quam decipi.
4 xxx millia erant, quorum inclinata in scelus levitas timebatur; quatuor millia Patron habebat : quibus si credidisset salutem suam, damnata popularium fide,
5 parricidio excusationem videbat offerri : itaque præoptabat immerito, quam jure violari. Besso tamen, insidiarum consilium purganti, respondit : Alexandri sibi non minus justitiam, quam virtutem esse perspectam. Falli eos, qui proditionis ab eo præmium exspectent; violatæ fidei neminem acriorem fore vin-
6 dicem ultoremque. Jamque nox appetebat, quum

1. *Impetum*, furiosam cupiditatem. Ita et Liv. XXVI, « multa secum volventi Hannibali subiit animum *impetus*, caput ipsum belli, Romam, petendi. » — *Perfidi hominis*, Patronis. Suum flagitium alii objectat Bessus.

2. *Sine pignere*. Sine conjuge et liberis. — *Sine lare*. Sine domo, aliave possessione. — *Terrarum orbis exsulem*. Non solum exsulem Græciæ, sed ne in Asia quidem sedem, quam suam dicere posset, habentem. — *Ancipitem hostem*. Incertum, cui potissimum hostis sit, utrum Alexandro, an Dario; hostem ei futurum, qui minus liceretur, id est, minorem offerret pecuniam. — *Licentium*. *Licitantium* Cod. Theocr. De his verbis vide notam ad IV, 12, 1.

4. *XXX millia*. Vide supra V, 8, 4, cum nota. — *Inclinata levitas*. Timor erat, ne milites in scelus traherentur, nativa sua levitate, quæ Bessi aliorumque verbis et promissis sollicitata, jam in deteriorem partem inclinaverat. — *Damnata*, In suspicionem vocata.

Persæ, more solito armis positis, ad necessaria ex pro-
ximo vico ferenda discurrunt; at Bactriani, ut impe-
ratum erat a Besso, armati stabant. Inter hæc Darius 7
Artabazum acciri jubet; expositisque, quæ Patron de-
tulerat, haud dubitare Artabazus, quin transeundum
esset in castra Græcorum : Persas quoque, periculo
vulgato, sequuturos. Destinatus sorti suæ, et jam nul- 8
lius salubris consilii patiens, unicam in illa fortuna
opem, Artabazum, ultimum illum visurus, amplec-
titur; perfususque mutuis lacrymis, inhærentem sibi
avelli jubet : capite deinde velato, ne inter gemitus
digredientem velut a rogo intueretur, in humum pro-
num corpus abjecit. Tum vero custodiæ ejus assueti, 9
quos regis salutem vel periculo vitæ tueri oportebat,
dilapsi sunt, cum armatis, quos jam adventare crede-
bant, haud rati se futuros pares. Ingens ergo in taber-
naculo solitudo erat, paucis spadonibus, quia, quo
discederent, non habebant, circumstantibus regem.

6. *More solito.* Nec Parthis patrium, aut consuetum fuisse noctu pugnare, Plut. in Crasso, c. 57, tradit.

7. *Periculo vulgato.* Ubi periculum regis illis innotuisset.

8. *Digredientem velut a rogo.* Sic scripsi cum libris plurimis, pro vulgato ac fatuo *velut a rege*, suffragante etiam J. F. Gronovio, qui sic locum interpretatur : « Darius velavit caput, more etiam inter antiquos usitato, de rebus suis desperantium, at quasi fortunæ se dedantium, ne intueretur amicum discedentem inter gemitus et lacrymas; sive ominis et religionis caussa, sive quod turpe judicaret cum Tito, quemquam, nedum tam fidum ac probatum, a sermone Principis tristem discedere. Noluit intueri digredientem *velut a rogo*, non tamquam a rege, ne quidem ut a vivo, sed velut a funere, aut rogo, vel busto, inter gemitus et lacrymas. » Huic Gronovii interpretationi, cui cæterum plane adhæreo, addere cum Schmiedero possim : « Ignoscant mihi Gronovii manes, si dictum Titi loco hic allegatum putem alienissimo. »

9. *Cum armatis.* Hoc vulgo legitur pro *tum armatis*, quod dant MSS. plurimi. Freinshemius pro *tum* conjecit *tot;* Schefferus, vel *XVM*, vel potius *IIIM;* tria enim millia et trecenti equites erant maxime Bactrianorum; supra cap. 8. *Cunze* conjiciebat *nam :* vulgatam his omnibus præfero. — *Non habebant.* Nesciebant. Quippe viles apud alios erant, et contempti, quæ, inter cæteras, caussa Cyrum movit, ut ejusmodi homines sibi fidissimos futuros crederet, si Xenophonti, Cyropæd. VII, fides habenda.

10 At ille, remotis arbitris, diu aliud atque aliud consi-
lium animo volutabat. Jamque solitudinem, quam
paulo ante pro solatio petiverat, perosus, Bubacem
11 vocari jubet; quem intuens, « Ite, inquit, consulite
vobis, ad ultimum regi vestro, ut decebat, fide exhi-
bita; ego hic legem fati mei exspecto. Forsitan mireris,
quod vitam non finiam? alieno scelere, quam meo
12 mori malo. » Post hanc vocem, spado gemitu non modo
tabernaculum, sed etiam castra complevit. Irrupere
deinde alii; laceratisque vestibus, lugubri et barbaro
13 ululatu regem deplorare cœperunt. Persæ, ad illos cla-
more perlato, attoniti metu, nec arma capere, ne in
Bactrianos inciderent, nec quiescere audebant, ne
14 impie deserere regem viderentur. Varius ac dissonus
clamor, sine duce ac sine imperio, totis castris refe-
rebatur. Besso et Nabarzani nunciaverant sui, regem
a semet ipso interemptum esse; planctus eos decepe-
15 rat. Itaque citatis equis advolant, sequentibus, quos
ad ministerium sceleris delegerant: et quum taber-
naculum intrassent, quia regem vivere spadones indi-
16 cabant, comprehendi vincirique jusserunt. Rex, curru
paulo ante vectus, et deorum a suis honoribus cultus,

11. *Quam meo mori.* Acidalius reputabat legendum esse *quam metu meo mori*, quia sic legitur in libro III, 6, 6; nec scelus apud veteres reputabatur, sua sibi manu vitam eripere. Sed nullo Cod. hæc conjectura nititur.

12. *Laceratis vestibus.* Multarum hæc gentium consuetudo fuit, in gravi luctu, vel indignatione, vestimenta scindere. De Persis, præter Curtium, ex multis aliis id probat Brisson. de reg. Pers. De Judæis crebra sunt in Sacris litteris exempla: omnibus occurrit illud Caiphæ Annæque Pontificum, quum in D. N. J. C. inveherentur.

16. *Deorum a suis honoribus.* Hæc est, hoc loco, Cunzii nota, cui sane libentius adhæream, « alii: *deorum auspiciis ac suis*; alii: *de eorum auspiciis a suis*; alii: *deorum auspiciis a suis.* Quum omnes Codd. vocem *auspiciis* constantissime retineant, religionem puto eam cum Freinshemio respuere. Corruptelam loci autem quis est, quin videat? Vera lectio, sic mihi videtur, est: *deorum auspiciis, ac summis honoribus cultus;* et solitum compendium scripturæ in voce *summis* adhibitum (sūis, vel etiam sumis), ansam præbuit ad locum corrumpen-

nulla externa ope admota, captivus servorum suorum, in sordidum vehiculum [pellibus undique contectum] imponitur. Pecunia regis et supellex, quasi jure belli, 17
diripitur, onustique præda, per scelus ultimum parta, fugam intendunt. Artabazus cum iis, qui imperio pa- 18
rebant, Græcisque militibus, Parthienen petebat, omnia tutiora parricidarum contuitu ratus. Persæ, pro- 19
missis Bessi onerati, maxime quia nemo alius erat, quem sequerentur, conjunxere se Bactrianis, agmen eorum tertio assequuti die. Ne tamen honos regi non 20
haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt, nova ludibria subinde excogitante fortuna. Et, ne forte cultu regio posset agnosci, sordidis pellibus vehiculum intexerant : ignoti jumenta agebant, ne percontantibus in agmine monstrari posset : custodes procul sequebantur.

dum. — *Nulla externa ope admota.* Non per hostes, sed per suos servos, Bessum, Nabarzanem, in vincula conjectus est. — *Pellibus undique contectum.* Hæc verba, inquit Schefferus, puto ex sqq. intrusa inepte, et ejicienda. Certe si hic posuisset Curtius, non debebat paullo post tanquam rem novam memorare, quod *sordidis pellibus vehiculum contexerint.* Legitur quidem in quibusdam *contectus* in superioribus, ut referri possit ad Darium, sed et illud a sciolo factum. Nam si Darius ita fuit contectus, quid ita hic metuunt, ne forte cultu regis agnoscatur, et vehiculum quoque contegunt.

17. *Pecunia regis.* Septem millia talentum. Arr. III, 19, 9; *ὀκτακισχίλια τάλαντα*, Strab. XV.

18. *Parthienen petebat.* Artabazus, Græci mercenarii, et Darius in Parthiene jam erant, sed hic via publica per plana regionis ibat; illi montes petebant inter Hircaniam et Parthyæam sitos. Arrian. III, 22, 3. — *Nemo alius.* Arrian. III, 21, 9, caussam, cur summum imperium Besso sit concessum affert hanc : *Βῆσσος δὲ ἐν τῷ παρόντι ἐξηγεῖσθαι κατ' οἰκειότητά τε τὴν Δαρείου, καὶ ὅτι ἐν τῇ αὐτοῦ σατραπείᾳ τὸ ἔργον ἐγίγνετο.* Eamdem necessitudinem etiam Justin. XI, 15, 1, respexit : « Inter ea Darius a *cognatis* suis vincitur. » — *Aureis compedibus.* Idem testatur Justinus l. l. Antonius quoque regem Armeniæ : « Artavasden, fraude deceptum, catenis, sed, ne quid honori deesset, aureis, vinxit », ut Velleius II, 82, 7, refert.

20. *Ignoti.* Humiles homines, qui ignorabant ipsi, regem in vehiculo inesse. — *Procul sequebantur.* Eumdem nimirum ad finem, ne inde auspicio oriretur, regem eo curru vehi; quum enim vehebatur curru, corporis custodes propius comitabantur.

1 XIII. Alexander, audito Darium movisse ab Ecbatanis, omisso itinere, quod patebat in Mediam, fugien-
2 tem insequi pergit strenue. Tabas oppidum est in Parætacene ultima: ibi transfugæ nunciant, præcipi-
3 tem fuga Bactra petere Darium. Certiora deinde cognoscit ex Bagistane Babylonio, non equidem vinctum regem, sed in periculo esse aut mortis, aut vinculorum.
4 Rex, ducibus convocatis, « Maximum, inquit, opus, sed labor brevissimus superest; Darius haud procul destitutus a suis, aut oppressus. In illo corpore posita

1. *Movisse:* scil. castra. — *Omisso itinere, quod patebat in Mediam.* In Codd. est *petebat.* Freinsh. mavult *parabat;* Schefferus: *omisso itinere, quo petebat,* scilicet Darium, *in Mediam;* ex Modii conjectura receptum est *patebat;* quæ lectio inter plures melior est, sed nulla omnium respectu ad geographiam satis facit. Alexander enim (vide supra ad c. 8, 2), montes Parætacenes transgressus, multorum dierum itinere per Mediam ivit, Ecbatana, Mediæ caput, occupavit, indeque iterum per Mediam ad pylas caspias pervenit. Rectene igitur Curtius scripsit, Alexandrum *iter in Mediam omisisse?*

2. *Tabas oppidum est in Parætacene ultima.* Parætacene inter Persidem et Mediam satis ampla fuisse videtur. Alexander enim ex Persepoli Mediam versus movens, Parætacas, incursione in eorum regionem facta, subegit, et inde citatis itineribus usus, *ἀφικνεῖται δωδεκάτῃ ἡμέρᾳ ἐς Μηδίαν, ἔνθα ἔμαθεν . . . . ὅτι φεύγειν ἐγνωκὼς εἴη Δαρεῖος,* Arrian. lib III, cap. 19. De Darii igitur fuga circiter in ultima Parætacene, ubi locum aliquem, *Tabas* nomine, fuisse ex nostro et Polybii Excerpt. 31, vero simile est, certior factus est. Post primum hunc de Darii fuga nuncium, itineribus faciendis aliisque negotiis multos dies Alexander consumpsit, antequam Bagistanes ad eum veniret, quorum omnium Curtius hoc quidem loco, ubi debuisset, mentionem non fecit. Alexander enim plurium dierum itinere Ecbatana properabat, ubi, Thessalis equitibus dimissis, pecuniam ex Perside advehendam deponi jubet: aliis deinde rebus ordinatis, Parthyæam versus movet. Undecimis castris Rhagas pervenit; ubi quum, per vestigia insequendo, Darium se capturum desperat, per quinque dies exercitum recreavit, Mediæque satrapam constituit. Primo deinde die, ad pylas caspias, secundo, per easdem, ad principium desertorum pervenit. Arrian. III, 19, 20. Ibi quum esset, Bagistanes, ex principibus Babyloniorum cum Antibelo, sive Artibolo, Mazæi filio, ex Darii castris, captivum eum esse nunciantes, ad Alexandrum venerunt. Hæc *Schmieder.*

3. *Bagistane* cum pluribus Codd. et Arrian. III, 21, 1, scripsi, non *Bagystane.* — *Non equidem vinctum,* hoc est, *et quidem non vinctum.* Noster 5718 omittit *non,* et quidam alii: unde conjiciebat *Cunze: et quidem vivum, sed,* etc.

est victoria nostra : et tanta res, celeritatis præmium. »
Omnes pariter conclamant, paratos ipsos sequi; nec 5
labori, nec periculo parceret. Igitur raptim agmen cur-
sus magis, quam itineris modo ducit, ne nocturna qui-
dem quiete diurnum laborem relaxante. Itaque quin- 6
genta stadia processit : perventumque erat in vicum,
in quo Darium Bessus comprehenderat : ibi Melon, 7
Darii interpres, excipitur : corpore æger non potue-
rat agmen sequi, et, deprehensus celeritate regis,
transfugam se esse simulabat : ex hoc acta cognoscit.
Sed fatigatis necessaria quies erat. Itaque delectis 8
equitum sex millibus trecentos, quos Dimachas ap-
pellabant, adjungit : dorso hi graviora arma porta-

5. *Ne nocturna quidem quiete.* Alexander, reliqnis copiis, nt itineribus moderatioribus seqnerentur, relictis, cum equitibns amicis, et antecnrsoribus atqne peditum robustissimis expeditissimisque per eam totam noctem, et postero die ad meridiem usque, tum rursus tota nocte processit, at sub auroram ad vicum Parthorum (quem *Thara* appellat Just. 11, 15), ubi Darius in vincula conjectus fuerat, pervenit. Inda denno iter totius noctis et diei insequentis ad meridiem usque emensus, in castra, ubi pridia Darius fuarat, progressus, equitibus suis Dimachas adjunxit, ut ait Curtius. Seqnente deniqne nocte, ingenti itinere 400 stadiorum (10 mill. geogr.) confecto, tandem sub auroram agmen Persarum assequitur. De Alexandri velocitate vid. Excursum II ad hunc lib.

8. *Quos Dimachas appellabant.* Jul. Pollux, lib. I, segm. 132 : « Erat etiam alia equitum species, διμάχαι, Alexandri inventum; leviorem quam pedites hoplitæ, graviorem quam equites habentes apparatum, ad utramque, pedestrem scilicet equestremque, exercitati pugnam, ut in locis equis convenientibus equitarent, si vero in loca equis contraria pervenirent, non prorsus excluderentur prælio. Sed famulus quidam, ad hoc ipsum sequutus, equum sedulo recipiebat, eques vero, ab equo descendens, continuo pedes prælium inibat. » Nomen Dimacharum in Arriano nusquam occurrit, cui si ulla fides habenda est, ii errant, qui singulare agmen dimacharum apud Alexandrum fuisse credunt. At si necessitas urgebat, pedites equos adscendere jussit, quo celerius ad hostem pervenirent, ibique descendere, pedestre prælium inituros. Cujus rei duo in Arriano exempla sunt : alterum lib. I, c. 6, 8, 9; alterum III, 21, 12, qui locus, nostro respondet; ubi : Alexander, inquit, quum pedites se festinanter equitantem sequi non posse intelligeret, equites circiter quingentos (trecentos Curt.) equis desilire, et duces, aliosque præstantissimos quosque peditum delectos, qui ita ut equites armati erant, equos conscendere jubet. Huic agmini respondet ille equitatus, quem vocamus *dragons*. — *Appella-*

bant, ceterum equis vehebantur; quum res locusque
9 posceret, pedestris acies erat. Hæc agentem Alexandrum adeunt Orsillos et Mithracenes, qui Bessi parricidium exosi transfugerant : nunciabantque, stadia D
10 abesse Persas; ipsos brevius iter monstraturos. Gratus regi adventus transfugarum fuit; itaque, prima vespera, ducibus iisdem, cum expedita equitum manu monstratam viam ingreditur; phalange, quantum festinare posset, sequi jussa. Ipse quadrato agmine incedens, ita cursum regebat, ut primi conjungi ultimis

bant. Sic plurimi Codd. Vulgo *appellant*. — *Pedestris acies erat*. Malo cum Heinsio *pedestris acies erant*.

9. *Orsillos et Mithracenes*. Hos Curtius solus nominat. — Arrianus Alexandrum pridie, quam Darium assequerentur, incolas percuntatum esse refert, utrum aliquod viæ compendium nossent? Hi affirmarunt, sed, propter aquarum inopiam, viam esse desertam. Nihilo tamen secius hac via, prima vespera, ipse cursu ibat cum equitibus et dimachis, reliquorum alios via publica, qua Persæ iverant, quam levissime armatos persequi, alios agmine composito sequi jubet. Hæc si cum narratione Curtiana contuleris, ipse discrepantiam vides. *Expeditam equitum manum*, de equitibus et dimachis, *phalangem sequi jussam*, de iis, qui via publica Bessum sequebantur, interpretare. Eamdem aquarum inopiam testatur Plutarch. in Alexandri vita, eaque Alexandro occasionem præbuit ostendendi militibus singularem continentiam, quam apud eum auctorem vide.

10. *Ipse quadrato agmine incedens, ita cursum regebat, ut primi conjungi ultimis possent*. Freinshemius mavult: *sequi jussa quadrato agmine. Incedens*, etc. De verbis *agmine quadrato* præcedentibus jungendis Freinshemio assentior, propter Arr. III, 21; nam Alexander τοὺς ἄλλους πεζοὺς, hoc est phalangem, ἐν τάξει ἕπεσθαι jusserat. Quæ enim Græci ὡς ἐς μαχὴν vel ἐν τάξει dicunt, hoc est, acie instructa et agmine composito, Curtius *agmine quadrato* interpretari solet, ut supra quoque V, 1, 1, utrum satis recte, non decerno; nam acies instructa non semper erat quadrata. Reliqua vero ex glossa mihi nata videntur, quum quis naturam et formam agminis quadrati descripturus ad marginem adjiceret : *quadrato agmine incedens, ita cursum regebat, ut primi ultimis conjungi possent*, scilicet per eos, qui a latere ibant. Quæ explicatio non admodum accurata est. Omnia vero, utut vulgo leguntur, si a Curtio ipso scripta censes, erravit Curtius. Alexander enim ipse, ut ex Arriano liquet, quadrato agmine nec ibat, nec ire poterat, citatissime et cum equitibus hostem non propinquum, sed multa stadia remotum, per noctem persequens. Confer notam meam ad Arrian. III, 21, 13. Hæc *Schmieder*. In hac nota de Alexandri in itineribus celeritate disserit *Schmieder*, de qua nos in Excursu II, et mensuram stadii eligit, quam dedit cl. noster *Barthelemy*,

possent. ccc stadia processerant, quum occurrit Bro- 11
cubelus Mazæi filius, Syriæ quondam prætor : is quoque transfuga nunciabat, Bessum haud amplius quam cc stadia abesse. Exercitum, utpote qui nihil præcaveret, incompositum inordinatumque procedere : Hyrcaniam videri petituros; si festinaret sequi, palantibus superventurum : Darium adhuc vivere. Strenuo 12
alioqui cupiditatem consequendi transfuga injecerat : itaque, calcaribus subditis, effuso cursu eunt. Jamque fremitus hostium iter ingredientium exaudiebatur; sed prospectum ademerat pulveris nubes; paulisper ergo inhibuit cursum, donec consideret pulvis. Jam- 13
que conspecti a barbaris erant, et abeuntium agmen conspexerant; nequaquam futuri pares, si Besso tantum animi fuisset ad prælium, quantum ad parricidium fuerat. Namque et numero barbari præstabant, et robore : ad hoc, refecti cum fatigatis certamen inituri erant. Sed nomen Alexandri et fama, maxi- 14
mum in bello utique momentum, pavidos in fugam convertit. Bessus et cæteri facinoris ejus participes, 15
vehiculum Darii assequuti, cœperunt hortari eum, ut conscenderet equum, et se hosti fuga eriperet. Ille

stadium olympicum $94 \frac{1}{2}$ hexapodis constare affirmans.

11. *CCC stadia processerant*. Forte legendum est *CC stadia*. Si enim Alexander primum CCC, tum CC stadia processit, quingenta stadis confecisset, nec breviori itinere usus esset. — *Brocubelus Mazæi filius*. Arrianus Antibelum, sive Artibolum, Mazæi filium, prius cum Bagistane ad Alexandrum venisse auctor est.

12. *Strenuo*. Jam ultro festinanti.

13. *Nequaquam futuri pares*, propter ipsorum paucitatem, nam si Curtio nostro fides habenda est (V, 13, 8), Alexander modo sex equitum millia et trecentos dimachas secum duxerat, secundum Arrian. l. l. ἐς πεντακοσίους tantum habuit; sed vix credibile est, si Plut. Alex. 690, tradit : μόνους δέ φασιν ἑξήκοντα συνεισπεσεῖν εἰς τὸ στρατόπεδον τῶν πολεμίων. — *Refecti*, neque labore, neque itineris celeritate debilitati. Verissimum itaque, quod hoc loco notavit *Linguet, Hist. d'Alex.* p. 190 : « Un peu de réflexion « suffisait peut-être pour faire de Bes- « sus un des plus heureux scélérats « dont il soit parlé dans l'histoire ; « mais la frayeur ne réfléchit point. »

deos ultores adesse testatur, et Alexandri fidem im-
plorans, negat, se parricidas velle comitari. Tum vero
ira quoque accensi tela injiciunt in regem, multisque
17 confossum vulneribus relinquunt. Jumenta quoque,
ne longius prosequi possent, convulnerantur; duobus
18 servis, qui regem comitabantur, occisis. Hoc edito fa-
cinore, ut vestigia fugæ spargerent, Nabarzanes Hyr-
caniam, Bessus Bactra, paucis equitum comitantibus,
petebant: barbari ducibus destituti, qua quemque aut
spes ducebat, aut pavor, dissipabantur; quingenti tan-
tum equites congregaverant se, incerti adhuc, resi-
19 stere ne melius esset, an fugere. Alexander, hostium
trepidatione comperta, Nicanorem cum equitum parte
ad inhibendam fugam præmittit; ipse cum ceteris se-
quitur: III ferme millia resistentium occisa sunt; reli-
quum agmen intactum, more pecudum, agebatur,
20 jubente rege, ut cædibus abstineretur. Nemo capti-
vorum erat, qui monstrare Darii vehiculum posset:
singuli, ut quæque prehenderant, scrutabantur; nec
21 tamen ullum vestigium fugæ regis exstabat. Festinan-
tem Alexandrum vix tria millia equitum persequuta
sunt; at in eos, qui lentius sequebantur, incidebant

16. *Relinquunt.* Ælian. Hist. anim. VI, 25: *Δαρείῳ κειμένῳ, πάντων τὸν νεκρὸν ἀπολιπόντων, ὁ κύων ὑπ' αὐτοῦ τραφεὶς παρέμεινε μόνος πιστός.*

18. *Spargerent*, dividerent, eoque modo incertum redderent Alexandrum, quo ad ipsos persequendos sese verteret. — *Paucis equitum comitantibus.* Cum DC equitibus, Arr. III, 21, 16.

19. *Nicanorem.* Nicanor, si Arrianum sequeris, cum Alexandro non erat, sed in via militari, eaque longiori Bessum sequebatur. — *III ferme millia resistentium occisa sunt.* Intellige et *resistentium*, et *fugientium*. Modo enim narrabatur: *D tantum equites se congregasse, incertos adhuc, utrum resisterent.*

20. *Ut quæque prehenderant.* Scilicet vehicula, vel vestigia vehiculorum. Freinshemius tamen cum aliquibus Codd. præfert *quemque*, scilicet captivorum.

21. *Incidebant.* Sive quod, incerti qua fugiendum esset, in eos, quos fugiebant, sese imprudentes conjicerent; sive quod Macedonum, quamvis lentius Alexandro incedentium,

universa fugientium agmina. Vix credibile dictu, plu- 22
res captivi, quam qui caperent, erant : adeo omnem
sensum territis fortuna penitus excusserat, ut nec hos-
tium paucitatem, nec multitudinem suam satis cerne-
rent. Interim jumenta, quæ Darium vehebant, nullo 23
regente, decesserant militari via, et errore delata per
iv stadia, in quadam valle constiterant, æstu, simulque
vulneribus fatigata. Haud procul erat fons, ad quem 24
monstratum a peritis Polystratus Macedo siti macera-
tus accessit : ac dum galea haustam aquam sorbet, tela
jumentorum deficientium corporibus infixa conspexit;
miratusque confossa potius, quam abacta esse, semivivi 25

celeritate tamen occuparentur, præsertim pedites.

22. *Plures captivi*. De multitudine hac captivorum apud alios auctores nihil exstat.

24. *Haud procul erat fons*. Justin. XI, 15, « unus ex militibus, dum ad fontem proximum pergit, etc. » — *Polystratus*. Ita et a Plutarch. Alex. vocatur iste miles; Justin. l. l. civem illum ex voce cognovisse Darium scribit. His quidem alludebat Cic. Tusc. « Darius in fuga, quum aquam turbidam, et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius: nunquam videlicet sitiens biberat. »

25. *Semivivi*. Hic multa in omnibus Codd. desunt. Nos Freinshemianum supplementum, de nostro more, elegimus, tum ad claudendum hunc librum, tum in proximo incipiendo. Hic adscribam ea, quibus Arrianus Darii supremum fatum luget, ipsiusque indolem pingit : « Hic finis Darii fuit, archonte Athenis Aristophonte, in mense Hecatombæoni (olymp. 112, 3; ante Chr. 330, mense Junio, sexto anno ab eo, quo bellum cum Alexandro incœpit, nono post pugnam apud Gaugamela mense). Hic quidem princeps mollis erat, nec bello gerendo aptus; cæterum nihil iniqui fecit, sive natura mitem indolem habuerit, sive tempus exercendæ crudelitati defuerit. Ineunte regno, iniit quoque contra Macedonas et Græcos bellum. Neque in subditos sævire licuit, majora, quam ipsi, pericula subeunti. Viventem quidem adversa fortuna assidue prosecuta est, et idem fuit miseriis, quod regno principium. Ejus satrapæ ad Granicum victi sunt; in hostium potestatem venere Ionia, Æolis, utraque Phrygia, Lydia, Caria, excepta Halicarnasso, quæ ipsa paullo post capta est; mox omne maris littus ad Ciliciam. Ad Issum debellatus, matrem, uxorem, pueros captos vidit. Inde Phœnicem et omnem Ægyptum amisit. Ad Arbela, primus omnium, in fugam turpiter se conjicit, dum exercitus sui maxima pars cæditur. In ipsis imperii sui regionibus exsul, ad finem, a suis proditus, in vehiculo indecore abducitur, rex simul et captivus, tandemque suorum familiarium cognatorumque insidiis interceptus, periit. Hunc, dum viveret Darius,

1 [hominis gemitum percipit. Itaque more ingenii humani cupidus visendi, quid rei vehiculo isto conderetur, dimotis pellibus, quibus obtectum erat, Darium multis vulneribus confossum reperit : [1] regius enim cultus, et aureæ catenæ, quis a parricidis vinctus fuerat, dubitationem eximebant.
2 Non erat expers Græci sermonis Darius, [2] gratiasque agebat diis, qui post tanta mala, tamque gravia, hoc tamen indulsissent solatii, ne omnino in solitudine extre-

sortem babnit; mortuo regium monumentum exstruetum est; liberi in ipsa Alexandri anla regia educti institutique; et Alexander gener fuit. « In bis verbis videre est, mitem hanc Darii indolem, quam tantis laudibus extulit inter alios Curtius, ipsum Arrianum quodammodo in dubium revocare. Et saue nostras *Herbelot, Bibliothèque orientale, art. Darab*, testatur traditiones orientales regem illum, ultimum a genere Cajanidarum descripsisse tanquam violentum el crudelem, qui sceleribus odium procerum plebisque sibi contraxerit. *Schehabeddin Ahmed ben Abdalvahh al Novairi* Codex arabicus, cujus fragmentum in gallicam linguam translatum a nostrate *Caussin*, cl. arabicæ linguæ professore, prodiit in *Voyages du baron de Reidesel*, refert, Alexandrum uno tantum anno Persarum imperium domuisse, quia hujus regni optimates Darium ipsi tradidere. Quumque Macedonum rex ipsum corporis custodum ducem inter proditores esse miraretur, caussamque ab ipso Dario exposceret, « quia, inquit ille, in eum, quum male ageret, acerbe sæviebam, quum vero bene se gereret, maximis eum muneribus prosequebar. » Darius jamjam moriturus ab Alexandro postulavit, ut ipsius fatum ulcisceretur, suamque filiam *Rouschenk* uxorem duceret : cui tum Regis, tum parentis voto Alexander libens annuil. Vida *Sainte-Croix, Examen crit.*, pag. 183. Omissis illis traditionibus, quibus sane minimam adhibendam esse fidem mihi notum est, Charidemi cædem Darii famæ labem inurere existimo, et huic sævæ indoli explicandæ nihil, ut Arrianus inquit, præter tempus et occasionem forte defuit. Omnia ea claudamus illis quæ *Linguet, Hist. d'Alex.* pag. 188, nec immerito notat : « Il semble que « la fortune aime à épargner à ses fa- « voris de certains crimes nécessaires « qui les rendraient odieux. C'est ainsi » que la mort de Pompée ne fut point « l'ouvrage de César, qui en recueillit « le fruit. Henri IV ne trempa point « dans l'assassinat du duc de Guise, « sans lequel il n'aurait peut-être jamais « été roi de France. Il n'importait pas « moins à Alexandre d'être défait de « Darius; si ce roi était tombé vivant « entre ses mains, la clémence et la « rigueur pouvaient également devenir « dangereuses; ce qui pouvait arriver « de plus heureux pour lui, c'était que « Darius périt dans une bataille, ou « par la main de ses sujets. Son bon- « heur lui assura encore cet avantage : « la fortune, en le délivrant d'un rival, « lui ménagea jusqu'à l'honneur de la « venger. »

1. Plut. Alex. p. 690; Arrian. III, 21, 16; Justin. XI, 15.

2. Curtius, lib. V, cap. 11, § 5.

mum spiritum effunderet. [1] Itaque, « Te, inquit, quisquis 3
es mortalium, per communem hominum sortem, a qua nec
maximos regum exemptos esse præsenti spectaculo mone-
ris, rogo quæsoque, ut hæc ad Alexandrum mandata mea
perferas; nihil eorum, quæ longe tristissima perpessus sum,
ne hunc quidem incomparabilis calamitatis exitum, ita gra-
vem mihi accidisse, ut hoc unum, quod post tanta in me
meosque merita adversus clementissimum victorem ini-
mico vivendum fuit, et nunc ingrato moriendum est. Sed 4
si qua postremis miserorum votis apud deos vis est, et cum
ipso spiritu profusas preces mitius aliquod numen exaudit;
ille quidem sospes et incolumis, longeque supra contagium
meæ sortis, et invidiam fortunæ positus, in solio Cyri glo-
riosam ætatem exigat : suæque virtutis memor, eum matri
liberisque meis locum apud se esse patiatur, quem illi
fide et obsequio meruerint. At parricidas promptum exi-
tium consequatur, quod Alexander irrogabit, si non mi-
sericordia infelicis hostis, saltem odio facinorum, et ne
impunita in aliorum etiam regum, suumque ipsius exitium
erumpant. » Posthæc, cum siti angeretur, allata per Polys- 5
tratum aqua recreatus : « Ergo, ait, hanc etiam tantis cala-
mitatibus extremam accedere oportuit, ut bene merito gra-
tiam referre non possim! at referet Alexander; Alexandro
vero dii.» Dextram deinde protendit, eamque Alexandro,
fidei regiæ pignus, ferri jubens, apprehensa Polystrati
manu, animam efflavit. Alexander an spiranti adhuc super- 6
venerit, incertum est: [2] illud constat, miserabili regis opu-
lentissimi exitu comperto, copiosas lacrymas profudisse,
statimque chlamyde sibi detracta, corpus operuisse, et ma-
gno cum honore ad suos deferri jussisse, ut regio Persarum
more curatum monumentis majorum inferretur. Ingratitu- 7
dinem hominum, a quis pro summis beneficiis crudele
exitium Darius pertulit, quamquam suopte ingenio hor-
rendam et exsecrabilem, insigniore ad posteritatem infamia
damnavit canis cujusdam mira fides, [3] qui ab omnibus fa-

1. Justin. loc. laud.
2. Diodor. XVII, 73; Arrian. l. l.
3. Euseb. in Chron.; Ælian. Hist. Anim. VI, 25.

miliaribus derelicto solus adfuit, et quam in vivum præ se tulit benevolentiam, morienti quoque constanter præstitit.
8 Hunc vitæ finem sortitus est ille, quem modo contumelia affici putabant, nisi regem regum, et deorum consanguineum salutarent : magnoque iterum experimento approbatum est, neminem magis patere fortunæ, quam qui pluribus ejusdem blanditiis irretitus, jugum illius tota cervice receperit.]

LIBER V.

EXCURSUS I.

DE PERSEPOLI.

Curtii locus, lib. V, cap. 7, § 9, vexatissimus, omnium semper interpretum fuit crux; neque dubito, quin operæ pretium sit, paullo curatius in illum inquirere, quum ad historiam omnium antiqui orbis urbium amplissimæ ac splendidissimæ, a Græcis *Persepolis*, a Persis ipsis *Isthekar* nuncupatæ, tantum valeat. Scilicet fata hujus urbis ab omnibus, qui ejus meminerunt, nequaquam satis explicata videntur, adeo ut minime liqueat, utrum Alexander vinolentus, atque a scorto nequissimo instigatus, totam urbem cædibus, rapinis, incendiisque vastaverit, an magnificum illud palatium regium, Persis *Tschilmenar* dictum, ruinæ isti solum succubuerit. Caussa illius dubitationis sine dubio hæret in ambiguitate quum græcæ vocis βασίλεια, tum latinæ *regia*. Attamen græcum βασίλεια haud ita ambiguum est, uti vulgo videtur. Quantum enim equidem scio, Græci constantissime discernunt τὰ βασίλεια et τὸ βασίλειον. In voce τὰ βασίλεια subintelliguntur οἰκήματα, seu δώματα, et nunquam non sunt *ædes regiæ*; τὸ βασίλειον scil. ἄστυ *urbs regia* est. Hujus harum vocum discriminis apud omnes passim auctores plurima quidem prostant exempla, sed vel ex solo Arriano videre licet, si conferas VI, 15, 7, cum I, 17, 6, et I, 25, 3. Quod autem discrimen si non est vanum, res ista in dubium amplius vocari nequit. Nam Græci omnes, qui de urbe illa memoriæ quid prodiderunt, consentiunt, non urbem illam totam, τὸ βασίλειον, sed solam domum regiam, τὰ βασίλεια, a comissabundo rege, et agmine temulento tum esse destructam. Singuli autem his verbis rem peragunt. Diodorus Siculus, XVII, 72 : Αὕτη (Θαῒς) δὲ μετὰ τὸν βασιλέα πρώτη τὴν

δᾳδα καιομένην ἠκόντισεν ἐς τὰ βασίλεια· καὶ τῶν ἄλλων ταυτὰ πραξάντων, ταχὺ πᾶς ὁ περὶ τὰ βασίλεια τόπος κατεφλέχθη.

Strabo, XV, 729 : Ἐνέπρησε δὲ ὁ Ἀλέξανδρος τὰ ἐν Περσεπόλει βασίλεια.

Arrianus, III, 18, 18 : Ἀλέξανδρος.... τὰ βασίλεια τὰ Περσικὰ ἐνέπρησε.

Plutarchus, Alexand. p. 687 : Ἐπισπασθεὶς ὁ βασιλεὺς καὶ ἀναπηδήσας, ἔχων στέφανον καὶ λαμπάδα προηγεν. Οἱ δὲ ἑπόμενοι κώμῳ καὶ βοῇ περιΐσταντο τὰ βασίλεια. Καὶ τῶν ἄλλων Μακεδόνων οἱ πυνθανόμενοι συνέτρεχον μετὰ λαμπάδων χαίροντες. Ἤλπιζον γὰρ ὅτι τοῖς οἴκοι προσέχοντός ἐστι τὸν νοῦν, καὶ μὴ μέλλοντος ἐν βαρβάροις οἰκεῖν, τὸ πιμπράναι τὰ βασίλεια καὶ διαφθείρειν.

Athenæus, XIII, 576 : Θαΐδα.... περὶ ἧς φησι Κλείταρχος ὡς αἰτίας γενομένης τοῦ ἐμπρησθῆναι τὰ ἐν Περσεπόλει βασίλεια.

Atque ita omnes auctores uno ore testantur, non urbem, τὸ βασίλειον, sed ædes regias, τὰ βασίλεια, esse combustas.

Præter ea, urbem ipsam excidio arcis, seu regiæ domus fuisse superstitem et inde probatur, quod iidem auctores passim talem ejus mentionem faciunt, ut minime dubium sit, illam aliquanto post non solum exstitisse, sed etiam floruisse. Sic Diodorus, XIX, 22, tradit Peucesten ibidem magnificum Diis Alexandroque et Philippo sacrum instituisse : Ὡς δὲ ποθ' ἧκον εἰς Περσέπολιν τὸ βασίλειον, Πευκέστης μὲν, ὢν τῆς χώρας σατράπης καὶ στρατηγὸς, θυσίαν ἐπετέλεσε μεγαλοπρεπῆ τοῖς θεοῖς καὶ Ἀλεξάνδρῳ καὶ Φιλίππῳ. Idque factum est septimo circiter anno post obitum Alexandri. Ptolomæus, qui, Hadriano et Antonino imperantibus, vixit, Persepoleos meminit tamquam urbis adhuc opulentissimæ, Geograph. VI, 4. Ammianus Marcellinus, qui sub Gratiano et Theodosio scripsit, præcipua Persidis oppida memorans addit : inter quæ Persepolis *est* clara. Quin imo ne tota quidem arx tum combusta fuisse videtur, siquidem, teste Plutarcho, loco laudato, Alexander, quum crapulam exhalasset, flammam statim restingui jussit : Ὅτε δ' οὖν μετενόησεν, ταχὺ καὶ κατασβέσαι προσέταξεν. Vixque dubium est, quin idem, quæ ignis corrupisset, sedulo restituenda curaverit : nam hand multo post, secundum Petavii rationem post annos quatuor (vid. ejusd. Doctrin. Tempor. tom. II, p. 596), a Persagadis redux, arcem Persepoleos ab ipso ante male concrematam non sine rubore intrat, ita memorante Arriano VI, 30, init. : Ἔνθεν δὲ ἐς τὰ βασίλεια ᾔει τῶν Περσῶν, ἃ δὴ πρόσθεν κατέφλεξεν αὐτὸς, ὥς μοι λέλεκται ὅτι οὐκ ἐπῄνουν αὐτὸ ἔργον, ἀλλ' οὐδ' αὐτὸς Ἀλέξανδρος ἐπανελθὼν ἐπῄνει.

Re ita demonstrata, etiam cœco apparet, Græcos auctores omnes consentire, neque quemquam esse, qui tradat, Alexandrum *urbem* Persepolin, illustre illud totius Orientis caput, incendio corrupisse. Romani, si excipias Ammianum Marcellinum, loco modo laudato, longe secus statuunt. Sed non nisi duo sunt, qui eam rem tetigerunt, Plinius et Curtius noster. Ille, lib. VI, 26, historiæ natur. situm Mediæ ac Persiæ describens, Persepoleos ita meminit: « Qua vero ipsa subit ad Medos Elymais *megala* appellatur, locus arduo montis ascensu per gradus introitu angusto ad *Persepolin*, caput regni, *dirutam ab Alexandro.* » At vereor, ne summus ille physicus, rerum naturæ studio ardentissime quidem inhians, sed a superstitione minime alienus, atque in ipsis rebus naturalibus subinde mentita ac falsa pro veris arripiens et venditans (Vid. A. Gellii Noct. Attic. IX, 4), historiam vero politicam, rem alienam, parum curans, hoc loco vanam quamdam secutus sit famam, et perperam tradita pro veris apprehenderit; id quod minime mireris in viro, qui tales res numquam, nisi ὡς ἐν παρόδῳ, et data occasione, scriptis suis admiscere solet. Curtio autem, qui id agere debuit, ut veram, quantum posset, et solidam perscriberet historiam, quo modo ignoscas, si fabulas peragat et falsa scribat, tot renuentibus historicis fide dignissimis, quos ante oculos habuisse passim manifesto ostendit? Vituperatione profecto atque contemptu dignissimus esset, si ita fecisset.

Quæ quum ita sint, imperare mihi non possum, ut credam, Curtium ista scripsisse. Atque illa non injusta, sed merita ac debita suspicio inde movetur, quod totus hic locus, a vocibus: *Ac ne longa*, usque ad medium primum comma capitis sequentis omnino deest in codice omnium, uti mihi videtur, optimo et antiquissimo, quem Snakenburgius Vossianum primum nuncupat, et quidem ita, ut non laceratus, sed prorsus omissus sit, seriesque verborum hoc modo continuetur: *ne tam longa reges verat*, in quibus duobus posterioribus vocem corruptam *decreverat* latere facile agnoscas. Ob istam caussam equidem minime dubito, in codice archetypo hic fuisse lacunam, quam librarius ex ingenio suo explere sit ausus, ideoque totum istum locum pro spurio atque insititio habendum delendumque esse censeo.

Hinc sequitur illius urbis interitum minime cadere in tempora Alexandri, neque istas ruinas, quas urbes antiquissimæ *Isthekar* et *Tschilmenar* hodie pro divitiis suis ostendunt, quasque viri docti, qui recentioribus temporibus iter in Persiam fecerunt, et granditate

et arte illarum obstupefacti, [1] diligentissime nobis descripserunt, tribnendas esse crapulæ Alexandri, sed immani barbariæ recentioris memoriæ, vel potius naturæ ipsi, quæ fortasse sola tantam tamque insanam molem motibus terræ destruere valuit.

Vide de illis plura in Kaempferi amœnitatibus exoticis, Fascic. II, Relat. 5, p. 325, 333; *Chardin*, *Voyages en Perse*, tom. II, p. 140, 197; *Le Bruyn*, *Voyages*, tom. II, p. 285, seq.; in primis vero in *Niebuhr's Reisebeschreibung*, tom. II, p. 121, 165; nec non I. G. *de Herder*, vir perillustris, mira cum doctrina atque divino prorsus ingenii acumine, ἱερογλυφικὰ ista interpretatus est, in libello lectu dignissimo, quem inscripsit: *Persepolis, eine Muthmassung*, Gothæ 1787.

Talia habet *Cunze*, cujus sane opinioni adhæreo, nisi qnod Curtium in hoc loco errasse crediderim potius quam omnia hæc, quæ desunt in Vossiano primo ab altera manu in aliis fuisse adjuncta. Ceterum iis, quæ adduxit, recentiorum testimoniis, insnper addam anglici viatoris verba deprompta e libro qui inscribitur, *Voyage du Bengale à Chyraz, par William Franklin*, qui prodiit Londini, anno 1790, quemque in gallicam linguam vertit vir cl. *Langlès* (tom. 11, pag. 80, 81): « Malgré l'autorité « des différens historiens qui racontent l'incendie du palais, nous « sommes fort éloignés d'y ajouter foi, après un minutieux et mûr « examen des ruines aujourd'hui subsistantes, puisque, daus leur « état actuel, tout le feu qu'on pourrait y introduire ne ferait ja- « mais la plus légère impression sur ces masses énormes et indes- « tructibles. Telle fut l'idée que je conçus à la seule inspection des « lieux, et que je vis partager par M. Jones, à qui je la commu- « niquai. Il pensa comme moi que rien n'était plus absurde que « d'attribuer la destruction de cet édifice aux ravages du feu. » *Kiatib-Tchebely*, turcicus geographus, qui typis commissus est, Constantinopoli, anno 1736, atque cujus exstat gallica translatio manuscripta in nostra regia bibliotheca, refert urbem *Istakhar*, quæ eadem est ac Persepolis, et illius arcem *Tchehel-Minar* quod, *quadraginta columnas* significat, bis fuisse spoliatas, penitusque dirutas, *Ali* khalifo regnante. Ex ejus ruinis nrbs alia *Chyraz*, in viciniis exstructa est, anno Hegyræ 76, post Christum 695. Vid. *Pietro*

[1] *Abulfeda*, Geograph. « *Esthachar*, inquit, est inter urbes antiquissimas Persiæ, ubi olim fuit sedes regia et adhuc sunt magnorum ædificiorum rudera adeo, ut dicatur, *opus dæmonum esse*. »

della Valle, tom. V, p. 312; *Figueroa*, *Ambass.* p. 144; *Langlès*, *Mém. sur Persépolis*; *Ste-Croix*, *Examen critiq.* p. 312; *Voyages de Néarque*, *trad. de Billecocq*, p. 442, 513.

EXCURSUS II.

DE ALEXANDRI CELERITATE.

Quum Alexander Bessum persequeretur, ea fuit ejus celeritas, ut multis incredibilis visa sit, et ipsius historicos ὑπερβολικῶς scripsisse putaverint. Ut vero, ea qua vivimus ætate, multo magis stupendæ celeritatis miracula vidimus, fidem sane historicis de Alexandri itineribus habemus. Pauca tamen disserere utile visum est, quibus ea adhuc probabiliora præstarentur. Quod quidem ex itinerum mensuris quibus Alexandri metatores usi sunt, colligi potest. Veteres, ut prius notavimus (Excurs. de Alexandria), diversæ longitudinis stadia habebant. Quidam docti viri[1], in his definiendis, multum laborem impenderunt. Operæ pretium est noscere quomodo unus ex iis, *Guillaume de l'Isle*, stadia reduxerit, in statuendo quantum Ecbatana ab Ariis distarent. 11° 20′ distare dicunt astronomi orientales; 11° autem et 20′ = 8° 57′ magni orbis (*du grand cercle, la diminution des degrés de longitude du parallèle des deux villes calculées*); quod sane multum differt a mensuris quæ colliguntur e 10,290 stadiis, quod, secundum Eratosthenem foret 14°, et, secundum Ptolemæum, plus quam 20°. Hoc solo discrimine notato, persuasum nobis esse debet, stadia, Alexandri ætate, minora fuisse, quam postea fuerunt.

Nostras *Buache* ea fuisse minora probat e mensura terræ quam

[1] *Mémoires de Guill. de l'Isle, Acad. des Sciences*, 1714, pag. 175; *Essai sur les mesures itinéraires, par M. de la Barre, deuxième mém. Académ. des Inscript.* t. XIX; *Observations sur ces mêmes mesures, par Gibert*, t. XIX; *Traité des mesures itinéraires, par d'Anville; Recherches sur la Géogr. systématique et positive des anciens, par Gosselin.*

refert Aristoteles, in suo libro *de cœlo*. Ille hæc 10,290 stadia, quæ inter Ecbatana sunt et Aria, esse tantum 9° 16′ magni orbis affirmat; quæ mensura ab astronomica supra laudata 16′ tantum differt, sive 350 stadiis, quæ auferre possis, habita ratione frequentis sinus, qui in itineribus est. [1]

D'Anville (*Mesur. itin.* p. 84) stadium quo utebantur Alexandri metatores fuisse dicit $50^{t.}\ 2^{p.}\ 5^{p.}$ Hac æstimatione, quicquid difficultatis supererat, solvitur; nec sane ex hypothesi est, sed ex ea terræ mensura quam dedit Aristoteles, de cælo, lib. II, c. 14. Ex hac mensura terræ circumferentiam fuisse 400,000 stadia constabat. Si hic numerus per 360 dividitur, terraque plane rotunda reputatur, ut veteres existimabant, singulus gradus magni orbis (*degré du grand cercle*) habet 1,111 stadia et nonam stadii partem, sive 57,060 hexapodas; singulum vero stadium, 51 hexapodas $\frac{334}{1000}$, sive circiter $51^{t.}\ 1^{p.}\ 5^{l.}$.

Si Arriano credideris [2], 600 equites, unusquisque eorum peditem pone habens, 400 stadia in parte quidem diei et tota nocte percurrunt. Si stadio pythico 125 hexapodarum utaris, hi 20 leucas, singulam 2,500 hexapodarum percurrerunt, quod vix credibile est; at si stadio astronomico, 50 circiter hexapodarum, 8 leucas tantum invenias, quod multo verisimilius est.

Macedones, Satibarzanem persecuti (Arrian. III, 25), binis diebus, 600 stadia emensi sunt, quæ, solita æstimatione, 30 leucæ sunt; astronomica vero, tantum 12. Alexander (Arrian. IV, 6) ad Maracanda progressus, ut ex iis Spitamenem expelleret, tertio die 1500 stadia percurrerat, nempe, adhibito stadio pythico, 75 leucas; minori vero, 30 solum. Multa hujus generis afferre possem; sed ex iis tantum errores corrigi possunt, eo frequentiores in veterum textu, quo facilius erat literas, quibus numeri exprimebantur, inter se miscere.

Nec sane alienum esse videtur, Cyri et 10,000 Græcorum itinera, quæ descripsit Xenophon, cum Alexandri itineribus conferre. Junioris Cyri copiæ, ad Cunaxa progredientes, quinque parasangas et magis interdum singulis castris obibant. Lydiam, flumen Mæandrum versus, transeundo, 22 parasangarum et trium tantum castrorum iter fuit (Xenoph. Exped. I, 5). Ex Iconio, Phrygiæ

[1] *Buache, Recherches géogr. sur l'étendue de l'empire d'Alexandre, Acad. des Sciences*, 1731, pag. 117, et sqq.

[2] Arrian. III, 21; Ælian. Var. Hist., X, 4.

urbe, exeuntes, quintis castris 30 parasangas emensæ fuerant, (Xenoph. I, 7); 35 vero, iisdem castris, quum ad lævam Euphratis ripam tenderent (Xenoph. I, 30, 31). Notandum vero est omnem fere Cyri exercitum *hoplitis* constitisse, multisque sarcinis et impedimentis fuisse retardatum.

Eam celeritatem, post pugnam ad Cunaxa, hi 10,000 Græci superarunt; qui, dum per Chalybum regionem transirent, licet ab hostibus assidue lacesserentur, 50 tamen parasangas septimis castris emensi fuerant (Xenoph. Exp. IV, 39).

D'Anville affirmat in Xenophonte parasangas singulas æstimandas esse 2,268 hexapodas, nempe 45 stadia[1]. Græci ergo, per singulos *σταθμοὺς*, sive *mansiones*, 226, 272, 317, et interdum etiam 370 stadia emensi sunt, quod cum velocissimis Alexandri itineribus conferri potest.

Quanti vero æstimandi sunt illi *σταθμοί* sive *mansiones* statuere difficile est, qui, variis ætatibus regionibusque, non iidem erant. Ptolemæus, inquit Arrianus, III, 29, quum Bessum persequeretur, habuit *ἐν ἡμέραις τέσσαρσι, σταθμοὺς δέκα*. Herodoti *σταθμοί* in Asia (lib. V, c. 52) æstimari possunt singuli quinque leucæ 2,500 hexapodarum. Imperantibus Parthis, sive sex leucas, sive plus, usque ad novem, efficiebant[2]. Ut ut sit, sive stadii longitudinem in spatium 50 aut 51 hexapodarum circumscribas; sive 10,000 Græcorum in Asia itinera animadvertas; sive reputes Alexandri itinera a Diognete et Betone, hujus principis decempedatoribus fuisse metata, et in opere descripta cujus testimonio sæpius utuntur Strabo, Plinius et Arrianus[3], jam non ea quæ de Alexandri celeritate referunt scriptores, in dubium revocabis.

Inter ea, quo Græci corpus exercebant, cursus plurimum valebat; et sane fatendum est nihil esse aptius ad milites longissimis itineribus assuefaciendos. Alexandri milites hoc modo a teneris exercebantur, et, nisi corporis robore, saltem velocitate, cum Romanis illis comparandi erant, qui, sex aut septem horarum spatio, 24 milliaria, id est, octo leucas percurrebant, et plus etiam, pleno vel concitato gradu. Exempla apud auctores abundant. Milites Cæsaris (Bello Gall. VII, 34, et seqq.) septem horis 50 milliaria romana, seu 16 leucas emensi sunt. Bardanen Parthum

[1] *D'Anville*, *Traité des mesures itinéraires*, pag. 95.

[2] Isidor. Charac. mans. Parth. in Geogr. min. tom. II, pag. 6 et 7.

[3] Athen. X, 442; Casaub. Animadv. p. 737; Plin. VIII, 13.

biduo 3,000 stadiorum invasisse ait Tacitus Annal. lib. XI, cap. 8.

Ex his omnibus concludendum est, non sane adeo stupendam esse Alexandri celeritatem reputanti cuilibet, et ea quæ prius exposuimus, et quantis itineribus sæpius celeraverunt nostri exercitus; cujus rei exempla nimis nota sunt, ut ea referam; et quanta velocitate in Asiam irruerunt ille *Genghizkan*, ille *Tamerlan*, qui sane et hac parte et aliis cum Alexandro conferri queant. Gallicus scriptor, prudentiæ plenus et sagacissimi judicii, *Fontenelle* (*Hist. de l'Acad. des sciences*, *p.* 83, *année* 1714) merito dixit : « Ce « n'est pas entendre assez bien le pyrrhonisme, que de douter des « faits extraordinaires, il faut aller jusqu'à douter qu'ils soient aussi « extraordinaires qu'ils le paraissent.» Cæterum tanta erat Alexandri celeritatis fama, ut de hujus historia, nostras celeberrimus *Montesquieu* dixerit (*Esprit des lois*, X, c, 14) : « Vous croyez « voir l'empire de l'univers, plutôt le prix de la course, comme « dans les jeux de la Grèce, que le prix de la victoire. »

Ea fere omnia, paucis additis, e doctissimo opere, *Examen critique des historiens d'Alexandre*, translata noverit eruditus lector; et istius libri auctori omnis laus, si qua est, tribuenda.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

VOLUMINIS PRIMI FINIS.





